

MS
III
1E



IN 129972

CD/049800

S.F. 3401/1


SECTION LOCAL



10000369830

S.P. -3401/1

Sig 3727



CURSUS SCRIPTURAE SACRAE

Volumen I



CURSUS SCRIPTURAE SACRAE

Volume I



CURSUS SCRIPTURAE SACRAE

JUXTA REGULAS ECCLESIAE AC S.S. PATRUM;

Hodierno progressui scientifico accommodatus

ET AD RATIONALISTARUM EMOLIMENTA EVERTENDA DISPOSITUS

A

Dr. D. Isidoro Mugica et Mugica

Eccl. Cathed. Palentinae Canon. Lector.

et Semin. Conciliaris ejusdem Civit. S. Scripturae Professore.

Libro de Mugica y Mugica

VOLUMEN I

Introductio generalis in utrumque Testamentum



TYPIS GUTIERREZ, LITER ET HERRERO,
VIA CESTILLA, 6

1902.

CURSUS SCRIPTURAE SACRAE

SECUNDA REGULA: EXTENSIO AD 2. PATRIAM

Moderno progressu scientifico accommodata

ET AD RATIONABILITATEM EMENDATA ET EXTENSA DISPOSITA

Dr. H. A. Schmid, Theologiae et Philologiae

Recl. Cathed. Patavinae Canon. Lectur.

et Semin. Conclavitis ejusdem Civit. 2. Scripturae Professore

Nemini sine Auctoris facultate praesens
opus edere liceat.

Libro de Theologiae et Philologiae
VOLUMEN I.

Introductio generalis in utrumque Testamentum



Typis G. B. Zuccheri, 1878

1902

Reverendissimis, atque Excellentissimis

Archiepiscopo

Cæterisque Provinciae Ecclesiasticæ

Burgensis Præsulibus,

Hoc pauperrimum opus,

Grati animi ergo

D. O. C.

addictissimus ac obsequenissimus

Auctor.

Reverendissimi patris Excellentissimi

Archiepiscopo

Electissimae Provinciae Archiepiscopalis

Burgensis Praesulibus

Hoc humilimum opus

Grati animi ergo

D. O. C.

Aggreditur ac obsequens

Auctor.

PRAEFATIO

ENERABILES Archidioecesis Burgensis Patres, Provinciale Concilium celebrantes, ut nova aptaque pro temporum conditione opera in usum Seminariorum seligere possent, certamen scientificum publice annuntiarunt, honorificasque distinctiones his obtulerunt operibus quae tali digna fuerint honore. Ad id sapientissimi iudices deputati, re mature diligenterque perpensa, inter alia diversorum auctorum opera, meum hocce pauperrimum opus, alterius premii honore afficere dignati sunt, ut ex sequentibus patet quae in periodico libello cui titulus «*Boletín Eclesiástico del Arzobispado de Burgos*» 18 Aprilis 1902, pág. 114, leguntur: «*Certamen de obras escritas para servir de texto en los Seminarios*».—En virtud del edicto expedido en 3 de Mayo de 1898 por los Padres del Concilio Provincial de Burgos y publicado en el núm. 12 del *Boletín Eclesiástico del Arzobispado* de aquel año, abriendo un certamen á fin de premiar los libros más propios para ser adoptados de texto en los Seminarios, han sido presentadas á dicho certamen, dentro del plazo señalado, varias obras. —Y habiendo sido examinadas detenidamente, y calificadas por el Jurado nombrado al efecto con arreglo á las bases con signadas en el referido edicto, los Padres del Concilio Provincial Burgense, Prelados de esta Provincia Eclesiástica, reunidos en la Conferencia Episcopal celebrada recientemente en Calahorra, conformándose con el ilustrado dictamen del Jurado, acordaron adjudicar los siguientes premios y distinciones:—A la obra número 3. «*Derecho civil en sus relaciones con la Iglesia*» por el Dr. D. Antolín López Peláez, Canónigo Doctoral de Burgos, *el primer premio*, consistente en que se imprima y adopte de texto por lo menos durante doce años en todos los Seminarios de la Provincia Eclesiástica, reservando al autor la propiedad, y dándole el producto de la venta en los referidos Seminarios una

vez deducidos los gastos de impresión.—A la obra número 2, «Cursus Sacrae Scripturae» por D. I. de Música, Canónigo Lectoral de Palencia, *el segundo premio*, consistente en señalarla de texto por doce años, siendo la impresión de cuenta del autor, que deberá ponerse de acuerdo con el Excmo. Sr. Arzobispo para fijar el precio de los ejemplares.—A las obras número 7, «Antología y Gramática Hebrea» por un Padre de la Compañía de Jesús, y número 8, «Gramática Hebrea con el lema: «Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam» *accesit*.—Y á la obra número 1, «Apuntes sobre la Sagrada Escritura» por D. Nicolás Encinas, Canónigo Lectoral de Salamanca, *mención honorífica*. Lo que de orden de S. E. I., el Arzobispo, mi Señor, se publica en este Boletín para que llegue á conocimiento de los interesados y demás efectos consiguientes.—Burgos 15 de Abril de 1902.—*Lic. Manuel Rivas, Srio.*

Cum nec ipsa operis elementarii conditio, neque tyronum scientifica praeparatio, neque demum tempus quo scholastici scripturariis studiis vacant magnas disquisitiones profundasque rerum scrutationes permittant, idcirco omnia quae apud optimos veteres recentioresque auctores inveni in compendium redigere curavi, designatis libris et fontibus ex quibus ampliores uberioresque notitias haurire quis possit. Non modo brevitati sed etiam claritati consului ut tyrones, absque ullo fere labore, latinum textum in vulgarem linguam vertere queant. Plures, procul dubio, carissime lector, in meo opere invenies defectus, quos tamen benigne te esse dissimulaturum atque excusaturum, spero.

Palentiae 22 Aprilis 1902.

RATIO ET DIVISIO OPERIS.

Quidam sunt libri, qui, a catholicis omnibus, et á christianis etiam non catholicis, ut sacri et divinitus inspirati habentur. Scholae autem rationaliste hodiernae, his omnibus libris auctoritatem divinam denegant, et pluribus ex ipsis neque humanam quidem concedunt auctoritatem. Ergo christiani doctoris est, utramque, nempe, humanam divinamque omnium S. Scripturae librorum tueri auctoritatem.

Jam vero, Sacrorum librorum Canonicitas, eorumdem saltem humanam auctoritatem supponit: Inspiratio autem, praedictorum librorum divinae auctoritatis effectrix est: ergo tota nostra tractatio ad sequentes revocabitur quaestiones:

1.^a Quinam sint libri qui a catholicis ut sacri habentur: ubi de *canone, textu originali et versionibus* S. Librorum.

2.^a Num omnes hi libri divinitus inspirati sint: ubi ostendemus Sacrae Scripturae universim sumptae divinae *Inspirationem* cum his omnibus quae ad ejus naturam et extensionem pertinent, et solvemus objectiones generales quae contra inspirationem hanc a rationalistis proponuntur.

3.^a Cum libri, de quibus agitur divinitus inspirati sint, quae regulae ad illorum intelligentiam et rectam interpretationem adhiberi oporteat, praeter eas quibus naturalis exegesis utitur ad quemcumque librum interpretandum? Hic agemus de legibus *Hermeneuticae* naturalis, christianae, catholicae et rationalisticae.

Cum vero ad haec omnia multum conferat *Archaeologia* biblica, idecirco nonnulla subjiciemus de antiquitatibus tum hebraeorum, tum etiam aliorum populorum orientalium.

Haec omnia *Introductionem Generalem* ad Sacram Scripturam constituent. simul cum *Historia* triplicis quaestionis.

Tamen libri singuli, sive ratione materiae, sive etiam ratione formae litterariae, auctoris, temporis etc. quasdam prae se ferunt difficultates, ad quas enucleandas, sicut et ad solvendas objectiones speciales quae contra determinatos libros adversarii adducunt, non sufficiunt ea quae *Introductio Generalis*, ut sibi propria



vindicat. Alia est igitur necessaria ad singulos libros *Introductio Particularis*, quae circa unumquemque librum, duplicem quaestionem, alteram, scilicet *criticam* de libri auctore, lingua, stylo, loco, tempore et de solutione obectorum, alteram vero *exegeticam*, de expositione quorundam locorum obscuriorum, et de conciliatione aliorum, prima fronte, pugnantium, proponet.

His omnibus addentur quaedam schemata praesertim historica, et catalogus interpretum catholicorum, protestantium et rationalistarum. •Et si quidem bene (*et ut huic operi competil*)..., hoc et ipse veim: sin autem minus digne, concedendum est mihi. • (1)

CURSUS SCRIPTURAE SACRAE

PARS PRIMA

seu

INTRODUCTIO GENERALIS

SECTIO I

De canone, textu originali et versionibus

Sacrae Scripturae.

Caput I

1. Quid nomine sacrorum librorum in genere intelligendum sit.=2. Libri sacri Indorum, Persarum, Sinensium, Romanorum et Mahumethanorum.=3. Diversa S. Scripturae nomina apud Patres aliosque scriptores.=4. Definitio S. Scripturae.=5. Num his temporibus utile ac etiam necessarium sit S. Scripturae studium.=6. Necessitas Introductionis generalis, et hujus historia. Quae notitiae sub nomine Introductionis generalis complectantur.=7. Introductionis particularis necessitas.=8. Processus historicus criticae tum haereticorum tum recentiorum incredulorum.=9. De numero et ordine topicorum in hac tractatione.

1. Libri sacri generatim hi vocantur, qui veras vel fictas manifestationes seu revelationes a Deo hominibus factas continent Omnes omnino Religiones originem sibi vindicant divinam; quare dogmata quae earum constituunt Theologiam, ut totidem coeles-

tes revelationes habentur. Quidam populi dantur qui, has quas autumant divinas manifestationes, orali tantum traditione, vel ad summum hieroglyphicis inscriptionibus, quae in ipsorum templis inveniuntur, conservant; sed apud alias Religiones, tota haec divina doctrina, scriptis consignata est in libris, qui summa coluntur veneratione.

2. Apud Indos, libri sacri dicuntur *Vedae*, et triplex opus constituunt, nempe, *Rig* (hymni, laudes), *Jajour* (ritus) et *Sama* (seu formulae et instructiones pro musicis.) Hoc sacrum opus a tota aeternitate procedit a Brahma, qui simul cum Vischnu et Siva, Trinitatem Indorum efformat. Sed haec aeterna Vedarum antiquitas est imaginaria, ut patet: et juxta criticam, hoc opus, ad summum, saeculo IX ante Christum compositum est; et non desunt qui affirmant, praedictum opustribuendum esse alicui scriptori religionum judaicae, christianae et mahumethanae perito.

Libri sacri Persarum sunt unus et viginti, ex quibus exurgit opus quod dicitur *Zend-Avesta* (verbum Dei.) Nunc non nisi tres ex his libris conservantur. Compositio omnium tribuitur Zoroastro, fundatori vel saltem reformatori *Parsismi* seu religionis antiquorum Persarum, quae quidem religio etiam *Magismus* vocatur, eo quod ejus sacerdotes *Magi* appellarentur. Fundamentale dogma hujus religionis est doctrina de duobus supremis principiis productivis, nempe Ormuzd et Ahriman. Pauca scimus de persona Zoroastri; juxta aliquos fuit sinensis, juxta alios vero in Judaea natus est. Sunt nonnulli qui putant ipsum fuisse Noe, vel Abraham, aut Cham, aut etiam Esdram. Juxta Platonem, plures sunt Zoroastri: probabiliter Zoroaster vixit saeculo VI ante Christum. Ad judicium ferendum de aetate *Zend-Avesta* notandum est, in his libris mentionem fieri Abrahami, Moysis, Josue et Salomonis, et praeterea judaismi atque christianismi vestigia inveniri.

Libri sacri Sinensium dicuntur *King*, et decem numerabantur pluribusque tribuntur auctoribus, sed praesertim Confucio philosopho saeculi VI ante Christum, cui post mortem sinenses etiam templa dedicarunt. Saeculo II post mortem Confucii, libri *Chou-King* in ignem missi sunt imperatoris jussu, quin unus quidem codex remaneret: sed, juxta sinenses, denuo libri illi restaurati sunt a sene quodam qui eos memoriter retinebat. (1)

(1) Plura de his libris religiosis invenies apud R. F. Rohrbacher. His. univ. de la Iglesia catol. Lib. XX, Tom. 2, pag. 555 et seqq.

Codices sacri Romanorum erant libri sibyllini. Sibyllae dicuntur mulieres quaedam á Diis inspiratae juxta popularem opinionem, quaeque in diversis temporibus regionibusque floruerunt. Quoad numerum Sibyllarum, non una est scriptorum sententia: juxta Varronem, cui critici generatim assentiunt, decem numerantur Sibyllae, scilicet; Persica, Libya, Delphica, Erythraea, Cimmeriana, Samica, Cumana, Hellespontica, Phrygia et Tiburtina. Inter omnes Sibyllas, eminet Cumana, quae ortum Christi ex Matre Virgine vaticinata est: quod quidem vaticinium Virgilius in suis eclogis Salonio, Asinii Pollionis consulis filio applicavit. Haec Sibylla obtulit Tarquinio Superbo novem libros propheticos magno pretio; cum vero Tarquinio plus quam justum videretur pretium, et idcirco libros nollet emere, tunc sibylla tres ex his libris in ignem conjecit, et pro reliquis idem pretium reclamabat; Tarquinio non consentiente, tres alios libros combussit, primitivum pretium pro tribus caeteris postulans: tunc Tarquinius, ne thesaurus ille periret, petitum pretium absolvit, et jussit libros illos a sacerdotibus custodiri, et non nisi in magnis calamitatibus consulebantur, prius habita Senatus licentia, et secus sub capitis poena. Hi libri perierunt in devastatione capitolii. Deinde Senatus, sicut etiam et Caesar Augustus legatos miserunt in Erythraeam, Trojam et alias regiones, qui quidem aliquos libros sibyllinos secum portaverunt, et magna a romanis tenebantur veneratione. Cicero de his libris notitiam habuit; et S. Agustinus, in suo opere de *Civitate Dei*, de quodam acrosticho loquitur sibyllae Erythraeae, cujus initialia verba, hunc efformant sensum: «*Jesus Christus, Filius Dei, Salvator.*»

Liber sacer Mahomethanorum dicitur *Alcoranus* seu *Koran*, id est, *lectio*, seu *quod legi debet*. Juxta Mahoma, hic liber ab aeterno fuit exaratus, sed ipsi a Gabriele Archangelo, spatio triginta annorum revelatus. Habet CXIV Capita, quae versibus distribuuntur. Dictio libri, sub adspectu litterario, est generatim correcta, et nonnumquam elocuentissima. Hic liber est codex politicus et religiosus mahomethanorum; in ipso jurant, ipsum secum portant in bello, et omnes mahomethani tenentur unum hujus libri codicem possidere.

Omnes hi libri, de quibus hactenus egimus, ut sacri et divini a quibusdam habentur; attamen eos nec quidquam habere divinum compertum est; omnes enim polytheismi, vel pantheismi aut fatalismi labe infecti sunt, vel saltem doctrinam moralem, ita carnalem

atque homini indignam exhibent, ut injuriosissimum esset eorum inspirationem Deo tribuere. (1)

3. Vera Sacra Scriptura, de qua hic est sermo, diversa nomina sortita est: nam in V. T. frequenter vocatur *Liber*, *Liber Domini*, *Volumen libri*; temporibus Jesu Christi, vocabatur *Scriptura sacra*, *divina*, *Libri sacri*, *Sacrae litterae*, etc, quibus quidem denominationibus usi sunt Patres. Juxta S. Gregorium M., Scripturae nihil aliud sunt nisi *Epistolae omnipotentis Dei ad creaturam*. Jam ab aetate Tertulliani, usus invaluit apud latinos, appellandi S. Scripturam, *Vetus et Novum Testamentum*, quod quidem nomen optime impositum fuit. Ipse etiam Tertullianus S. Scripturam vocat *Instrumentum*, eo quod fidem faciat sicut et instrumenta juridica. Alcuinus, Cassiodorus et S. Beda censuerunt Scripturas vocandas esse *Sacras Pandectas*, quia ut docet S. Augustinus, «quidquid homo extra didicerit, si noxium est, ibi damnatur, si utile est ibi invenitur.» (2)

4. Sacra Scriptura sic definiri potest: *Verbum Dei inspirante Spiritu Sancto conscriptum*; vel explicatius: *Catalogus librorum qui a Deo inspirati, et ut tales ab ecclesia Catholica propositi, partem continent Revelationis*. Unde ut aliquis liber dicatur et sit Sacra Scriptura, necesse est, 1.^o ut Deum habeat auctorem, nempe principalem, secundum Concilii Tridentini et Vaticani doctrinam (3); et 2.^o ut habeat testimonium externum ecclesiae, quatenus nempe haec illum librum in suo Canone receperit: unde hoc testimonio deficiente, liber, quamvis in se divinitus inspiratus sit, tamen quoad nos nequit dici Sacra Scriptura; talis erat conditio librorum deuterocanonicorum, prius quam ab Ecclesia in Canone fuerint recepti.

In allata definitione dicitur «*partem continent Revelationis*» quia juxta catholicos, Sacra Scriptura non est unicus Revelationis fons, sed plura sunt dogmata quae non nisi per traditionem ad nos usque pervenerunt.

5. Sacrae Scripturae lectio et studium, minime est omnibus christianis indiscriminatim omnino necessarium, ut quidam dixerunt. Si vero de candidatis sanctuarii et praeertim de sacerdotibus sermo sit, praedicta necessitas manifesta est. Nam sacerdotis officium est, fidelibus viam salutis ostendere, ante omnia seipsum

(1) Conf. Hist. Univers. Cesar Cantú, Tom. I et II; et etiam Man. Biblic. Vigouroux, Ant. Test. P. I. Secc. I, Cap. III, Art. II.

(2) Doctrin. Christ. Lib. II, c. 42.

(3) Conc. Trid. Sess. 4.^a; et Vatic. Const. *Dei Filius*, cap. II.

praebens in omnibus exemplum bonorum operum (1): jam vero, dicente Apostolo; (2) «Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum.... ut perfectus sit homo Dei et ad omne opus bonum instructus»; deinde sacerdos, verbum Dei praedicare tenetur; quod quidem fructuose ac laudabiliter non fiet ab ipso, nisi saepe oculis animisque Sacras Scripturas perlegat, ut earum assidua lectione et meditatione verum Scripturarum sensum hauriat et potens sit fidelibus sanctitatis et doctrinae bona dispensare, sicut et documenta correptionis et solatii pro eorum necessitatibus et rerum adjunctis: unde ait S. Gregorius Magn. «Qui ad verae praedicationis verba se praeparat, necesse est ut eorum origines a sacris paginis sumat; ut omne quod loquitur ad divinae auctoritatis fundamentum revocet, atque in eo aedificium locutionis suae fundetur.» (3) Praeterea aliud sacerdotis officium est, ut ait Apostolus «eos qui contradicunt arguere» (4) quod vero sint qui contradicant, indubium est; nam in primis, haeretici Scripturis abutuntur, falsis adhibitis interpretationibus ad suos errores cohonestandos; ex alia parte, recentiores increduli, omnem divinam inspirationem omnemque supernaturalem ordinem, audacter negant, suasque negationes confirmare conantur argumentis desumptis ex omnibus scientiis et artibus, ut omnibus jam notum est. Sacerdotes ergo, quos zelus domus Dei comedit, manibus pedibusque laborare tenentur, ut rationalistarum sophismata, machinationes et emolumenta detegant et dissipent et in nihilum redigant.

Hinc quod tantopere Patres Scripturarum studium commendent. «Scripturam Sacram, ait S. Hieronymus, diu noctuque sic mente revolvat, ut tenenti codicem somnus obrepat, et cadentem faciem pagina sancta suscipiat.» (5) Et Nepotiano scribit: «Divinas Scripturas saepius lege, imo numquam de manibus tuis sacra lectio deponatur» (6) S. Augustinus de christiano praedicator ait: «Sapienter dicit homo tanto magis vel minus, quanto in Scripturis sanctis magis minusve profecit.» (7) Et sic alii Patres, praesertim Chrysostomus.

(1) II ad Timoth. III, 16-17.

(2) Ad Tit. II, 7.

(3) In Job. XXVIII, 1.

(4) Ad Tit. I, 9.

(5) Epist. ad Eustoch.

(6) Epist. 34.

(7) De Doct. Christ. Lib. IV, c. 5.

Demum Conc. Trid. lectionem publicam S. Scripturae instituit et praebendam Lectoralem creavit, «ne coelestis ille sacrorum librorum thesaurus, quem Spiritus Sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus jaceat.» (1)

6. *Introductio in praesenti materia, idem est ac complexus earum notitiarum quae mentem hominis disponunt ad rectam sacram Scripturarum intelligentiam.*

Necessitas *Introductionis* ex ipsa sacrae Scripturae natura fluit; nam contra id quod protestantes asserunt, libri sacri obscuritatibus et difficultatibus pleni sunt, ratione materiae, linguae, aetatis, gentis, locorum etc., etc. Hanc Scripturae obscuritatem evidentissime confirmant omnes tractatus hermeneutici, isagogae sacrae, introductiones, historiae criticae aliqui labores hujus generis, quibus ipsi protestantes tum antiqui, tum recentiores, se suosque, ad Scripturarum studium praeparant.

Haec introductionis seu praeparationis necessitas, antiquos Ecclesiae Patres non latuit; et quamvis nullam scientificam tractationem in lucem prodierit usque ad S. Augustinum, tamen plura de hac re sparsim tradiderunt Origenes, S. Hieronymus tum in suis *Praefationibus* in libros sacros, tum etiam in prima parte *Catalogi virorum illustrium*; S. Joann. Chrysostomus, Theodorus Mopsuestanus, Theodoretus aliique.

S. Augustinus haec omnia collegit, et sub forma scientifica proposuit in suo opere *De Doctrina Christiana*, ubi non modo de praeceptis interpretationis, sed etiam de librorum sacrorum auctoritate deque eorum canone disserit.

Hoc ipsum praestitit Junilius Africanus in duobus libris, quos inscripsit *Instituta regularia divinae legis*. Saeculo VI, Adrianus monachus intergra ecos *Isagoge in divinas Scripturas*, et Cassiodorus primus inter latinos, librum *De Institutione divinarum litterarum*, libris introductoriis adnumerarunt.

Medio aevo, nihil novi in hac disciplina occurrit, quamvis non nulli scriptores sparsim et in prolegomenis sacrorum librorum quasdam introductorias quaestiones attingant (2).

Cum saeculo XVI Protestantes, repudiato Ecclesiae magisterio, Sacram Scripturam unicum fidei fontem proclamassent, ma-

(1) Sess. V, cap. I. de reform.

(2) Conf. Hug. a S. Vict. *De scripturis et scriptoribus*; S. Bonaventura *Breviloq. Prooemia*; S. Thom. *Summ. Theol.*, I. Quaest. I, art. 10; et *Quodlib.* VII. q. 6.

gnoque apparatu eruditionis et ingenii acumine eam tractassent, quo facilius Scripturarias sententias ad suos errores possent accomodare, etiam catholici, adversariorum exemplo excitati, totam Scripturam diligentius perscrutari conati sunt, ad errores refellendos, falsas sacri textus interpretationes explodendas, et catholicorum dogmatum Scripturaria fundamenta sarta tectaque servanda. Quare merito dici potest, Tractatum Introductionis, saeculo XVI natum esse.

Ex hoc tempore innumera fere prodierunt scripta introductoria summorum virorum, inter quos, primo loco recenseri debet Sixtus Senensis O. P., qui haec opera scripsit: *Ars interpretandi scripturas sacras absolutissima*; et praesertim opus cui titulus *Bibliotheca Sancta*. Hoc eodem saeculo prodiit *Isagoge in sacras litteras*, sanctis Pagnini O. P.

Saeculo XVII, *Disquisitiones biblicae*, Frassen; *Prolegomena biblica* Salmeronis; *Praeloquia in totam S. Scripturam* Bonfrerii; *Apparatus biblicus* B. Lamy, et *Histoire critique du Vieux Testament*. (Paris 1678) et *Histoire critique du Nouveau Testament*. (Rotterd), celeberrimi Richardi Simon, Congr. Orat.

Saeculo XVIII, habemus *Commentaria* A. Calmet, *Introductio in S. Scripturam* Herm. Goldhagen etc.

Saeculo XIX, notari debent, plures introductiones germanica lingua exaratae, et a Schotz, Mayer, Hanneberg aliisque catholicis viris in Germania vulgatae: *Introductio in sacros N. T. libros* Guntner; *Historia Revelationis tum V. tum N. Testamenti*, et *De S. Scriptura, ejusque interpretatione Commentarius*, Danko; *Horae Syriacae*, Card. Wiseman; *Introduction historique et critique* etc. I. B. Glaire; *Hermeneutica sacra*, J. H. Janssens; *Man. biblique*, Vigouroux; *Introductio in Sacram Scripturam*, U. Ubal-di; *Historica et critica introductio in U. T. libros sacros*, R. Cornely; *Cursus Scripturae Sacrae* F. X. Schouppe; *Manuale Isagogicum in S. Biblia*, F. X. Caminero, et *Cursus Theologicus* P. Pet. Fernandez.

De Introductione apud Protestantes et rationalistas, pauca alio hujus capitis loco dicemus.

Notitiae quae sub *Introductione* generali complectuntur hae sunt proecipuae: *Philologia*, seu scientifica cognitio linguarum originalium, quibus libri sacri exaratisunt, et earum etiam in quas originalis textus primitus translatus fuit.

Historia sacra populi hebraici et Christi Domini, comparata



cum historia profana contemporanea; ubi de *Chronologia* et de *Geographia* praesertim regionum de quibus in sacris libris mentio fit, et etiam populorum affinium.

Archaeologia biblica quae de antiquitatibus religiosis, civilibus et domesticis tum hebraeorum, tum etiam aliorum populorum orientalium agit.

Hermeneutica generalis, quae regulas generales statuit ad rectam interpretationem S. Scripturae universim sumptae.

Critica generalis, quae principia generalia docet quibus librorum sacrorum divina inspiratio, canonicitas et etiam humana authenticitas dignoscitur, et media praebet ad hos libros ab apocryphis secernendos.

7. Sed praeter hanc *Introductionem generalem*, alia est necessaria *Introductio particularis*. Et quidem, nemo sanae mentis dicet eadem facilitate interpretari posse libros propheticos ac historicos: ex alia parte, lingua et stylus diversam offerunt difficultatem in diversis libris: demum adversarii, non easdem proponunt objectiones contra omnes libros sacros: ergo unusquisque liber suam propriam tractationem vindicat, quae quidem duas complectitur partes, nempe, *Critica* particularis, quae de libri auctoritate divina et humana agat, adversariorumque objecta in nihilum redigat; et *Exegetica* seu *Hermeneutica* particularis, quae obscura loca exponat apparentesque contradictiones evanescat.

Habita ratione actualis status criticae rationalistae quae omnibus modis atque mediis Sacrorum librorum divinam humanamque auctoritatem evertere conatur, non sufficit scripturario catholico eas possidere notitias quae ab hinc 30 vel 40 annis, *Introductio generalis* complectebatur, sed etiam in scientiis naturalibus, praesertim in geologia, palaeontologia, archaeologia praehistorica et aliis, sicut etiam in inventis archaeologicis Palaestinae, Assyriae et Aegypti ipsum oportet esse eruditum; nam rationalistae his omnibus abutuntur.

8. Hoc fuit omnibus haeticis commune, nempe, S. Scripturas suis erroribus accommodare; et quando hoc, sub aliqua veri specie fieri non posset, sensum sacrorum librorum contorquere, et cum necessitas postularet, libros ipsos mutilare: sic ebionitae mutilarunt Evangelium Matthaei, et Marci truncavit Evangelium Lucae; et ariani, monothelitae omnesque alii haeretici verum Scripturae sensum depravarunt. Tamen auctori-

tem Ecclesiae docentis in S. Scripturam non negabant dummodo ecclesiasticae damnationes, non ipsos sed alios hereticos attingerent. Sed postea Joannes de Hus, Wiclef alique, per idem absolutae libertatis, aliquo modo inchoarunt, qui quidem libertatis spiritus, velut fundamentale dogma a psaeudoreformatoribus sancitum fuit; nam juxta ipsos, unicus Revelationis fons est Sacra Scriptura, et unicus et legitimus interpret ipsius, est spiritus privatus et individualis absque ulla dependentia ab Ecclesiae magisterio. Ait enim Lutherus: «His et similibus multis locis, tum Evangelii, tum totius Scripturae, quibus admonemur, ne falsis doctoribus credamus, quid aliud docemur quam ut nostrae propriae quisquis pro se salutis rationem habens, certus sit, quid credat et sequatur, ac judex liberrimus sit omnium qui docent eum, *intus a Deo solo edoctus.*?» (1) Et Zuinglius: «¿Quis sit magister fidelium? Non patres, non doctores titulo superbi, non magistri nostri, non pontificum coetus, non sedes, non scholae nec concilia, sed Pater D. N. J. C.... Verba Spiritus Sancti clara sunt, doctrina Dei clara est, docet et hominis animum sine ullo humanae rationis additamento, de salute certiorum reddit.» (2) Ad haec statuenda, protestantes abutebantur hoc textu Apostoli ad Ephesios: «Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi» (3) quasi haec gratia fidelibus concederetur independenter a corpore mystico cujus caput est Christus, ut sapienter notavit Melchior Canus. (4)

Hac absoluta interpretationis libertate statuta, protestantes, ut cuique libuit, modo hujus modo illius libri sacri divinam humanamque negabant auctoritatem, ita ut bene dici possit, totam

(1) De inst. minist. Eccl.

(2) De vera et falsa relig. tom. 2, pág. 169.

(3) Ad Eph. IV, 7.

(4) Ait enim hic sapientissimus theologus: «Membrum igitur quoniam id, quod totius corporis est, nihil sibi vindicat proprium, sed ita in corpore omnia confert, ut magis corporis, quam membri actiones perfectionesque esse videantur.... Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Quacuam vero haec mensura Christi est? Secundum operationem, ait, in mensuram uniuscujusque membri, Spiritus ergo, suo quidem modo, singulis promissus est ut magnos doceat et parvulos. Ac parvulis lac potum dat, majoribus solidum cibum. Illis Christum loquitur et hunc crucifixum, his loquitur sapientiam in mysterio absconditam. Verum singulis membris sic spiritus veritatis adest, ut non solum corpori universo non desit, sed corpori quam membris prius potiusque intelligatur adesse.» De locis theol. Lib IV, Cap. 4.

S. Scripturam admissam rejectamquen fuisse ab omnibus protestantibus universim sumptis: tamen adhuc supernaturalismi pallio indubitatum rationalismum cooperiebant. Sed lapsu temporis et vi logicae, abscondita principii fundamentalis consecutaria protestantismi in lucem prodierunt, et rationalismo et nomen et vitam dederunt. Juxta rationalistas, inter quos eminent, Spinoza, Herbert, Locke, Voltaire, Semler, Renan, Baur, Strauss et generatim schola Tubingensis, ordo supernaturalis nec datur nec dari potest, et idcirco omnia illa quae in sacris libris narrantur, et naturalem non patiuntur explicationem, inter fabulas et mythos amandanda sunt. (1) Unde diversa systemata a rationalistis inventa sunt, ut omnia miracula, de quibus in sacris libris mentio fit, exclusivo naturalium causarum concursu explicentur. Sed de his nonnulla alibi dicemus, cum de exegesi rationalistarum sermo sit.

9. Topica in hac tractatione, hoc ordine recensentur: 1.^{um} Ipsa Sacra Scriptura; nam studiosam meditationem et comparisonem sacrorum librorum, ad eorum originem, scopum et indolem investigandam, nec non ad obscuriorum textuum aperiendum sensum, multum conferre, nemini dubium esse potest, qui scripturaria studia quamvis leviter attigerit.

2.^{um} Summorum Pontificum et Conciliorum oecumenicorum et etiam particularium decreta: testes sunt enim omni auctoritate dignissimi relate ad fidem quae illorum aetate viguit circa libros sacros.

3.^{um} Antiqui Patres, praesertim Tertullianus, Origenes, S.S. Augustinus, Hieronymus, et Isidorus Hisp. alique, qui pluribus vetustissimis documentis uti potuerunt ad sacrorum librorum intimam naturam agnoscendam.

4.^{um} Interpretes catholici moderni, praesertim hi qui antiquorum labores non minus facientes, actuali statui scientifico et critico suos labores accommodant. Et magno veroque animi solatio fateri debemus, his calamitosis temporibus non deesse sapientissimos siros, ut Cornely, Vigouroux, Ubaldi, Patrizi, Zigliara, Zanecchia, etc., et inter hispanos, Card. González, Caminero, Mir, Mendive, Fernandez, Vigil, Camara, Valbuena, etc.,

(1) Bolingbroke ausus est comparare S. Scripturam, quoad ipsam auctoritatem historicam, cum celeberrima legenda hispana, cui titulus D. Quijote de la Mancha!

qui pro veritate historica et scientifica sacrorum librorum ostendenda, bene meruerunt.

Caput II

10. Multiplex acceptio hujus vocis *Canon*. = 11. Quid nomine canonis in praesenti materia intelligendum sit. = 12. In quo differant liber apocryphus, divinus, canonicus et ecclesiasticus. Quotuplici sensu, apud aliquos Patres, liber aliquis dicatur apocryphus. Praecipui libri apocryphi tum V. tum N. Testamenti: Quid dicendum de Epistola D. N. J. C. ad regem Abgarum, et de Epistolis D. Pauli ad Senecam. = 13. Auctoritas quae jure ac obligatorio modo canonicitatem alicujus libri declarat, infallibilis esse debet. = 14. Quot sint libri canonici juxta Conc. Tridentinum. = 15. Divisiones sacrorum librorum ratione temporis, argumenti et eorum inclusionis in canone. Libri proto et deuterocanonici utriusque testamenti. Causae seu rationes ob quas aliqui libri seu librorum fragmenta non ab initio in canone recepta fuerint. Num aliquis liber divinitus inspiratus deperditus sit. = 16. Utilitas studii librorum apocryphorum. Horum librorum praecipuae collectiones.

10. *Canon* (Κανον) vox graeca est, quae etymologice regulam sen normam significat: tamen ex usu plures patitur acceptiones, nempe: 1.^a apud musicos, canon idem est ac fuga aperta, clausa et aenigmatica: 2.^a pars quaedam liturgiae Missae: 3.^a Quod annuatim vel alio modo in recognitionem dominii directi solvitur: 4.^a Catalogus sen elenchus clericorum peculiari cuidam Ecclesiae addictorum, ut hi qui in Cathedralibus Capitulum constituunt, quique ideo canonici vocantur: 5.^a Decreta Conciliorum et Romanorum Pontificum, quae credendi et agendi normam constituunt.

11. In praesenti materia, Canon idem est ac *catalogus librorum qui divinitus inspirati sunt, et ut tales ab Ecclesia solemniter declarantur*. Impositio nominis optima est; nam, ut diximus, canon regulam sen normam significat; jam vero, evidens est, Sacram Scripturam credendorum et agendorum regulam seu normam constituere.

12. Dicitur *canonicus* liber ille, cujus divina inspiratio nobis auctoritate Ecclesiae constat: liber *divinus* ille dicitur qui a Deo inspiratus est, sed deficit testimonium Ecclesiae quae ipsius inspirationem declaret; tales erant libri deuterocanonici ante eorum receptionem in canone: ab antiquis, et etiam a Sixto Senensi, Bellarmino et aliis, vocantur *ecclesiastici*, libri

illi qui olim publice in ecclesiis legebantur, tamen non erant in canone: (1) demum libri *apocryphi* vocabantur libri antiquarum religionum qui in locis arcanis servabantur. S. Hieronymus non numquam vocat apocryphos libros illos, cujus divinam inspirationem non negabat, qui tamen ab Ecclesia non semper in canone recepti sunt. (2) Etiam dicuntur apocryphi apud Patres libri illi, qui ut auctori tribuuntur alicui qui eos non scripsit; tales sunt probabiliter epistolae S. Pauli ad Senecam: et demum quandoque Patres vocant apocryphos illos libros qui errores et immoralitates continent.

Inter libros apocryphos V. T. numerantur: 1.º, *Esdrae liber III*, qui est epitome quaedam Paralip. et legitimi libri Esdrae; et *IV Esdrae*, seu apocalypsis quaedam visiones continens similes Ezechielis et Danielis, et miraculosam restaurationem canonis ad Esdra peractam.

2.º *Liber III Machabaeorum*, qui unam de Ptolemaeis persecutionem refert, mirumque modum quo judaei liberati sunt; et *IV Machabaeorum*, qui compendium est duorum priorum Machabaeorum, et historiam continet fere usque ad tempora Christi Domini. Machabaeorum III, magnam nactus est auctoritatem, eo quod Canones apostolici et quidam graeci Patres illum ut divinitus inspiratum habuerint.

3.º *Psalterium Salomonis*, decem et octo psalmos continens, quodque temporibus D. N. J. C. vicinis compositum est, quippe de Pompeji bello nonnulla refert, et de rege intruso tyranno Jerusalem (nempe de Herode) lamentatur. Etiam Psalmus 151 apocryphus est, qui a Davide supponitur scriptus post victoriam adversus Goliath.

4.º *Apocalypses Esdrae et Moysis*: in hac postrema fit allusio ad Apocalypsim Ioannis, XII et XXIX, ubi dicitur Michaellem Archangelum in infernum praecipitasse decimam partem spirituum eorum qui diluvio perierunt.

5.º *Parva Genesis*, ubi legitur Archangelum Gabrielem Moysi in Arabia revelasse historiam creationis et conditionis primi hominis etc.

6.º *Liber Enoch*, de quo quidam dicunt S. Judam transtulisse quod de contentione inter Michaellem Archangelum et

(1) Ruffinus in Symbolo.

(2) Cons. Praef. in lib. Salom.

diabolum circa sepulturam Moysis scribit in sua Epistola. Sed probabiliter liber Enoch posterior est epistolae S. Judae, cum de ipso nullum adsit vestigium, usque ad S. Clementem Alex. Originem et Tertullianum.

7.^o *Testamentum duodecim Patriarcharum*, ubi duodecim filii Jacob, filios suos admonent de futuris. Generatim creditur, hunc librum exaratum fuisse post Christum.

8.^o *Epistola Baruch ad decem tribus*, graece exarata, ubi solatur populum, vaticinatur ruinam Jerusalem et Templi; praedicat ut proximum extremum judicium et hortatur suos ad servandam Legem. Juxta criticos, hic liber scriptus fuit ab aliquo judaeo hellenista anno 70 Christi.

9.^o Demum est etiam apocrypha *Oratio Manasses regis Juda*, petentis a Deo remissionem peccatorum suorum in captivitate Babylonica.

Apocryphi N. T. plures numerantur: in primis *Evangelia*, quae dividi possunt in *judaica*, *antijudaica* et *orthodoxa*.

1.^{um} *Evangelia judaica* generatim sunt, ipsa genuina Evangelia ajudaeis mutilata et depravata; inter ea, primum locum obtinet *Evangelium secundum Hebraeos*, quod etiam vocatur *Duodecim Apostolorum*, et etiam *Nazaraeorum*, lingua syro-chaldaica characteribus hebraeis exaratum, ut affirmat S. Hieronymus, qui illud latine et graece transtulit ex quodam codice Nazaraeorum de Berea. Juxta hunc Doctorem, Evangelium Nazaraeorum erat ipsummet S. Matthaei Evangelium, quamvis satis mutatum, et S. Epiphanius suspicatur, ebionitas duo priora capita S. Matthaei mutilasse. Cohærenter ad hanc S. Epiphanii sententiam, plures existimant, S. Matthaëum primitus suum Evangelium hebraice scripsisse, sed statim ab ipso Evangelista vel ab alio scriptore coaevo in graecum translatum fuisse. Textus tamen originalis apud Palaestinae christianos mansit, qui eum secum adsportaverunt, cum trans Jordanem sese constituerunt: ibique a caeteris christianis disjuncti, et veteri Legi nimium adhaerentes ebionismo locum dederunt, et ad suos errores cohonestandos S. Matthaei Evangelium adulterarunt.

Alterum Evangelium apocryphum est *Evangelium S. Bartholomaei*, nempe ipsum S. Matthaei Evangelium quod S. Bartholomaeus secum tulit cum profectus est in Aethiopiam, quodque juxta Eusebium, inventum fuit a S. Pantaeno, characteribus hebraeis exaratum, sed jam corruptum ab haereticis.

Evangelium S. Barnabae, est versio quaedam graeca et vi-tiata Evangelii Nazaraeorum.

Evangelia Cerinthi, Carpocratis et S. Petri sunt ipsum Evangelium Nazaraeorum a docetis aliisque haereticis magis vel minus interpolatum.

2.^{um} *Evangelia antijudaica*, inventa et composita sunt ab haereticis non sectatoribus judaismi: inter ea, primum sibi vindicat locum, *Evangelium Marcionis*, quod non est aliud nisi ipsum S. Lucae Evangelium, cui desunt duo priora capita quae erroribus Marcionis non favebant. Baur asseruit, verum S. Lucae Evangelium esse Evangelium Marcionis; illud vero quod nunc ut S. Lucae opus habemus, multo post scriptum fuisse ad conciliandos Petrinianos et Paulinianos. Sed hoc falsum est: Tertullianus namque docet, Marcionem truncasse Evangelium S. Lucae.

Apelles, Marcionis, discipulus, suum etiam habuit Evangelium, vel saltem ab Origine et S. Hieronymo accusatur de corruptione Evangeliorum.

Basilides quoque, teste Origine, quoddam composuit Evangelium: et demum Valentinianorum Evangelium omnino discrepat a nostris Evangeliiis secundum S. Irenaei sententiam. His addi debe *Evangelium Judae* seu *Cainitarum*, quod nihil est aliud nisi apologia Judae proditoris, cui nostra Redemptio debetur, eo quod Jesum tradidisset, cum hic timori perterritus, passionem et mortem fugere statuit in horto Gethsemani.

Alia etiam numerantur Evangelia hujus generis, ut *Evangelium Evae*, *Perfectionis*, *Philippi*, etc., quae specialem mentionem non merentur.

3.^{um} Quaedam Evangelia apocrypha dicuntur *orthodoxa* non quod veram et divinitus inspiratam doctrinam contineant, sed quia bona sanaque intentione scripta sunt, ad Christi Domini, ejusque Matris Mariae et S. Joseph personas virtutesque commendandas.

Primum ex his Evangeliiis est *Evangelium S. Jacobi Minoris* quod ab Oriente adportatus fuit a W. Portel, et baptizatum nomine *Proto Evangelii*. Origenes et Tertullianus hoc Evangelium cognoverunt, quod initio II saeculo compositum fuit: historiam continet B. Virginis genitorum, ipsiusque Mariae usque ad ortum Christi. Inter omnes editiones graecas, optima est Tischendorf.

Nonnulli Patres, ut Origenes et S. Irenaeus loquuntur de

Evangelio S. Thomae, quod quidem refert plura miracula a puero Jesu patrata in Aegypto et Nazareth.

Evangelium infantiae, plura continet de Satana, de daemonibus et artibus magicis.

Evangelium Nicodemi duas complectitur partes, scilicet *Acta Pilati* et *Descensus Jesu ad inferos*. Quoad primam partem hujus libri, dicitur Pilatum ad Caesarem Tiberium misisse relationem quamdam de judicio et sententia Christi: quod cum notum fuisset judaeis, quidam ex eis, jam christianus, initio saeculi II hunc librum evulgavit, ut omnibus nota esset Christi innocentia, et ipsius resurrectio et ascensio in coelum. Hic liber magnam nactus est auctoritatem, ita ut S. Justinus eo utatur veluti instrumento publico, et Tertullianus asserat ipsum in imperialibus archivis inveniri. Sed imperator Maximianus alia *Acta* scribi jussit initio saeculi IV plena calumniis adversus Christum, ut *Acta Pilati* minime praevalerent.

Secunda hujus libri pars, relationem verbalem continet Si- meonis senis filiorum redivivorum cum Christo, de his quae Salvator docuit et fecit in illo loco ubi detinebantur animae justorum.

Libri Actuum apocryphi plures sunt, et S.S. Petro, Paulo, Andraeae et Mathiae tribuuntur.

Inter *Epistolas* apocryphas, primum locum obtinet illa quae a D. N. J. C. supponitur scripta et missa ad regem Abgarum, regionis Osroe in Syria cujus caput Edessa; quae quidem Epistola est responsio ad aliam a rege Abgaro, Christo Domino missam. Eusebius has epistolas ut authenticas proponit: sed communiter critici eas ut spurias rejiciunt. «Fortasse, ait Ubal- di, media sententia probabilior erit, si, scilicet dicamus, Abgarum regem revera Christum consuluisse, ut ab eo sanitatem peteret, Christum autem responsum non quidem scripto consignatum sed viva voce traditum per discipulum ad eum misisse, deinceps vero a discipulis seu primaevis Syriae fidelibus responsum illud scripto consignatum fuisse» (1).

(1) Introd. in S. Scrip. P. II., Sect. II, Cap. IV, Art. II. Ex ipso Ubal- di transcribimus utramque epistolam, ut leguntur apud Eusebium juxta versionem Valesii.—Exemplum Epistolae scriptae a Rege Abgaro ad Jesum, et ad eum missae Hierosolymam per Ananiam Cursorem: «Abgarus »princeps Edessae, Jesu servatori bono, qui in finibus Hierosolimorum »apparuit, Salutem.—Nuntiatum est mihi de Te, et de curationibus, quas



Inter apocryphos etiam numerantur, quaedam Epistola B., M. Virginis ad S. Ignatium Antioch., et alia S. Ignatii ad B. M. Virginem.

Quoad Epistolas apocryphas quae Apostolo tribuuntur, habemus in primis *Epistolam ad Laodiceños*, fortasse inventa occasione IV, 16 ad Coloss: «Et cum lecta fuerit apud vos epistola haec, facite ut in Laodicentium Ecclesia legatur; et eam, quae Laodicentium est, vos legatis.» Plures credunt, quamvis non magna probabilitate, meo saltem iudicio, hic agi de quadam epistola a Laodicensibus missa ad Apostolum. In antiquissimis codicibus graecis et latinis haec epistola invenitur, quam latine vulgavit Sixtus Senensis in sua Bibliotheca Sancta (1). S. Hieronymus enumeratis Pauli Epistolis, ait: «Legunt quidam et ad Laodicenses, sed ab omnibus exploditur» (2). Non desunt qui existiment, epistolam ad Laodicenses esse opus Apostoli, quamvis ab haereticis corruptum, quod quidem probabilitate non caret.

Celebres sunt etiam sex epistolae Pauli ad Senecam, et octo Senecae ad Paulum, quae quidam laudatae fuerunt a S.S. Hieronymo et Augustino. (3) Morales sunt, et nihil pravi continent; et cum ex alia parte, benigne acceptus fuerit S. Paulus a praefecto Burrho Senecae amico, nonnullis antiquis probabillis visa

»absque herbis et medicamentis operaris. Fama enim est coecis visum, claudis gressum abs te restitui, leprosos mundari, daemones et immundos spiritus expelli, diuturnis morbis oppressos sanari, mortuos denique suscitari. »Quae cum omnia de Te audirem, sic in animum meum induxi, aut Te revera Deum esse, qui e coelo delapsus haec efficias, aut certo Dei Filium. »Proinde ad Te scripsi, orans ut nos invisere, morbumque nostrum sanare non graveris. Audio enim Judaeos tibi obtrectare, et insidias in caput tuum struere. Est mihi civitas, parva quidem illa, sed ornata, quae nostrum utrique sufficiat. »Hacc quidem Abgarus ad Christum (subdit Eusebius): Cristi autem responsum postea subjicitur in hunc modum. »Rescriptum Jesu ad Abgarum regem Edessae per Ananiam Cursorem. Beatus es »Abgare, qui in me credideris, quem non vidisti. De me enim scriptum est: »eos qui me viderint non creditur» in me, ut hi qui non viderint credentes vitam accipiant. Quod vero ad me scribis ut ad te proficiscar, hic necesse »habeo omnia implere, propter quae sum missus, iisque demum absolutis, »ad illum qui me misit reverti. Caeterum cum primum ad me recepero ex »discipulis meis aliquem ad te mittam, qui et primum tuum curet, et vitam »tibi, tuisque omnibus praestet.» Ubaldi loc. cit.

(1) Biblioth. Sanct. Lib. II. Paulus.

(2) De vir. illust. in Paulo 6.

(3) Epist. 54 ad Macedonium.

fuit authentia harum Epistolarum, quae apud Sixtum Senensem, opere citato, legi possunt. Hoc tamen hodie negatur a criticis, eo quod laudatae epistolae nec Pauli nec Senecae stylium praeseferant, et insuper quia quaedam occurrunt Romanae chronologiae repugnantia. Quidam, ut Natalis Alexander, Card. Gotti alique opinantur, genuinas D. Pauli ad Senecam epistolas extitisse, de quibus loquuntur S. Hieronymus et S. Augustinus, quae tamen epistolae perierunt, et aliae sub eodem titulo postea inventae sunt. Aliis demum videtur, has epistolas vere esse Apostoli, quamvis non divinitus inspiratas, sed amicitiae causa ad legem moralem inculcandam scriptas.

Inter *Apocalypses* apocryphas, numerantur S.S. Petri, Pauli, Thomae, Bartholomaei aliaeque.

13. Certissimum est, auctoritatem, quae jure ac obligatorio modo, canonicitatem, et idcirco divinam inspirationem alicujus libri declarat, infallibilem esse debere. Haec assertio militat contra protestantes, qui, mediis tantum humanis seu historicis, canonem sacrorum librorum statuere conati sunt. Et quidem in Veteri Lege, divina aliujus libri inspiratio constabat ex auctoritate prophetarum, qui miraculis suam missionem esse divinam ostendebant: in Evangelica etiam Lege, Christus et discipuli ejus, veritatem dogmatum quae praedicabant, miraculis et portentosis operibus demonstrabant: ergo propositio librorum qui ut divinitus inspirati haberi debeant, non ab alio fieri potest jure ac obligatorio modo, nisi ab illo qui aliquo supernaturali dono gaudeat: hoc vero donum in praesenti materia, nihil est aliud quam infallibilitas: fundamentum enim fidei supernaturalis, est auctoritas etiam supernaturalis seu omnino infallibilis.

14. Concilium Tridentinum, sessione IV, in decreto de canonicis Scripturis, indicem canonicum Sacrorum librorum his verbis statuit: «Sacrosanta oecumenica et generalis Tridentina Synodus in Spiritu Sancto legitime congregata.... sacrorum librorum indicem huic decreto adscribendum censuit, ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint qui ab ipsa Synodo suscipiuntur. Sunt vero infra scripti: Testamenti Veteris, quinque Moysis, id est; Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; Josue, Judicum, Ruth, Quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdrae primus, et secundus, qui dicitur Nehemias; Tobias, Judith, Esther, Job, Psalterium Davidicum centum quinquaginta psalmorum, Parabola, Ecclesiastes, Canticum Can-

ticorum, Sapientia, Ecclesiasticus; Isaias, Jeremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel: Duodecim prophetae minores, id est; Oseas, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michaeas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, Malachias: duo Machabaeorum, primus et secundus. Testamenti Novi, quatuor Evangelia, secundum Matthaeum, Marcum, Lucam et Joannem: Actus Apostolorum a Luca Evangelista conscripti; quatuordecim Epistolae Pauli Apostoli; ad Romanos, duae ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duae ad Thessalonicenses, duae ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebraeos: Petri Apostoli duae, Joannis Apostoli tres, Jacobi Apostoli una, Judae Apostoli una, et Apocalypsis Joannis Apostoli.»

15. Sacrae Scripturae libri ratione *temporis* dividuntur in Vetus et Novum Testamentum. Vetus Testamentum complectitur omnes illos libros qui ante Christum scripti sunt, nempe a Genesi ad secundum Machabaeorum: ad Novum Testamentum omnes illi pertinent qui fuerunt exarati post Christum, scilicet ab Evangelio Matthaei ad Apocalypsim Joannis.

Ratione *argumenti*, antiquitus judaei distribuebant libros Veteris Testamenti in tres classes, nempe, in *Legem*, *Prophetas* et *Hagiographos*, vel Psalmos. (1) Prima pars seu *Lex*, continet tantum Pentateuchum Mosaicum. Altera, id est, *Propethae*, in duas subdividitur sectiones; complectitur namque *Prophetas priores*, seu libros Josue, Judicum, Samuel (I et II Reg), Regum (III et IV. Reg); et *posteriores*, id est Isaiam, Jeremiam, Ezechielem et duodecim prophetas minores. Tertia demum pars, seu *Hagiographi* sunt Psalmi, Proverbia, Job, Canticum, Ruth, Threni, Ecclesiastes, Esther, Daniel, Esdras, Nehemias et Paralipomena.

Quoad rationem hujus divisionis variae dantur sententiae, de quibus nihil dicemus brevitatis gratia. (2)

Vulgaris est divisio librorum utriusque Testamenti, in Legales, Sapientiales, Historicos et Propheticos. Libri *legales* V. T. sunt quinque Moysis; N. T. vero quatuor Evangelia. *Sapientiales* V. T. sunt Job, Psalterium, Proverbia, Canticum, Ecclesiastes, Sapientia et Ecclesiasticus; N. T. omnes Epistolae. *Historici* V. T. numerantur Josue, Judicum, Ruth, quatuor Regum,

(1) Quoad hanc divisionem conf. Prol. Eccli. et Luc. XXIV, 44.

(2) Vid. Cornely, Introd. gener. Dissert. I, Cap. I; et Lamy, Appar. Biblic. Lib. II. Cap. III.

duo Paralip; duo Esdrae, Tobias, Judith, Esther et duo Machabaeorum: N. T. unus tantum, nempe, Actus Apostolorum. Demum *Prophetici* V. T. sunt omnes prophetae tum majores tum minores: N. T. solus liber Apocalypsis. (1)

Ratione inclusionis in canone, libri sacri dividuntur in *proto-canonicos* et *deuterocanonicos*, quae quidem denominationes a Sixto Senense inventae sunt. (2) Tamen non auctoritatis differentiam, sed tantum temporis, quo unanimiter ab Ecclesia recepti sunt, significant. Itaque libri *protocanonici* hi dicuntur, qui semper fuerunt in canone, quia numquam de eorum divina inspiratione dubitatum est. *Deuterocanonici* autem sic vocati sunt, quia non ab initio neque a Judacis, neque ab universali Ecclesia in canone recipi meruerunt.

Libri Deuterocanonici V. T. sunt, Tobias, Judith, Sapientia, Ecclesiasticus, Baruch cum Epistola Jeremiae et duo Machabaeorum, primus et secundus.

Insuper ex libro Esther. cap. X, 4-XVI, 24: ex Daniele, cap. III, 24-90; XIII et XIV. Deuterocanonici N. T. septem etiam numerantur; scilicet, Epistola Pauli ad Hebraeos, secunda Petri, secunda et tertia Joannis, Epistolae Jacobi et Judae et Apocalypsis; praeterea ex Marco XVI, 9-20; ex Luca XXII, 43-44; et ex Joanne VIII, 2-12.

Causae sen rationes ob quas, quidam libri et librorum fragmenta non semper in Canone recepta fuerint, diversae sunt. Et quidem, si de libris V. T. agatur, eatenus nonnulli in Canone Esdrae non inveniuntur, vel quia posterioribus temporibus exarati sunt, ut Ecclesiasticus et libri Machabaeorum, vel fortasse quia eos Esdras invenire non potuit, ut Tobias et Judith, vel eo quod chaldaico sermone scripti essent.

Quoad libros N. T. cum aliqui ex ipsis, Ecclesiis particularibus destinati fuerint, fortasse aliquo spatio temporis, in aliis Ecclesiis particularibus, non erant noti, vel dubia agitabantur circa eorum divinam auctoritatem, donec re accuratius exploratu, ab universali Ecclesia recepti sunt. Quoad fragmentum Marci, quibusdam videtur, illud in Canone ab initio receptum non fuisse, quia apparenter contradicit aliorum Evangelistarum

(1) Non hoc sensu liber aliquis dicitur ex. gr. *historicus*, quia historiam tantum continet, sed eo quod ejus finis *principalis* sic facta narrare. Hoc idem dicendum de caeteris libris.

(2) Biblioth. Sanct. I, 1.

testimoniis. Fragmentum Lucae, ubi de sudore sanguinis, in quibusdam codicibus non invenitur, ne primis christianis, adhuc modicae fidei, ansam praeberet, de Christi divinitate dubitandi. Et demum fragmentum Joannis, in quo agitur de absolutione mulieris adulterae, expunctum dicitur ex quibusdam codicibus, ne mulieres occasionem sumerent ex ipso, fidelitatem conjugalem non servandi.

Nunc quaeritur utrum aliqui libri divinitus inspirati deperditi fuerint?

Quibusdam hoc videtur impossibile: cum enim Deus hoc necessario praevideret quid eos inspiravit? Quae fuisset tunc eorum utilitas?

Juxta alios autem, etiam hac Dei praevisione supposita, nullum est inconveniens in hoc quod tales libros inspirasset, nam potuerunt esse utiles ad certum tempus; et insuper, quia actualis existentia omnium et singulorum librorum a Deo inspiratorum non est absolute necessaria ad constituendum depositum fidei.

Libri deperditi, quorum mentio fit in V. T., hi sunt:

Liber Bellorum Domini (Num. XXI, 14.)

Liber Foederis (Exod. XXIV, 1; IV Reg. XXIII, 2.)

Liber Justorum (Jos. X, 13; II Reg. I, 18.)

Liber Nathan Prophetae (I Par. XXIX, 29; II. Par. IX, 29.)

Liber Gad Prophetae (I Par. XXIX, 29.)

Liber Samuelis (I. Par. XXIX, 29.)

Salomonis tria millia Parabolarum, Carmina mille et quinque, et Liber de animalibus et plantis (III Reg. IV, 32, 33.)

Liber Addo Prophetae, et Visio Addo contra Jeroboam (II Par. XIII, 22; IX, 29.)

Liber Ahiae Silonitis Prophetae (II Par. IX, 29.)

Liber Semejae Prophetae (II Par. XII, 15.)

Verba Jehu filii Hanani (II Par. XX, 34.)

Sermones Hozai (II Par. XXX, 19.)

Liber Verborum dierum Salomonis (III Reg. XI, 41.)

Liber Sermonum dierum Regum Juda (III Reg. XIV, 29.)

Liber Sermonum dierum Regum Israel (III Reg. XIV, 19; II Par. XXXIII, 18.)

Liber Sermonum Oziae (II Par. XXVI, 22.)

Descriptiones Jeremiae Propehtae (II Mach. II, 1.)

Liber dierum sacerdotii Joannis Hircani (I Mach. XVI, 23, 24.)

Libri quinque Jasonis Cyrenaei (I Mach. II, 24.)

Quoad divinam inspirationem horum librorum, variae sunt Patrum ac Theologorum sententiae. S. Joannes Chrysostomus (1) quem ex recentioribus sequuntur Estius et Serarius, putant hos libros divinitus inspiratos fuisse; ideo vero Deum permisisse eos deperdi, quia ad usum tantum Synagogae, non Christi Ecclesiae destinati fuerant. Alii cum S. Angustino (2) negant horum librorum divinam inspirationem; non enim probatur ex eo quod in Sacris Scripturis citati fuerint, secus divinitus inspirati essent etiam libri Arati, Menandri, Epimenidis aliorumque scriptorum gentilium, qui a sacris scriptoribus quandoque allegantur. (3) «Fortasse ad veritatem propius accedet, ait Ubaldi, qui mediam viam inierit, et alios ex memoratis libris inspiratos fuisse, alios autem humano tantum ingenio et industria exaratos fuisse dixerit. Sane nonnulli ex his libris satis clare dicuntur inspirati eo ipso quod Agiographis et Prophetis tribuantur, ut liber Samuelis *videntis*, liber Gad *videntis*, liber Nathan *Prophetæ*: de aliis vero nullum occurrit indicium, aut fundamentum, quo divina inspiratio eis tribui possit.» (4)

In Novo etiam Testamento, sequentes nominantur libri, qui jam non existunt; nempe;

Liber Henoch (Epist. Jud. 14.)

Evangelium S. Pauli (II Tim. II, 8.)

Epistola tertia ad Corinthios (I Cor. V, 9.)

Epistola tertia ad Thessalonicenses (II Thess. II, 12.)

Epistola ad Laodicenses (Coloss. IV, 16.)

Quod prior ex his libris citetur in praedicta Judae Epistola indubium est: quoad alios libros, res non est ita certa. Nan eate-mus creditur aliquod Pauli Evangelium extitisse, quia Apostolus loco citato ait: «Memor esto Dominum Jesum Christum resurrexisse a mortuis ex semine David secundum Evangelium meum.» Sed juxta communiorem sententiam, hoc loco Apostolus non loquitur de aliquo Evangelio a se scripto, sed vel agit de Evangelio Lucae, qui hunc librum scripsit, sub directione Pauli, ut ait S. Hieronymus, (1) vel de ipsa praedicatione evan-

(1) Hom. IX in Matth. et Hom. VII in I Cor.

(2) De Civit. Dei XVIII, 38.

(3) Act. XVIII, 28—I Cor. XV, 33—Ad Tit. I, 12.

(4) Introd. in S. Scrip. Par. II, Sect. II, Cap. IV, Art. I.

(1) De vir. illust. in Luca.

gelica, quae, non raro, ab Apostolo Evangelium appellatur.

Ad probandam existentiam tertiae Epistolae ad Thessalonicenses, haec verba II Thess. II, 12, adducuntur: «Rogamus vos frates per adventum Domini nostri Jesu Christi et nostrae congregationis in ipsum, ut non cito moveamini a vestro sensu, neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam tamquam per nos missam, quasi instet dies Domini.» Sed verbis *neque per epistolam tamquam per nos missam*, Apostolus non modo non designat aliquam epistolam a se scriptam, sed verius indicat aliam fictam et suo nomine subscriptam a psaeudoapostolis: hac de causa, et ne Thessalonicenses deciperentur, in secunda Epistola, signum speciale ponit et ait, III, 17; «Salutatio, mea manu Pauli: quod est signum in omni epistola. Ita scribo.»

Quoad Epistolam ad Laodicenses, quidam putant ipsam extitisse, quia ad Coloss. IV, 16, Apostolus scribit: «Et cum lecta fuerit apud vos epistola haec, facite ut in Laodicientium Ecclesia legatur, et eam quae Laodicientium est, vos legatis.» S. Gregorius M. et S. Thomas credunt, vere Apostolum aliquam epistolam ad Laodicenses scripsisse; et Sixtus Senensis et Fabricius, quamdam epistolam Pauli ad Laodicenses latine vulgaverunt; sed juxta S. Joannem Chrysostomum (1) et Theodoretum (2) haec epistola fuit missa Paulo a Laodicensibus. S. Hieronymus, enumeratis Pauli Epistolis, ait: «Legunt quidam et ad Laodicenses, sed ad omnibus exploditur.» (3) Sunt denique qui existimant, librum de quo agitur, esse epistolam ad Ephesios, cujus aliquod exemplar misit Paulus as Laodicenses, ut et ipsi vicinis Ecclesiis eam mitterent.

16. Studium librorum apocryphorum valde esse utile negari non potest: concedimus quidem, lectionem librorum hujus generis non omnibus indiscriminatim esse commendandam; quamvis enim, nonnulli eorum sanam doctrinam exhibeant, alii plures errores continent. Sed homini scientifico, hoc studium utilissimum est in re Scripturaria; 1.º quia non omnia quae libri apocryphi continent, falsa vel erronea sunt; errores enim prodierunt ex corruptione et interpolatione librorum canonicorum, ut Evangelium secundum Hebraeos ex genuino Matthaei, Evangelium

(1) Hom. XIII in Epist. ad Cor.

(2) Com. in Coloss. IV.

(3) De vir, illust, in Paulo.

Marcionis ex genuino Lucae, etc.; qui quidem errores et interpolationes, cum a Sanctis Patribus opportune denunciarentur, integritatem Scripturae confirmant. 2.^o Quia ex comparatione apocryphorum cum libris canonicis, horum veracitas historica divinaque auctoritas evidenter apparent, sive ad eorum doctrinam, sive ad formam etiam attendamus: nam dum libri canonici, sanctitate, sinceritate et gravitate pleni sunt, apocryphi plura Deo injuriosa, ridicula, et in historicis inverosimilia et fabulosa continent, eaque sic disposita, ut vanum artificium impiaque fraus facile detegatur.

Praecipuae collectiones apocryphorum sunt: Fabricii *Codex psaeudoepigraphus V. T. collectus* etc. Hamburgi 1722: Gfroerer *Prophetiae veteres pseudoepigraphi*, Stutt 1840. Quoad N. T. Thilo inchoavit suam editionem criticam, quam tamen non absolvit, non enim nisi Evangelia apocrypha continet. Editio Tischendorf 1851-66, Evangelia, Acta et Apocalypses complectitur. Omnia fere N. T. apocrypha gallice versa collegit. Migne *Encyclopedie*, tom. 23 et 24. (1)

Caput III

Canon Hebraeorum

17. Utrum hebraei ante Esdram quosdam libros ut divinitus inspiratos eorumque certum caninem habuerint. = 18. Qua ratione hebraeis nota erat horum librorum divina inspiratio. = 19. Quis fuerit Esdras: ejus Canon et fabula de ipsius origine. Opus Esdrae. = 20. Quo sensu dicitur caninem V. T. temporibus Esdrae clausum fuisse. Num Esdras characteres veteres hebraeorum cum chaldaicis commutaverit. = 21. Quibus rationibus Danko alii que nitantur ut existiment caninem qui Esdrae tribuitur, recentioribus temporibus fuisse confectum.

17 Generale est omnium rationalistarum principium, antiquitatem librorum V. T. omnibus modis mediisque minuere, ut facilius ostendant, hos libros, et praesertim propheticos, post eventum eorum quae in ipsis vaticinantur conscriptos fuisse, ut sic ab his libris, omnem supernaturalitatis auferant notam. Nos-

(1) Conf. Cornely, *Introd. gen. Dissert. I, Cap. IV*; et Ubaldi; *Introd. P. II. Sect. II, Cap. IV*.



trum est ergo veram ac legitimam horum librorum antiquitatem patefacere.

Non videtur probabile, hebraeos ante captivitatem certum canonem seu catalogum authenticum omnium librorum in uno determinato volumine habuisse, atque Synagogae vel Prophetarum auctoritate prodiisse: nihil enim de hujusmodi canone in judaica traditione invenimus: et praeterea, si ille canon extitisset, Samaritani non solum Pentateuchum habuissent, sed reliquos etiam libros, qui saltem schimatis aetate editi erant, ut Josue, Judices, Psalmos David, libros Salomonis, et duos priores Regum. Neque tamen ex hoc infertur, nullos libros, ante captivitatem Babylonicam ab hebraeis ut divinitus inspiratos agnitos fuisse: testimonia enim clarissima inveniuntur in Scripturis quae contrarium omnino demonstrant.

In primis, antiqui populi orientales, suos libros sacros, symbolicos et chronica sen historias nationales in templis servabant et a sacerdotibus custodiebantur, ut de Babyloniis, Aegyptiis, Graecis et Romanis compertum est: nullum vero adest motivum ut hoc ipsum non dicamus de hebraeis, quorum constitutio religiosa et politica in libris sacris continebatur. De quibusdam libris, hoc omnino certum est. Nam Deut. XVII, 18, 19 legitur: «Postquam autem sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar a sacerdotibus Leviticae tribus; et habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitae suae, ut discat timere Dominum Deum suum, et custodire verba et caeremonias ejus, quae in lege praecepta sunt.» Ibid, XXXI, 9 et seqq legitur: «Scripsit itaque Moyses legem hanc et tradidit eam sacerdotibus filiis Levi, qui portabant arcam foederis Domini, et cunctis senioribus Israel, praecepitque eis dicens: Post septem annos, anno remissionis, in solemnitate tabernaculorum, convenientibus cunctis ex Israel, ut appareant in conspectu Domini Dei tui in loco, quem elegerit Dominus, leges verba legis hujus coram omni Israel, audientibus eis.» Ibid. v. 25, 26: «Praecepit Levitis, qui portabant arcam foederis Domini, dicens: Tollite librum istum, et ponite eum in latere arcae foederis Domini Dei vestri, ut sit ibi contra te in testimonium.» Praeterea cum rex Josias decreverit templum Domini restaurare, Helcias Pontifex *Librum Legis* reperit *in domo Domini* (IV Reg. XXII, 8). Hec autem testimonia non solum Deuteronomium respiciunt, ut prima fronte videtur: cum enim Deuteronomium sit quasi syn-

thesis caeterorum librorum Pentateuchi, sine ipsis intelligi nequit. Praetera, quinque libri Pentateuchi, opus vere unum constituunt quod totalem et completam hebraeorum legislationem nationalem continet; ergo absque dubio, omnes libri Pentateuchi servabantur in templo. Id ipsum dici potest de quibusdam aliis libris: nam in libro Josue XXIV, 26, legitur: «Et scripsit (nempe Josue) omnia verba haec in volumine legis Domini.» Etiam in I Reg. X, 25: Locutus est autem Samuel ad populum legem regni, et scripsit in libro et reposuit coram Domino.» Apud Daniele IX, 2, legimus: «Anno uno regni ejus, ego Daniel intellexi *in libris* (scilicet Jeremiae) numerum annorum etc.» Ergo certum est, hebraeos, ante captivitatem, aliquos libros ut divinitus inspiratos habuisse, quamvis determinatum canonem adhuc non constituerent.

18. Quaeritur, quia ratione nota esset hebraeis horum librorum divina inspiratio?

Dicimus notam fuisse auctoritate prophetarum, qui suorum librorum aliorumque divinam inspirationem, miraculis confirmabant, ut ex ipsis libris sacris eruitur: hoc ipsum innuit Josephus Flavius: ut postea ostendemus.

19. Esdras ex familia Aaron fuit, ut ex ipsius libro infertur. Anno septimo Artaxerxis Longimani, obtinuit a rege pretiosa munera ad ornatum templi, et decretum regium, ut omnes provinciae vicinae Jerusalem, ipsum Esdras juvarent in templi restoratione; et venit Hierosolymam una cum 1.596 viris. Praesertim rebus religiosis operam dedit; hortatus est populum ad servandam Legem Dei, eamque legit populo, spatio octo dierum: ordinavit caeremonias cultus et festa solemnia, et totis viribus se opposuit matrimoniis hebraeorum cum extraneis. Judaei vocant Esdras *Principem doctorum Legis*; et quidam ipsum comparaverunt cum Moyse. Nescimus quanto tempore vixerit, nec ubi mortuus sit. Juxta Josephum Fl. obiit in Palaestina; juxta traditionem autem judaicam in Persia.

Praecipuum opus Esdrae est procul dubio *Canon* qui ipsius nomine inscribitur. Post destructionem templi, et populo in captivitatem adsportato, etiam libri sacri qui in templo custodiebantur perierunt, tantumque remanserunt illa exemplaria quae sacerdotes prophetae alique pii homines secum tulerunt. Post edictum autem Cyri, populus Dei debebat, denuo se ipsum constituere sub pristina forma theocratica, et ad hoc necessarium erat omnes libros, qui ut

divinitus inspirati habebantur colligere, ut fundamentum et norma essent vitae religiosae et civilis illius populi: hoc praestitit Esdras cum suo Canone.

Juxta librum IV Esdrae, Cap. XIV, Esdras divinitus inspiratus, omnes libros sanctos, quorum nec unum exemplar remanserat, spatio quadraginta dierum restauravit. Haec vero narratio fabulosa est juxta omnes; nec enim est verosimile, quod omnia omnino exemplaria perierint etiamsi admittatur, ea quae in templo servabantur, periisse: quis enim credet, Jeremiam qui in Chaldaeorum invasione, Arcam foederis, vasa sacra et altare servavit et eripuit, non saltem eadem cura consuluisse sacris libris?

Esdras igitur, sive per se, sive per alios collegit libros quos invenire potuit; aliquos ipse scripsit; omnium recensionem fecit; menda librariorum sustulit; nonnulla adjecit explicationis gratia; antiqua regionum et locorum nomina recentioribus nominibus substituit, et fortasse veterem hebraicam scripturam in assyriam immutavit, et omnia certo ordine in diversa volumina compegit. Deinceps Nehemias ac coaevi prophetae Aggaeus, Zacharias et Malachias suos libros operi Esdrae addiderunt, et sic Canon fuit clausus.

Cum nonnulli, Canonem qui Esdrae tribuitur, multo posteriorem esse autument, brevissime ostendemus, hunc Canonem temporibus Esdrae, ipsique Esdraetribuendum esse: 1.^o Quia numquam fuit major necessitas restorationis religiosae quam temporibus quae proxime succederunt captivitati Babylonicae: quod vero praecipua hujus restorationis pars fuisset collectio sacrorum librorum qui inveniebantur sparsi, nemo negabit: his si addas, neminem majorem aut parem sollicitudinem gessisse, aut potestatem exercuisse ac Esdram in religione atque republica instauranda, et ad hoc a rege Artaxerxe in Jerusalem missum fuisse (1), profecto videbis, sententiam quam defendimus verissimam esse. 2.^o Ex universali traditione tum judaeorum tum christianorum. Nam judaei communi consensu ad Esdrae aetatem, et ad ipsum Esdram referunt hujus canonis compositionem, in ea Thalmudis parte quae dicitur *Mischna* et Gemara Babylonica. Eadem est

(1) «A facie enim regis et septem consiliatorum ejus missus es, ut visites Iudaeam et Jerusalem in lege Dei tui... tu autem, Esdra, secundum sapientiam Dei tui, quae est in manu tua, constitue iudices, et praesides, ut judicent omni populo qui est trans flumen, his videlicet qui noverunt legem Dei tui.» I Esdr. VII, 14.

sententia S. Irenaei, S. Clementis Alex. Tertulliani, S. Chrysostomi, S. Hieronymi, omniumque Patrum qui hac de re aliquid scripserunt. (1)

Canon Esdrae complectebatur omnes libros protocanonicos V. T.: ait Josephus Flav. (2): «Apud nos, nequaquam innumera-bilis est librorum multitudo dissentientium atque inter se pugnan-tium: sed duo dumtaxat et viginti libri, totius praeteriti temporis historiam complectentes, qui merito creduntur divini. Ex his quin-que quidem sunt Moysis, qui et leges continent, et seriem rerum gestarum a conditu generis humani usque ad ipsius Moysis interitum. Atque hoc spatium temporis tria fere aunorum millia com-prehendit. A Moysi interitu ad imperium usque Artaxerxis, qui post Xerxem regnavit apud Persas, prophetae qui Moysi succe-sere, res sua aetate gestas tredecim libris complexi sunt. Quatuor vero reliqui hymnos in Dei laudem, et praecepta vitae hominum exhibent utilissima. Caeterum ab imperio Artaxerxis ad nostram usque memoriam, sunt quidem singula litteris mandata, sed ne-quaquam tantam fidem meruerunt, quantam superiores hi libri, propterea quod minus explorata fuit successio prophetarum.» (3)

Cum dicitur Canonem Esdrae complecti 22 libros, nomen libri significat volumen; nam quandoque plures uno volumine continebantur; ex. gr. omnes prophetarum minorum libri unum volu-men constituebant, Judices et Ruth continebantur etiam uno vo-lumine: alii etiam libri aut conjungebantur aut dissociabantur, ut numerus eorum numero litterarum alphabeti hebraei responderet;

(1) Plura apud Ubaldi, op. cit. P. II, Sect. II, Cap. II.

(2) Contra Apion. I, 8.

(3) Celebris est etiam iste locus Thalmudis: «Quis scripsit libros sacros? Moyses scripsit librum suum, sectionem de Bilcam et Jobum; Josue scripsit librum suum et octo versus in lege: Samuel scripsit librum suum, librum Indicum et Ruth: David scripsit librum Psalmorum per decem senes, per Adam primum, per Melchisedech, per Abraham, per Moysen, per Heman, per Iduthun, per Asaph, per tres filios Kore: Jeremias scripsit librum suum, librum Regum et Threnos: Ezechias et collegium ejus scripserunt Isaiam, Proverbia, Canticum et Ecclesiastem: viri magnae synagogae scripserunt Ezechielem, duodecim prophetas, Daniel et volumen Esther. Esdras scripsit librum suum et perduxit genealogias Paralipomenon usque ad sua tempora. Atque haec est confirmatio verbi magistri: Rab Juda enim se a Magistro audivisse dicit, Esdras non ascendisse ex Babylonia antequam genealogias perduxerit ad suam usque aetatem: tum vero eum ascendisse. Quis eas fi-nivit? Nehemias Helciae filius.»

quae quidem litterae aut erant 22, aut 24 aut demum 27 juxta diversam computandi rationem.

20. Canonem hebraeorum dicitur temporibus Esdrae clausum fuisse, quatenus a prophetis et principibus synagogae illius aetatis probatus et confirmatus fuit; non vero hoc sensu quod in posterum alios etiam sacros libros scribi et canonicis adjungi non possent. Numquid enim Prophetae et Synagoga ita fuerunt stulti ut impossibile crederent Spiritum Sanctum alios libros dictare? Quis namque eorum poterat hoc prohibere? Ergo confirmatio illa seu approbatio Prophetarum et Synagogae, habuit vim decreti *positivi*, ut ait Ubaldi, non autem exclusivi; et ad libros *praeteritos confirmandos*, non vero ad *futuros excludendos*.

Praeterea, si de ipso Esdra sermo sit, ejus canoni aliquid additum fuit, post obitum suum: nam liber Nehemiae, saltem probabilius, post Esdrae mortem exaratus fuit; certissime autem liber Malachiae qui post Esdrae aetatem vixit. Neque dici potest, ab his canonem clausum fuisse; nam juxta aliquos, in Lib. I. Esdr. et II Par. genealogia Nehemiae protrahitur usque ad tempora Alexandri Magni, quae tamen genealogia, partem canonicam Scripturae in omnibus hebraicis editionibus constituit.

Denique, si libri Deuterocanonici non statim recepti sunt in canone hebraeorum, non ideo fuit, quia judaei hos libros ut divinitus inspiratos non haberent, secus enim nec in Prologo Ecclesiastici neque in Versione Alexandrina recepti fuissent una cum libris protocanonicis; sed quia, ut ait Josephus, *minus explorata fuit successio prophetarum*; id est, quia defuit testimonium externum, saltem certissimum, de divina horum librorum inspiratione.

Utrum Esdras scripturam hebraicam cum chaldaica commutaverit, non constat inter eruditos. S. Hieronymus in Prol. Galeato scribit: «Samaritani etiam Pentateuchum Moysi totidem litteris scriptitant, figuris tantum et apicibus discrepantes: certumque est Esdram scribam, legisque doctorem, post captam Hierosolimam et instaurationem templi sub Zorobabel, alias litteras reperisse, quibus nunc utimur, cum ad illud usque tempus iidem Samaritanorum et Hebraeorum characteres fuerint.» Eandem sententiam tuentur Origines et Eusebius: id ipsum asscritur in Thalmude Babylonico et Hierosolymitano. Inter recentiores, hujus opinionis patrocinium susceperunt Genebrardus, Bellarminus, Morinus, Grotius, Lamy, Walton, Ubaldi aliique bene multi; ita ut haec opinio hodie dici possit communis.

Sed P. Fernandez, Caminero et aliis magis arridet contraria opinio: ait enim Caminero: «Sane Hieronymus *certum* esse asserit Esdram novos characteres assyrios reperiisse, nullum vero testimonium profert: unde probabile fit a judaeis rem accepisse; isti vero forte decepti fuerunt ex vulgari scripturae denominatione *assyriae*, quae forte significat *rectam, recte dispositam*, et vulgari usu alterius scripturae samaritanae proximae in rebus profanis. Notum deinde est quantum ipsi labores esdrinos exaggeraverint. Contraria autem sententia fulciri potest 1.^o in defectu antiquiorum monumentorum istam mutationem testantium, de qua nihil apud Flavium Josephum legitur, sed tantum saeculo 3.^o apud Africanum et Origenem: 2.^o in usu apud veteres populos solemnem duplicem scribendi rationem pro rebus sacris et profanis adhibentes, ut de aegyptiis, chaldaeis, phoeniciis, aethiopibus, graecis etc. constat, et ipsis hebraeis saltem post captivitatem; 3.^o ex agendi ratione Esdrae et Nehemiae, veteres populi mores, religionem, legem, cultum restaurare volentium, ut ex ipsorum libris constat: unde inverosimile est in hac re contrariam tenuisse viam: 4.^o saltem in sacris sacerdotum vestibus quidquam vel minimum mutasse Esdram, non nisi aegerrime admittam: nec proinde ipsum ausum fuisse credam nomen *Jehovah* digito Dei scriptum in tabulis lapideis, et a Moyse in lamina aurea summi sacerdotis positum, aliter scribere... 5.^o denique Abraham ex chaldaea oriundus chaldaicos characteres facile adhibuit, quos Moyses ut scripturam nationalem non inverosimiliter adoptavit, quod characteribus monumentorum assyriorum confirmari potest inter quadiatos et samaritanos medios.» (1)

Praeter has opiniones, aliae etiam dantur. Nam S. Beda asseruit Esdram *novas litteras excogitasse*, quod quidem ab omnibus rejicitur. Sunt etiam qui existimant, hodiernos characteres hebraicos ab Esdra inductos fuisse, sed esse antiquiores et originarios hebraeorum, quamvis ante captivitatem non adhiberentur nisi a sacerdotibus et scribis: sed post captivitatem fuit haec scribendi ratio communis et vulgaris.

Demum recentissimi philologi putant, hodiernos characteres hebraicos esse originis omnino recentis, et diu post Esdram a judaeis receptos fuisse. Nobis qui compendio studemus, haec innuere sufficiat. (2)

(1) Manual. Isag. in S. Biblia. Sect. II, Cap. V=Cons. etiam P. Fernandez, Curs. Theol. tom. 2, Introd. in S. Scrip. Tract. I. Sect. II, Cap. I.

(2) Plura de his U. Ubaldi, op. cit. P. II, Sect. II, Cap. II, Art. I.

21 «Praecipuam rationem, ait Cornely, ob quam Danko Esdrae canonis collectionem abjudicandam censet, ex genealogiis desumit, quas in Paralipomenon et Esdrae libris in aliquas post Nehemiam produci putat. Revera I Par. III, 22, nepotes Hattus nominantur, qui ipse cum Esdra ex exilio reversus est: at cur Esdras illos in tabulas genealogicas inferre nequiverit, non apparet. Praeterea Jeddoa (Jaddus) nominatur, qui teste Flav. Josepho Alexandri M. tempore summum sacerdotium tenuit; at iterum notandum, Jeddoam nepotem esse Joiadae, qui anno 32 Artaxerxis Longimani summus erat sacerdos, eoque tempore filium juniorem habuit, qui jam uxorem duxerat; quid ergo mirum quod Esdras, qui 7 Artaxerxis anno Hierosolymam venit, genealogiam summi sacerdotis usque ad Joiadae nepotem primogenitum perduxerit? Num vero Jeddoa hic idem sit ac Jaddus, quem Flavius Josephus summum sacerdotem tempore Alexandri M. fuisse dicit, altera est quaestio non hoc loco solvenda. Sed concedamus, si lubet, aliqua nomina hodie in genealogiis legi, quae Esdras scribere nequivit Quid inde? Nonne in junioribus libris aliqua inseri potuerunt, sicut antiquioribus aliqua adjecta esse omnes fere interpretes catholici tenent?» (1)

Adversus auctorem et aetatem canonis hebraeorum plura objiunt rationalistae, quamvis non aliud sint nisi gratuita affirmationes. Nam juxta ipsos, non potest tribui Esdrae Canon qui plures complectitur libros post ipsius mortem conscriptos: nam liber Danielis secundo saeculo ante Christum exaratus fuit: libri Paralipomenon sub Seleucidis apparuerunt, sicut etiam hi qui Esdrae tribuuntur: demum in hoc canone inveniuntur psalmi qui dicuntur machabaici.

Cum de singulis his libris sermo instituat in Introductione particulari, ostendemus falsa esse ea quae in praecedenti objectione dicuntur de libris Danielis, Paralipomenon et Esdrae. Quoad psalmos machabaicos, hodie jam doctissimi rationalistae concedunt, nullos dari hujusmodi psalmos.

(1) Op. cit. Introd. gen. Dissert. I, Cap. II.

Caput IV

Canon Hellenistarum

22. An judaei post Esdrā aliquem novum canonem confecerint ante canonem hellenistarum = 23. Canon hellenistarum. Libri quos complectebatur. 24. Qua auctoritate hic canon factus fuerit = 25. Testimonia tum judaeorum, tum etiam J. C. et Apostolorum quae pro veritate hujus canonis militant. — 26. Quaedam solvuntur objectiones.

22. Origenes, S. Epiphanius, S. Hieronymus et fere omnes antiqui theologi ac critici tenent ab Esdra usque ad tempora Christi et Apostolorum, judaeos nullum alium canonem habuisse praeter Esdrinum, neque libros deuterocanonicos ut divinitus inspiratos accepisse, quamvis in magno honore et veneratione haberentur, ut ait Josephus Flav. Inter modernos, hanc sententiam tuetur Ualdi, magnaue eruditione, ejus veritatem ostendere conatur.

Genebrardus, Movers, Danko alique scriptores etiam catholici putant judaeos ante Christum tres canones habuisse, quamvis in epochis assignandis differant inter se. Juxta Genebrardum (1) primus Canon ab Esdra conditus fuit una cum synagoga magna congregata in concilio quod ipse vocat *synodus quinta*. Alius canon adornatus fuit saeculo III ante Christum in synodo sexta Hierosolymitana, ubi canoni Esdrae adjecti sunt Tobias, Judith, Ecclesiasticus, Sapientia et Baruch. Demum in synodo septima huic canoni additi sunt libri Machabaeorum.

Serarius, Bailius, Tourneminius, Vigouroux et Cornely duos distinctos canones judaeos habuisse asserunt: et haec sententia nobis etiam videtur probabilior. Nam. 1.° Judaei Alexandrini seu hellenistae, tum libros tum etiam fragmenta deuterocanonica in suis scripturarum codicibus habebant cum libris proto-canonicis, quod ipsi non facerent, nisi omnes hos libros ejusdem seu aequalis auctoritatis esse existimarent. Nunc vero, eadem aetate judaeos palaestinos, solos protocanonicos habuisse constat ex testimonio Josephi jam citati: ergo absque temeritate

(1) In Chron. I, 2.



affirmare licet, hac aetate judaeos duos canones habuisse. 2.^o Semel evangelica praedicatione propagata, cum christiani saepissime uterentur versione Alexandrina ad explicanda vaticinia messianica eaque Christo Domino applicanda, non modo judaei novas versiones graecas sibi adornarunt, quas fideliores esse asserebant, sed ita Alexandrinam aversati sunt, ut diem, quo terminata est haec versio, diei quo vitulus aureus in deserto fusus est compararent et perpetuo jejunio celebrandum statuerent. Causa antem hujus aversionis, non certe fuit aliqua levis differentia inter utrumque textum, hebraicum nempe et graecum, quoad numerum librorum; neque aliter explicari potest, nisi admissa nostra sententia: Philo enim et Josephus Fl. versionem alexandrinam accuratissimam esse fatentur, et Thalmudistae non nisi tredecim menda in ea invenerunt.

23. Ex his quae diximus infertur, judaeos alexandrinorum suum canonem habuisse diversum a canone judaeorum palaestinsium: hic non nisi libros protocanonicos complectebatur; ille vero omnes qui in versione graeca alexandrina erant, nempe omnes libros, etiam deuterocanonicos.

24. Semel admissa opinione illorum qui crediderunt versionem alexandrinam factam fuisse sub inspiratione divina, pronum est colligere, canonem omnium librorum hujus versionis, divina etiam auctoritate confirmatum esse. Sed nemo est hodie qui interpretes alexandrinorum divinitus inspiratus fuisse credat. Igitur si a me quaeras, qua auctoritate factus sit canon alexandrinus, quove jure alexandrini libros deuterocanonicos inter sacros receperint, hoc unum tibi dicam, eos recte egisse, ex eo quod Apostoli et omnis Ecclesia catholica integrum canonem alexandrinum approbaverint.

25. Et quidem tot testimonia tum judaeorum, tum etiam J. C. et Apostolorum adduci possunt pro veritate et legitimitate canonis alexandrini, quod sunt testimonia quae librorum deuterocanonicorum V. T. divinam inspirationem confirmant. In primis, constat judaeos palaestinsenses profanis suis libris deuterocanonicos libros praetulisse. Alibi adduximus locum Flav. Josephi qui fatetur, praeter viginti duos libros protocanonicos, alios etiam extitisse in Palaestina, qui non tantam meruerunt auctoritatem ac protocanonicis, hac sola ratione, nempe, quia testimonium externum alicujus prophetae defuit.

«Ad fragmenta deuterocanonica quod attinet, ait Cornely,

Aquila et Symmachus, saltem Susannae historiam, Theodotio reliqua quoque omnia Danielica in suas versiones receperant, quamvis illas Alexandrinae editioni opponerent. Ex Estheris fragmentis aliqua ad verbum fere refert Josephus, alia a junioribus rabbinis pro auctoritate laudantur.» «Librum Baruch cum Jeremiae vaticiniis suo adhuc tempore a Judaeis conjugii docet Origenes Palaestinensi canone recensito; eum a Judaeis in synagogis saec. 4 christiano legi consuevisse testantur Constitut. Apostolicae.»

«Ecclesiasticus teste rabbino Zunz ab antiquioribus Palaestinensibus iisdem formulis, quae in divinis libris allegandis adhibentur, frequentissime allegatur: Ecclesiasticum et Sapientiam Salomonis a Judaeis suae aetatis inter libros, de quibus dubitatur haberi, et ab apocryphis distingui asserit Epiphanius postquam Palaestinensis canonis libros enumeravit: De Voisin autem rabbinorum quorundam affert testimonia, quibus quanto in pretio apud illos fuerit «Magna Salomonis Sapientia» aperte demonstratur.—Libris Tobiae et Judith quoque Judaei in suis Midraschim utuntur; cur autem in canonem suum illos non receperint, unica iis est ratio, quod illos non per Spiritum S. sed per «Filiam vocis» dicunt conscriptos. Demum I Mach. liber vix non unicus Josephi fons est in temporis istius historia narranda: eodem modo uterque Mach. liber a Gorionide scriptore Judaico 8 saeculi adhibetur: ab aliis quoque scriptoribus judaeis eos cum honore laudari exemplis allatis demonstrat De Voisin: narratio autem de Eleazari et septem fratrum martirio hodie adhuc a Judaeis celebratur.» (1)

Christum autem et Apostolos. V. T. libros deuterocanonicos ut divinitus inspiratos habuisse, ex N. T. satis probabile fit. Nam quandoque scriptores N. T. versione graeca utuntur etiam in his locis qui a textu hebraeo discrepant, ut Matth. XV, 8-9; Act. II, 25-28; Rom. XV, 1-20; Hebr. II, 7; X, 5-7; XI, 21; ergo versionem graecam ut authenticam habebant, et idcirco omnes libros quos complectebatur ut canonicos admiserunt. Praeterea libri deuterocanonici V. T. citantur in N. T. si non ad litteram, ut pariter contingit I. Reg, Eccle. et Cant., tamen satis manifeste, quod constad ex comparatione Matth. XXVII, 40-43 cum Sap II, 17; Luc. VI, 31 cum Tob. IV, 16; Rom.

(1) Introd. gen. Dissert. I, Cap. II.

IX, 22-23 cum Sap. XII, 20-21; Hebr. I, 3, cum Sap. VII, 26, etc.

Plura de his dicemus cum de divina omnium librorum inspiratione quaestio instituat.

26. Qui Canonem aliquem distinctum a canone Esdrae non agnoscunt, haec nobis objiciunt: 1.^{um} Testimonium Josephi jam citati, ubi proponit catalogum XXII librorum quos judaei ut sacros et divinos habebant, evidenter excludit septem deuterocanonicos.

Resp. Josephum, ut jam diximus, saltem fateri, libros deuterocanonicos in magno honore habitos fuisse, neque unquam judaeos hujusmodi libros confudisse cum libris profanis. Praeterea Serarius ostendit Josephum etiam hos libros ut divinos admisisse ex lib. 2 contra Apion, ubi inter alias protocanonicorum sententias, hanc etiam allegat: *Mulier vero in omnibus pejor viro, cujus nequitia mulierem etiam beneficam superat*, quae sententia desumpta est procul dubio, ex cap. XLI, 14, Ecclesiastici, ubi legitur: *Melior est iniquitas viri, quam mulier benefaciens*.

2.^{um} Philo, judaens alexandrinus, deuterocanonicos libros in suo canone non habuit, nec eis unquam utitur, nec divinam attribuit auctoritatem.

Resp. Si aliquid ex hoc Philonis silentio infertur contra libros deuterocanonicos, etiam infertur Ezechielem, Danielelem, Threnos, Ecclesiastem, Canticum, Paralipomena, Nehemiam, Esther et Ruht e canone Philonis eliminandos esse, quia ipse his libris nunquam utitur: argumentum est igitur mere negativum, quod nimum atque ideo nihil probat.

3.^{um} Auctor IV libri Esdrae, qui saeculo I ante Christum in Aegypto vixit, tantum viginti quatuor libros agnovit.

Resp. Dato etiam, quod hujus libri apocryphi auctor in Aegypto vixerit, falsarius fuit, ut omnes concedunt, et qui se Esdras finxit, non de aliis libris loqui potuit, nisi de his qui Esdrae tempore extiterant et cogniti erant.

4.^{um} S. Hieronymus in Prologo Galeato, enumeratis libris a judaeis receptis, subjungit: «Atque ita fiunt pariter Veteris Legis libri viginti duo, id est Moysi quinque, et prophetarum octo, Agiographorum novem... Hic prologus, scripturarum quasi galeatum principium, omnibus libris, quos de hebraeo vertimus in latinum convenire potest: ut scire valeamus quidquid extra

hos est, inter apocrypha esse ponendum. Igitur Sapientia quae vulgo Salomonis inscribitur, et Jesu filii Sirach liber, et Judith, et Tobias et Pastor non sunt in canone.»

Resp. in primis, non ut omnino certum haberi hunc prologum esse S. Hieronymi: etiam hoc supposito, fere omnes Patres S. Hieronymo anteriores, libros deuterocanonicos V. T. ut divinos et canonicos acceperunt. Praeterea, hoc nomen *apocryphus* apud Patres, et etiam apud S. Hieronymum non semper librum *non divinum* significat, ut alibi diximus. Demum hic Doctor in suis operibus, etiam ad confirmanda dogmata fidei saepissime testimonia desumit ex libris deuterocanonicis V. T., et idcirco, si non speculative, saltem practice eorum divinam auctoritatem agnoscit.

Caput V.

Canon Christianorum

27. Quis fuerit Canon sacrorum librorum a primis Ecclesiae saeculis usque ad Concilium Tridentinum. Ostenditur Canonem Tridentinum solidissimis niti fundamentis. Adversarium objecta solvuntur. = 28. Nemo certus esse potest de veritate et integritate Canonis, nisi vi auctoritatis Ecclesiae Catholicae. = 29. Quaedam solvantur objectiones. = 30 Canon Muratorii.

27. Majoris perspicuitatis gratia, quaedam breviter dicemus, primo, de Canone V. T. et deinceps de N. T. Canone.

Evidens est, omnes libros protocanonicos V. T. a primis Ecclesiae saeculis, ut canonicos, et divinos habitos fuisse. Suspicio aliqua moveri posset del libro Esther; nam quidam antiqui scriptores, ut Melito Sardensis, Junilius Africanus, Athanasius, et Gregorius Naz., praesertim cum judaeorum opinionem se referre asserunt, librum Esther omittunt. Horum auctoritate permoti aliqui recentiores, inter quos Bellarminus, librum Esther deuterocanonicis annumerant. Sed his exceptis doctoribus, omnes alii, sicut etiam et Romani Pontifices et Concilia unanimiter librum Esther in suos canones recipiunt, etiam quando deuterocanonica omittunt, ut fecerunt Origenes, S. Hieronymus aliique.

Igitur tota quaestio est de libris deuterocanonicis: jam vero horum librorum canonicitas et divina inspiratio certissima est: nam 1.^o graeci scriptores ecclesiastici versione Alexandrina

latini vero Itala generatim utebantur, quae quidem versiones omnes deuterocanonicos libros continebant: 2.^o in scriptis Patrum trium priorum saeculorum, plurimae deuterocanonicorum V. T. allegationes inveniuntur, praemissis formulis, ad Sacras Scripturas invocandas consuetis, *Spiritus S. ait, sicut scriptum est*, etc. Sic S. Clemens Rom. qui merito inter Patres apostolicos principem locum obtinet, plura ex libris Judith, Tobiae, Sapientiae, Ecclesiastici desumsit, sicut etiam Hermas frater S. Pii I ex Sap., *Eccli* et II Machabaeorum: similiter S. Hippolytus, S. Irenaei discipulus, ex his omnibus libris, et insuper ex Daniele et Baruch testimonia desumsit. S. Irenaeus, discipulus S. Polycarpi qui a Joanne Evangelista fidem accepit, canonem alexandrinum sequitur.

In Ecclesia Africana, Tertullianus in testimonium adducit, sub formula *scriptum est*, libros Judith, Eccli, Danielis, Sap. et Machabaeorum. S. Cyprianus in suis operibus, omnes deuterocanonicos V. T. excepto Judith, saepissime allegat.

In Ecclesia Orientali, S. Clemens Alex., Athenagoras, Gregorius Neoces., deuterocanonicis V. T. frequenter utuntur; quare ipse Munscher, Ecclesiae catholicae adversarius, fateri cogitur, omnes Ecclesias omnesque Patres Orientales «libris deuterocanonicis fuisse neque ullum discrimen deuterocanonicos inter et protocanonicos agnovisse: non errare igitur modernam Ecclesiam Catholicam, si hac in re ad suum cum antiqua Ecclesia consensum provocet.» (1)

Inter Patres recentiores, S. Augustinus, pelagianis respondens, qui librum Sapientiae rejiciebant, ait: «Non debuit repudiari Sapientiae liber qui meruit in Ecclesia Christi de gradu lectorum tam longa annositate recitari atque ab omnibus christianis ab episcopis usque ad extremos laicos... cum veneratione divinae auctoritatis audiri.» (2) Immo S. Augustinus omnium librorum texuit Canonem tridentino identicum.

Ab aliis Patrum testimoniis adducendis supersedeo, ne longius quam par est procedam.

Inter Romanos Pontifices, Inocentius I anno 405 ab Exuperio episcopo rogatus, canonem omnino tridentino similem proposuit. Id ipsum praestiterunt P.P. Gelasius, Damasus et Hormisdas.

(1) Munscher Hdb. d. Dogmengesch. I, 251; cit a Cornely.

(2) Praed. Sanct. XIV.

3.º Diversae sententiae quoad numerum librorum V. T. conciliis occasionem praebuerunt, ut rem definirent saeculis quarto et quinto. Talia fuerunt Con. Hipponense (393) tertium et Carthag. (397 et 419), et in Oriente Conc. Trullanum (692) quod decreta conciliorum africanorum confirmavit.

4.º Picturae in catacumbis inventae plures exhibent historias desumptas ex libris Tobiae, Danielis aliisque deuterocanonicis. Tamen vis hujus argumenti non magni facienda est, cum picturae in catacumbis exhibeant etiam historias ex libris apocryphis desumptas.

Protestantes semper dubii tuere circa deuterocanonicorum V. T. auctoritatem; quia quamvis eos apocryphos dicerent, tamen suis bibliis et versionibus inserebant ut Lutherus, Calvinus ipsaeque societates biblicae usque ad annum 1826, quo decretum ediderunt ut a suis editionibus prorsus ablegarentur, reclamantibus quibusdam societatibus biblicis Londinensis succursalibus, praesertim berolinense «quoniam ab ipsa reformatione semper libri apocryphi sparsi et in usum adhibiti fuerant in Germania, Helvetia, Suecia et Dania *eadem ac libri canonici auctoritate.*»

Adversarii deuterocanonicorum nobis objiciunt auctoritatem Melitonis Sard., Origenis, S. Hieronymi, Rufini aliorumque praesertim saeculi quarti, et S. Antonini et Cajetani inter recentiores.

Certum est Melitonem in sua epistola ad Onesimum canonem proposuisse cum libris protocanonicis tantum: sed hodie critici ostendunt, Melitonis scopum fuisse, canonem tradere hebraeorum, non vero christianorum. (1)

Origenes utique catalogum librorum exhibet juxta hebraeorum consuetudinem; tamen ipse reliquos libros ut canonicos et divinos habet. Et quidem, in operibus Origenis citati inveniuntur Baruch nomine Jeremiae quinquies, Tobias plus quam decies, Judith ter, Sapientia plus minus vices, Ecclesiasticus plus quam septuagies, I Machab, semel, II Machab. decies et quinquies, additamenta Estheris semel aut iterum, Danielis bis aut ter. (2)

Aliqui Patres saeculi IV ut Athanasius, Cyrill, Hier.

(1) Melito in suis operibus laudat ut divinam Scripturam Baruch, Tobiam, Esther et Sapientiam. Vid. Cornely. Introd. gen. Dissert. I, Cap. II.

(2) Conf. Ubaldi. Introd. P. II, Sect. II, Cap. II, Art. II.

Gregor. Naz., Hilarius et Rufinus, aut solos protocanonicos laudant, aut eos a deuterocanonicis distinguunt vocabulo *canonici*, dum deuterocanonicos *publice lectos, ecclesiasticos* et quandoque *apocryphos* appellant. Tamen, hi Patres in suis scriptis, hos libros allegant sicut et protocanonicos, et quidem ad litteram veluti verba S. Scripturae. (1)

Quoad S. Hieronymum difficile est ejus mentem circa deuterocanonicorum librorum auctoritatem definire. Nam in Prologo Galeato, non exhibet ut canonicos nisi libros hebraeorum, et hoc non modo relate ad canonem hebraeorum, sed etiam ad canonem christianorum: et revera: in Prologo in libros Salomonis asserit Ecclesiam, Judith, Tobiam et Machabaeos legere quidem, sed inter canonicas scripturas non recipere, et tum hos libros, tum Ecclesiasticum et Sapientiam legendos esse ad aedificationem plebis, non ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam. Tamen S. Hieronymus frequenter in suis operibus libros nostros allegat, nulla facta distinctione vel differentia auctoritatis inter proto et deuterocanonicos; ergo practice saltem horum divinam auctoritatem agnoscit.

S. Antoninus et Cajetanus deuterocanonicos V. T. rejecerunt, quia hanc esse mentem S. Hieronymi putarunt. (2)

His omnibus quibus ostendimus libros deuterocanonicos V. T. semper a christianis ut divinos habitos fuisse, addi possunt codices antiquissimi ut Vaticanus, Sinaïticus, Ephremi et Alexandrinus saeculi IV et V, qui libros etiam deuterocanonicos continent.

Et demum Ecclesiae a Romana dissociatae ut Monophysitae, Aethiopes et Armenii etc. Canonem tridentino identicum habent. Quod attinet Ecclesiam graecam schismaticam, cum quidam Episcopus, Cyrillus nomine, libros deuterocanonicos appellaret apocryphos, Concilium Hierosolymis habitum anno 1672, ipsum damnavit, et ipsummet canonem tridentinum professum est.

Progrediamur nunc ad Canonem N. Testamenti. Notum est, Christum Dominum, suam mirabilem doctrinam praedicasse

(1) Plura invenies testimonia apud Manlou (t. 2. ed. Barcin.)

(2) Quibusdam videtur S. Thomam dubitare de Canonicitate Ecclesiastici. (Summ. Theol. P. I. q. LXXXIX, art. 8 ad 2.) Sed ibi S. Thomas refert aliorum sententiam; nam in Summa, librum Ecclesiastici, circiter recenties ut Scripturam canonicam allegat.

viva voce: hoc etiam modo Apostoli, sui Magistri vestigiis inhaerentes suam praedicationem inchoarunt: dein vero, hortatu novorum christianorum, et ne praedicatio evangelica ullam pateretur adulterationem, aliqui Apostoli et eorum discipuli, magnam partem evangelicae doctrinae scriptis consignarunt. Verum ut hi libri á profanis secernerentur, eorum collectiones faciendas opportunum immo et necessarium duxerunt; et hinc primi canones N. T. qui non nisi libros ab Apostolis exaratos, vel saltem ab ipsis approbatos continebant. Cum autem plerumque hi libri ad determinatas personas vel ecclesias particulares mitterentur, non ita facile fuit saeculo I, etiam omnibus libris N. T. jam scriptis, eorum omnium collectione adornare, cum aliae ecclesiae particulares plurium librorum existentiam ignorarent: et en causa, cur omnes canones saeculi I sint incompleti, et cur etiam quidam Patres, libros illos, quos deuterocanonicos appellamus, ut divinos accipere dubitarent. (1)

(1) Ad rem Ginoulhiac: «No es extraño que durante cierto tiempo haya habido vacilaciones, divisiones entre las Iglesias y los doctores, relativas al valor histórico y divino de varios libros del N. T., aceptados hoy universalmente por la Iglesia Católica. No era posible que los fieles aceptasen ciertos libros del N. T. y creyesen en su autoridad divina, de la misma manera que habian aceptado el Credo y otros dogmas de la Religión, cuya autoridad divina reconocían El Credo y los demás dogmas de la fé habían sido dados de una vez, enseñados todos desde el principio á todos los fieles; mientras que los libros de que se trata fueron apareciendo sucesivamente unos después de otros, y en diferentes lugares. Antes de aceptar uno de esos libros como divino, necesario era asegurarse de que había sido compuesto por un Apostol ó garantizado con la autoridad apostólica. Pues bien, si eso podía hacerse facilmente en los lugares en que los libros habian sido escritos y publicados, no ocurría lo mismo tratándose de Iglesias lejanas; porque, por más que hubiera relaciones estrechas, continuas, entre las diferentes Iglesias, podían algunas subsistir cierto tiempo sin que les comunicaran los diversos libros que otras poseían. Era necesario sacar copias de ellas. Fácilmente se comprende, por tanto que no haya podido haber al principio unanimidad entre las Iglesias respecto de ciertos libros; esta unanimidad ha debido ir formándose poco á poco, como resultado de investigaciones y de comunicaciones recíprocas. Fácil era saber en Efeso ó en el Asia Menor, si era cierto que el Apostol S. Juan habia escrito el Apocalypsis, ó si se trataba de otro Juan. Así es, que allí nadie dudó jamás de la autenticidad de ese libro. Pero en otras Iglesias, ese hecho podía ser ignorado, ó no parecer tan cierto por lo menos.» *Los Orígenes del Cristianismo*, cit. a Vigouroux, *Manual Bíblico*, Introd. gen. Cap. II, Art. III.

VOL I.



Sed lapsu temporis, et medio saeculo II, habemus canonem N. T. qui omnes actuales libros complectebatur, exceptis quibusdam deuterocanicis; duasque habebat partes, quarum prima quatuor Evangelia continebat; altera vero tredecim saltem epistolas Pauli, unam Petri, aliam Joannis et Apocalypsim. Hic canon fuit receptus ab Ecclesia Romana, et Ecclesiis Asiae Minoris, Gallicana, Alexandrina et Africana, ut constat ex testimoniis Irenaei, Clementis Alex, et Tertulliani. Id ipsum dicendum de Ecclesia Syriaca; nam versio Peschito quae saeculo II posterior non est, omnes libros N. T. complectitur praeter 2.^{am} epistolam Petri, 2.^{am} et 3.^{am} Joannis et Apocalypsim.

Medio saeculo III Origenes omnes libros N. T. ut divinos accepit. Eusebius, qui eodem saeculo vixit, omnes hos libros in suo canone habet, quamvis eos dividat in *ομολογούμενα*, seu *ab omnibus receptos*, et *αντιλεγόμενα* seu *controversos*.

Saeculo IV, in Oriente, Concilium Laodicense (ann. 363) constituit canonem qui omnes N. T. libros praeter Apocalypsim continet.

In Africa, canon conciliorum Hippon. et Carth. identicus est canonis Tridentino.

Adversarii dicunt, Concilium Carthaginense anno 397 celebratum, can. 47 omittere librum Baruch. Sed notum est, antiquos scriptores ecclesiasticos librum Baruch designasse sub nomine Jeremiae, ut ex S. Augustino aliisque Patribus constat. (1)

Quoad Ecclesiam Romanam, ipsius antiquus Canon in nullo differt ab actuali nostro canone. Nam versio Itala omnes omnino libros N. T. exhibet. Idem dicendum de Canone Rom. Pontif. Gelasii I et Hormisdæ. Jam a saeculo V unanimes est Patrum ac scriptorum consensus in admittendis etiam libris deuterocanicis N. Testamenti. S. Isidorus Hisp. in suo canone hos omnes libros exhibet; et quamvis S. Hieronymum secutus aliqua dubia de quibusdam libris proponat, tamen suum canonem his verbis claudit: «Hi sunt scriptores sacrorum librorum divina inspiratione loquentes atque ad eruditionem nostram praecepta coelestia dispensantes: auctor autem earundem Scripturarum Spiritus S. esse creditur: ipse enim scripsit, qui prophetis suis scribenda dictaverit.» (2)

(1) Cons. Hermeneut. Sac. J. H. Janssens, Cap. I. §. IX.

(2) De eccles. offic. I, 12—Ety mol. VI, 2, 45.

Concilium Florentinum sub Eugenio IV celebratum anno 1441 hunc ipsum canonem sancivit.

Sed contra unanimem hunc consensum, Cajetanus ineunte saec. 16, aliquo modo S. Hieronymi vestigiis inhaerens, docuit, epistolas ad Hebraeos, 2.^{am} et 3.^{am} Joannis, Judae ac Jacobi, minoris esse auctoritatis his quae sunt certe scripturae sacrae. (1)

Protestantes hos ipsos libros rejicere incoeperunt in Germania. Lutherus, epistolas ad Hebraeos, Jacobi, Judae et Apocalypsim rejicit, non quod eos ab Ecclesia semper receptos fuisse negasset, sed quod ipse in his libris spiritum evangelicum et apostolicum non sentiret. Carlostadius etiam hos libros rejecit, et insuper epistolam 2.^{am} Petri et 2.^{am} et 3.^{am} Joannis. Zuinglius et Calvinistae e contra in suis Confessionibus omnes libros N. T. admiserunt: etiam lutherani a saeculo XVII, contra magistris uis sententiam, omnes deuterocanonicos N. T. receperunt. Scholae vero Neo-Tubingensis discipuli, illos omnes libros rejiciunt in quibus evangelicum et apostolicum spiritum non sentiunt. Cum vero hodierni protestantes, generatim rationalismi labe infecti, hunc spiritum apostolicum et evangelicum in his libris non sentiant in quibus de rebus et factis supernaturalibus agitur, idcirco, omnem fere Scripturam rejiciunt: et tamen ipsis unica fidei regula est Sacra Scriptura!

Ad Cajetani et Protestantium errores profligandos, Concilium Tridentinum proposuit Canonem jam alibi a nobis expositum, qui quidem omnes libros omnesque partes deuterocanonicas utriusque Testamenti complectitur, a catholicis omnino acceptandas. Manet ergo probatum ex omnibus quae diximus, canonem Conc. Tridentini solidissimis niti fundamentis.

28. Certum est hodie protestantes orthodoxos seu supernaturalistas, eundem canonem nobiscum habere et retinere, sed absque solido fundamento; quia nemo certus esse potest de veritate et integritate canonis, nisi vi auctoritatis infallibilis Ecclesiae catholicae, quam protestantes minime admittunt. Et quidem: non alios libros ad canonem pertinere judicandum est, nisi illos quorum divina auctoritas a Jesu Christo et Apostolis declarata fuit: haec vero declaratio non aliter cognosci potest, nisi vel per ipsam Sacram Scripturam vel per Traditionem. Quod autem ad Sacram Scripturam pertinet, nullus est locus ex

(1) Comm. in Sac. Scrip. Lugd. 1639, V, 329; 398 b; 399 b; 362 b.

quo deduci possit divina auctoritas omnium et singulorum librorum, ut omnibus notum est: quaedam quidem sunt loca obscura et ambigua, et alia etiam clariora quae tamen non nisi unum vel alterum librum respiciunt, ut in solutione obsectorum patebit.

Si de Traditione sermo sit, protestantes non aliam nisi mere humanam agnoscunt neque agnoscere possunt, vi suorum principiorum. Iam vero, hac traditione humana supposita, observamus usque ad saeculum IV nullum canonem integrum inveniri. Sed etiam canone integro constituto saeculo IV, tum tribus prioribus saeculis, tum etiam posterioribus, unanimis omnium Patrum consensus quoad omnes et singulos libros, juxta plures, desideratur. Etiam hoc Patrum unanimi consensu supposito, manent canones haereticorum illius aetatis, qui sub humano saltem adspectu eandem auctoritatem ac canones Patrum et Conciliorum habent, saltem psaeudoreformatoribus: canones autem haereticorum, a canonibus Patrum et Conciliorum multum differre nemo negabit: quia ergo ratione qui solum hoc tam diverso ac contradictorio testimonio utitur, certus esse poterit, de veritate et integritate Canonis Sacrorum librorum?

Ergo traditio non aliter constituit medium quo certi esse possimus de veritate et integritate canonis, nisi quatenus a Christo Domino et ab Apostoli ducens originem, in vera ac legitima Christi Ecclesia per infallibile ejus magisterium perpetuo custodita, explicata et ad nos usque perducta fuit.

29. Adversarii ut ostendant integrum sacrorum librorum canonem ex ipsa Sacra Scriptura certo cognosci posse, haec loca nobis objiciunt:

I.^{um} «Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum etc. (1)

Sed ex hoc nihil infertur adversus nostram thesim: nam si hic textus accipiatur sicut in Vulgata apparet ambiguus est, nullique determinato libro applicari potest, ut perspicuum est. Etiam si admittatur, juxta originalem graecum hanc esse lectionem *Omnis Scriptura divinitus inspirata est, et utilis* etc (quod gratis asseritur) ad summum sequeretur Scripturam illam cujus lectionem commendat Apostolus suo discipulo Timotheo, nempe Scripturam V. T. esse divinitus inspiratam: nam si de N. T. sermo sit, certum est locum citatum extendi non posse ad

(1) II ad Timoth. III, 16.

quosdam libros, nempe Evangelium et Apocalypsim Joannis, quia adhuc non erant exarati, cum Apostolus hanc scriberet epistolam ad Timotheum.

2.^{um} «Sicut et charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut et in omnibus epistolis, loquens in eis de his, quae indocti et instabiles depravant, sicut et caeteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem.» (1)

Ex hoc testimonio tantum sequitur epistolas Pauli esse divinitus inspiratas; sed non omnes, quia probabiliter 2.^a ad Timotheum nondum erat scripta: illa autem verba, *sicut et caeteras Scripturas*, juxta litteram, non ad omnes et singulos N. T. libros necessario extenduntur, neque extendi possunt, quia non omnes scripti erant, anno 67 quo Petrus secundam dedit epistolam. Neque omittendum est, hanc Petri epistolam esse deuterocanonica: quare in hac quaestione, ejus testimonio uti protestantibus non licet.

Quidam protestantes hoc alio modo argumentantur: Existentia, veracitas et canon S. Scripturae non sunt dogmata sed praeambula fidei, sicut existentia Dei, Ecclesiae etc; haec vero, non ex auctoritate sed ex philosophicis argumentis demonstrantur: ergo á pari, et illa, non ex auctoritate, sed ex criticis testimoniis, id est, argumentis internis vel monumentis, aut etiam utrisque demonstrari possunt ac debent.

Resp. Scripturarum existentiam esse dogma fidei a Concilio Tridentino sancitum, et absque ulla dubitatione ab Ecclesia semper receptum, non obstantibus controversiis, quae non rem ipsam, sed tantum determinatos libros afficiebant. Hinc quod Ecclesia ut haereticos damnaret eos qui Canonem aliquo sacro libro expoliare ausi sunt, ut patet ex damnatione gnosticorum, valentinianorum aliorumque. Ecclesia anterior est omnibus libris N. T., quos ipsa probavit, ac ut divinos fidelibus tradidit, qui hac infallibili auctoritate ducti, eos fide divina ut divinos acceperunt.

Quoad existentiam Dei, non datur paritas in subjecta materia: cum enim prima sit veritas necessario supponenda, qui eam *tantum* ex revelatione vel auctoritate probare vellet, petitionem principii incurreret; idcirco argumentis philosophicis demonstrari potest ac debet, et hac de causa praeambulum fidei jure vocatur.

(1) II Petri, III, 15-16.

Neque datur paritas si de existentia Ecclesiae sermo sit: haec enim divinam suam originem luculentissime ostendit motivis credibilitatis quae cum ipsis divinae revelationis probationibus identificantur. (1)

30. Ob magnam suam antiquitatem et idcirco auctoritatem criticam, non est hic omittendus *Canon Muratorii*, qui invenitur in celebri fragmento manuscripto, quod Antonius. Lud. Muratori, anno 1740, in Bibliotheca Ambrosiana Mediolani detexit. Hoc fragmentum reperitur in antiquissimo codice membranaceo litteris mayusculis et quadratis exarato, in quo etiam plura alia diversi generis documenta inveniuntur. Canon Muratorii complectitur omnes libros N. T. exceptis duobus primis Evangeliiis ob mutilationem scripturae praecedentis. En fragmentum, juxta emendationem Wieseler, qua errores orthographici corriguntur et obscura et omissa ex conjectura explanantur intra parenthesas, manente integritate originarii textus.

«.....quibus tamen interfuit (Marcus) et ita posuit. Tertio (um) evangelii librum secundo (um) Lucam. Lucas iste medicus post ascensum Christi, cum eo (eum) Paulus quasi ut juris studiosum secundum adsumsisset, numeni (nomine) suo ex opinione concriset (conscripserit): Dominum tamen nec ipse vidit in carne, et idem prout assequi potuit. Ita et ab nativitate Joannis incipet (it) dicere. Quarti (um) Evangeliorum Joannis ex decipulis (discipulis). Cohortantibus condecipulis (condiscipulis) et episcopis suit dixit: Conjejunate mihi odie (hodie) triduo, et quid cuique fuerit revelatum, alterutrum nobis enarremus. Eadem nocte revelatum Andreae ex apostolis, ut recognoscentibus cunctis (cunctis), Joannis (es) suo nomine cuncta describeret. Et ideo licit (licet) varia singulis Evangeliorum principia doceantur, nihil

(1) Ad rem Perrone: «Hic est analyticus atque, ut ita dicam, *geneticus* processus regulae proximae credendorum, ut nempe prius quasi praeambulum admittatur existentia Ecclesiae divinitus institutae per eadem ipsa motiva credibilitatis quibus existentia asseritur divinae revelationis: deinde, hac evidenter cognita ac comperta, credatur ut fidei articulus eadem Ecclesia a Deo ipso fundata cum omnibus praerogativis quibus se a Christo auctam haec eadem Ecclesia profitetur: demum ex infallibili ejus auctoritate et testimonio caetera credantur quae ipsa tamquam divinitus revelata proponit, inter quae Scriptura Canonica divinoque afluente Spiritu exarata praecipuum obtinet locum. Siquidem Scriptura regulam constituit remotam, partialem et inadaequatam credendorum sub Ecclesiae ejusdem magisterio.» Praelect. Theol. Tract. de Loc. Theol. P. II, Sect. I, Cap. II.

tamen differt credentium fidei, cum una ac principali spiritu declarata sit in omnibus omnia de nativitate, de passione, de resurrectione, de conversatione cum decipulis (discipulis) suis, ac de genuino ejus adventu primo (us?) in humilitate dispectus (despectus), quo fo... (fuit), secundum (us?) potestate regali praeclarum (us?) quod futurum (futurus?) est. Quid ergo mirum, si Joannes tam constanter singula etiam in epistolis suis proferat, dicens in seme (t) ipsu (m): Quae vidimus oculis nostris et auribus audivimus et manus nostrae palpaverunt, haec scripsimus. Sic enim non solum visurem (orem), sed (se) et auditorem, sed et scriptorem omnium mirabilium Dominus (i) per ordinem profitetur. Acta autem omnium Apostolorum sub uno libro scripta sunt. Lucas optime (o) Theophile (o) comprindit (comprehendit), quia (quae?) sub praesentia ejus singula gerebantur, sicuti et semote passionem Petri evidenter declarat, sed perfectionem Pauli ab Urbe ad Spaniam proficiscentis. Epistolae autem Pauli, quae, a quo loco, vel qua ex causa directe (ae) sint voluntatibus (volentibus) intellegere (igere) ipsae declarant. Primum omnium Corintheis (iis) scysme (schisma) haeresis interdicens, deinceps Calactis (Galatis) circumcisione (m), Romanis autem ordine (scripturarum), sed et principium earum esse Christum intimans, prolexius (ixius) scripsit, de quibus sincolis (gulis) necesse est a nobis disputare: Cum ipse beatus Apostolus Paulus sequens praedecessoris sui Joannis ordinem nonnissi nominatim septem (septem) ecclesiis scribat ordine tali: Accorenthios (ad Corinth) prima, ad Ephesios secunda, ad Philippinses (enses) tertia, ad Colossenses quarta, ad Galatas quinta, ad Tessalonicensis (Thessalonicenses) sexta, ad Romanos septima: verum Corinthiis et Thessalonicensibus, licet pro correptione iteretur, una tamen per omnem orbem terrae deffusa (diffusa) esse denoscitur (dign.) Et Joannes etiam in apocalpsy (apocalypsi) licet septem ecclesiis scribat, tamen omnibus dicit. Verum ad Philemonem una, et ad Titum una, et ad Timotheum duas (ae) pro affecto (u) et dilectione, in honorem tamen Ecclesiae catholicae, in ordinatione ecclesiasticae (ae) discipline (ae) sanctificatae sunt. Ferturetiam ad Laudecenses, alia ad Alexandrinos, Pauli nomine finctae (fictae) ad haeresim Marcionis, et alia plura, quae in catholicam ecclesiam recepi (recipi) non potest (possunt?). Fel enim cum melle misceri non congruit, Epistola sane Jude (ae) et superscriptio (ti) Joannis duas (ae) in

catholica habentur, et sapientia ab amicis Salomonis in honorem ipsius scripta, apocalapse (apocalypsis, es?) etiam Joannis et Petri tantum recipimus, quam quidem (dam) ex nostris legi in Ecclesia nolunt, Pastorem vero nuperrime temporibus nostris in Urbe Roma Herma (as) conscripsit, sedente cathedra urbis Romae Ecclesiae Pio Episcopo fratre ejus: et ideo legi eum quidem oportet, se (sed) publicare vero in ecclesia populo, neque inter profattas (phetas) completum (os) numero, neque inter apostolos in finem temporum potest. Arsinoi autem seu Valentini: vel Miltiadis nihil in totum recipimus, qui etiam novum psalmorum librum Marcioni conscripserunt. Una cum Basilide Assianum (Assianorum?) Catafrycum (phrygum) constitutorem.... (rejecimus?)»

Muratorius hoc fragmentum tribuit Gajo Rom. Ecclesiae presbytero, qui sub finem saeculi II floruit: juxta Bunseu est opus Hegesippi; et juxta omnes saeculo II exaratum fuit; quod infertur ex his verbis quae circa finem leguntur *«nuperrime temporibus nostris in urbe Roma, sedente in cathedra urbis Romae Pio episcopo fratre ejus»*; cum enim S. Pius I. Hermae frater, Romanae Ecclesiae praefuerit medio saeculo II (141-151,) sequitur canonem de quo loquimur, non multo post scriptum fuisse. Generatim creditur textum originarium hujus fragmenti fuisse graecum, et saeculo VIII ab imperito aliquo interprete latine conversum.

Caput VI

31. Quid lingua (lenguaje). Num ab homine sibi ipsi relicto inveniri potuisset. Linguarum familiae et earum peculiare characteres.=32. Qua lingua exarati fuerint generatim libri Veteris Testamenti.=33. Diversae periodi litteraturae hebraeorum. Lingua syro-chaldaica.=34. Quid dicendum de lingua graeca biblica. Qui libri V. T. graece fuerint exarati. Probe tur omnes libros N. T. excepto Evangelio Matthaei, lingua graeca scriptos fuisse. Quid dicendum de illa opinione juxta quam Evangelium Marci et Epistola ad Romanos prodierunt originaliter latino sermone.=35. Forma litteraria librorum tum Veteris tum Novi Testamenti.=36. Quare N. T. scriptores usi fuerint sermone admodum vulgari.

31. Lingua est complexus verborum seu vocabulorum quibus homo suas ideas exterius manifestat. Utique lingua late

sumpta (hispanice *lenguaje*) etiam gestus (gestos, ademanes, miradas), gemitus et voces non articulatas (gritos, ayes, gemidos) complectitur: tamen nos linguae definitionem ad voces vel sonos articulatos restringimus: et ideo de sermone (la palabra) hic solum est quaestio.

Si sermo sumatur pro ipsa orali locutione, sic homini est naturalis, cum a natura ipsa habeat omnia ea quae concurrunt ad hoc ut sonus fiat articulatus. (1) Si vero, sermonis nomine intelligatur vocabulorum determinatus complexus qui lingua (idioma) appellari solet, tunc determinatus sermo non est homini naturalis, sed ab ejus arbitrio pendet; hinc quod homines per totum orbem terrarum diffusi, diversissimis utantur vocabulis ad easdem ideas objectaque significanda.

Nunc vero, potuit sermo ab homine solis suis viribus efformari? Affirmative respondendum est, si de possibilitate absoluta agatur: nam primo homini, locutio seu vocabulorum prolatio erat naturalis: ex alia parte, ipsum non latebat, vocabula esse signa idearum in hominis arbitrio posita; ergo absolute loquendo, possibile fuit, sermonem á primo homine inveniri. Sed ad factum quod attinet, probabilius est, sermonem primo homini a Deo fuisse revelatum: secus enim longo temporis spatio, fuisset semi-mutus, quod repugnat statui perfectionis in ordine tum physico, tum morali, in quo, ut docet S. Thomas, primus homo a Deo constitutus fuit. Praeterea S. Scriptura Adamum ab initio nobis exhibet loquentem cum Deo, Evam cum serpente; (2) id ipsum, omnia monumenta historica testantur. (3)

Rationalistae generatim differentiis linguarum innixi, omnes linguas ab una primitiva procedere negant, ut sic facilius unitatem humanae speciei rejicere valeant: sed tum Scriptura (4) tum philosophi et philologi christiani et etiam non christiani hodie ostendunt, differentias quae inter linguas vigent, esse mere accidentales, omnesque has linguas ad tres familias, et demum ad unam primitivam linguam posse reduci. (5)

(1) Vid. Tongiorgi, Inst. Logio. Lib. I, Cap. II, Art. II.

(2) Genes. Cap. III.

(3) Con. Card. Gonzalez, Filosofia elemental, Lib. I, Cap. I.

(4) Genes. Cap. XI, 1.

(5) Ad rem Card. Gonzalez: «Si á lo dicho hasta aquí se añade que las investigaciones y descubrimientos de la ciencia filológica tienden á establecer y probar el parentesco de todas las lenguas y su procedencia unita-



Supposita existentia unius primitivae linguae, quidam cum S. Gregorio Nisseno censent illam primitivam linguam post confussionem Babelicam evanuisse, neque amplius ab hominibus locutam fuisse: aliis e contra videtur primitivam linguam adhuc ab hominibus loqui. Nunc vero quaeritur, quae sit haec lingua? Plures hebraicam putant esse primitivam: (1) alii hoc privilegium lingua ecantabrae (bascuence, euskera) non absque fundamento concedunt. Et quidem, primitiva lingua, ut pote a Deo revelata, debuit esse valde philosophica, ita ut omnia vocabula, vel major eorum pars, immediate rerum essentias vel notabiliores proprietates significarent. Jam vero, inter omnes linguas, non excepta hebraica, nulla datur quae sicut cantabrorum lingua habeat voces, rerum essentiam vel praecipuas proprietates significantes, ut ostendit P. Larramendi S. J. Saltem explorata res est, neminem adhuc invenisse linguam a qua cantabrorum sermo originem duxerit: sed facile ostendi potest, plures esse voces tum latinas, tum graecas, tum etiam aliarum linguarum, quae a cantabrica lingua procedunt. (2)

ria, bien puede afirmarse la verdad y exactitud de la siguiente conclusión de Herder: «Es por demás probable que la raza humana, lo mismo que su lenguaje, se remontan á un tronco común, á un primer hombre, y no á muchos dispersos en varias partes del mundo. El estudio de las lenguas, añade Pott, testigo autorizado y nada sospechoso en la materia, no es contrario á la opinión que hace descender, todos los pueblos de una sola pareja.» La Biblia y la Ciencia, Tom. II, Cap. I.—Conf. etiam opus cui titulus, *Dios, la naturaleza y la humanidad*, auct D. Franc. P. Montells, Tom. II, Cap. XIX.

(1) Cons Perujo y Angulo, Diccion. de Ciencias Eccles. Tom. VI, pag. 330.

(2) Ad rem P. Larramendi: «La propiedad de las voces, que tanto se pondera en la lengua hebrea, consiste en que explica sus significados por algunos atributos, propiedad ó condición, pues las esencias no las conocemos en sí mismas; y esto se llama significar filosóficamente los objetos. Pues en esta excelencia escede el bascuence á las lenguas y no cede ni á la hebrea. Especifiquemos algo. Llamamos á Dios *Jaincoa*, síncope de *Jaungoicoa*, y significa Señor de lo alto; y ¿quién no sabe que es atributo de Dios ser Señor, especialmente de las alturas, donde más respandece su dominio? Aquí merecía castigarse el reparo de aquellos insulsos que dicen que el bascuence no tiene nombre propio de Dios; y son los que ni saben siquiera en que consiste la propiedad de un nombre. ¿Y piensan que Dios puede significarse con nombre propio y que estos nombres, Dios, Deus, Dieu, Idio, Theos etc.. son nombres de Dios, propios como los que se ponen en el bautismo, y otras ignorancias de este tamaño y bulto? Pero

Juxta hodiernos philologos, omnes linguae, attentis earum affinitatibus et differentiis, ad tres familias revocari possunt: 1.^a *Indo-Europea*, quae complectitur (a) linguam sacram Indostam (sanscrito), persicam et armenicam: (b) linguas *pelasgicas*, scilicet graecam, latinam et omnes ex his derivatas: (c) linguas *slavas* eas nempe quae in Bulgaria, Russia et Polonia loquuntur: (d) linguas *germanicas*, quae in Germania, Suecia et Britannia utuntur: linguas *celticas* ut cantabrica (bascuence) et gallica. 2.^a *Semitica* quae includit linguam hebraicam, arameam, phoeniciam chaldaicam et arabicam. Hae linguae, rigorose loquendo *semiticae* dici non deberent: his enim utebantur non modo progenies Sem, sed etiam et Cham ut phoenices et aethiopes. 3.^a *Tartara*, quae complectitur linguam sinensem, tibetanam et mandchu.

Inter peculiare characteres linguarum semiticarum, hi notandi sunt; nempe, non habere nisi consonantes, et scripturam a dextra ad sinistram partem procedere. (1)

32. Libri Veteris Testamenti generatim exarati fuerunt hebraice, exceptis quibusdam fragmentis chaldaicis, Dan. II, 4-VII; Esdr. IV, 8-VI; VII, 12-26; Jer. X, 11, et libris Sapientiae et II Machabaeorum, cujus textus originalis est graecus. Ex deuterocanonicis, Ecclesiasticus, Baruch, I Mach. et pars deuterocanonica Danielis et Estheris, conscripti fuerant hebraice vel aramaice, sed primigenii textus perierunt. Quoad Tobiam et Judith, non una est sententia apud criticos. S. Hie-

por esta vez los castigo con despreciarlos. *Jauna* llama al Señor, esto es, *Jave-ona*, y significa buen dueño, de suerte que á diferencia del tirano, que es dueño, pero malo, distingue el bascuence al Señor por el atributo de dueño bueno, *Eguzquia* llama al sol hacedor del día que es el oficio principal del sol. *Ilarguia* llama á la luna, y significa luz de cada mes, expresión de sus crecientes y menguantes.» Diccion. Trilingüe, P. I., § I, VII, VIII, IX et X.

(1) Ad rem Caesar Cantu: «Estas lenguas (nempe semiticae) poseen en común las propiedades siguientes: 1.^a la mayor parte de sus vocablos tienen una raíz trilateral: 2.^a emplean casi siempre consonantes solas para expresar la idea fundamental, que es modificada, aunque rara vez sustituida por el cambio de vocales: 3.^a hacen mucho uso de los sonidos guturales, (entre vocal y consonante, sin ser una ni otra) á diferentes grados de aspiración: 4.^a propiamente hablando carecen de casos: 5.^a forman el genitivo y el acusativo de los pronombres personales con letras añadidas al fin de las voces: 6.^a se escriben de derecha á izquierda (escepto la etiópica); 7.^a no tienen vocales y se suplen por medio de puntos ó virgulas encima ó debajo de las letras.» Hist. univers. Lib. II, Cap. X.

ronymus innuere videtur, hos libros primitus exaratos fuisse chaldaice.

33. Distinctivus character linguarum semiticarum est earum stabilitas: tamen litteraturae hebraicae tres periodos distinguere possunt: 1.^a *Mosaica*, quae speciales quasdam grammaticales constructiones exhibet quas vocamus *archaismos*: 2.^a *Monarchiae*, in qua archaismi evanescent, nova vocabula recipiuntur, et David, Salomon et prophetae suis mirabilibus scriptis distinguunt et ornant hanc periodum quae recte aetas aurea litteraturae hebraicae dicitur: 3.^a *Captivitatis*, in qua lingua multum declinat, plurimis vocabulis arameis et chaldaeis miscetur et quidam apparent archaismi.

In exilio Babylonico, hebraei chaldaicam linguam paulatim in usum receperunt, hebraicam tamen non omnino reliquerunt, ut ex Nehemia constat. (1) Sequentibus vero saeculis, ex continua familiaritate cum chaldaeis, et etiam cum judaeis, qui ex chaldaea diversis temporibus reversi sunt, hebraica lingua omnino corrupta, et in novam conversa est, quae syro-chaldaica appellatur, quaeque usque ad Hierosolymorum excidium post Christum, vulgaris permansit.

Plures textus syro-chaldaici inveniuntur in N. T., ut Matth. XXVII, 46 *Eli, Eli, lamma sabacthani*; Joann. V, 2, *Bethsaida*, et aliis in locis *Golgotha*, *Haceldama* etc. Sed quamvis a saeculo III vel IV ante Christum lingua hebraica jam mortua fuerit, cum tamen singulis sabbatis textus primigenius legeretur et chaldaice explicaretur, etiam post Christum eam rabbini adhibuerunt in Thalmud, quamvis multis aramaismis permixtam.

34. Quoad graecum, jam diximus, linguam esse *pelasgicam* et ad familiam *Indo-Europeam* pertinere. Notandum est, olim graecae linguae varias fuisse dialectos; ut eolica, jonica, dorica et attica: ex his autem omnibus efformata est temporibus Alexandri Magni, nova dialectus, quae appellata est *alexandrina*, et qua scriptores sacri usi sunt. Dialectus alexandrina Bibliae, frequenter retinet constructiones et vocabula hebraica, ut *Alleluia*, *Amen*, *Sabaoth*, *Cherubin*, *Hossanna*, *Pascha*, *Sabbatum*, *Messias*, *Satan* etc, quae etiam in hodiernis linguis recepta sunt.

Hac ergo lingua vel dialecto, aliqui libri Veteris Testamen-

(1) II Esdr, XIII, 24.

ti, et fere omnes N. T. scripti sunt, ut infra videbimus. Sed haec est differentia inter graecum utriusque Testamenti; nempe quod in N. T., propter Romanorum dominationem multae sint constructiones pluraque vocabula latina, ut *census*, *praetorium*, *spiculator*, *centurio* etc.

In Veteri Testamento, textus originalis Sapientiae et II Machabaeorum fuit graecus, ut suo loco ostendemus. Quoad N. Testamentum, primigenius textus omnium librorum, excepto Evangelio Matthaei et fortasse etiam Epistola ad Hebraeos, est graecus, ut in Introductione particulari videbimus, cum de singulis libris quaestio instituitur.

Nunc quaeritur, utrum Evangelium Marci et Pauli Epistola ad Romanos latine exarati fuerint. Quidam affirmative respondent, eo quod duo hi libri romanis destinati essent; cum ergo romanorum lingua fuerit latina, primum est colligere, citatos libros latine conscriptos fuisse. Haec tamen sententia admitti non potest: nam lingua scientifica et negotiorum publicorum (lingua oficial) erat lingua graeca apud romanos illius temporis. Sic concipitur quod Iosephus Flavius suam historiam de Bello Judaico, Romano Imperatori dicatam graece scripserit. Actualis liturgia Ecclesiae Romanae, pluribus suis vocabulis graecis, satis ostendit, aliquando fuisse graecam. Quod si objicias, lingua graeca non nisi reges, optimates et philosophos usos fuisse, non autem populum, dicam tibi, scientiam et industriam Episcoporum et Sacerdotum, ignorantiam fidelium christianorum supplevisse, sicut et hodie cum latina liturgia contingit.

Nunc sufficiat haec innuere, quia de his fusius disseremus cum de versione Itala et Evangelio Marci sermo sit.

35. Quod *formam litterariam* librorum utriusque Testamenti, haec breviter dicemus. Omnes libri N. T. soluta oratione (en prosa) scripti sunt, exceptis Canticis ut *Magnificat*, et fortasse etiam parabolae. Libri V. T. exarati sunt metricè (en verso) et etiam soluta oratione: primo modo scripti fuerunt omnia Cantica et Hymni qui in diversis libris inveniuntur; etiam Psalmi, libri prophetici et Canticum Canticorum. Difficile admodum est cum fundamento asserere ac determinare in quo consisteret poesis, praesertim hebraica: sed indubium est, multum ad ipsam conferre parallelismus, de quo alibi.

36. Ex librorum N. T. lectione, satis apparet sacros scriptores sermonem valde vulgarem adhibuisse: sed ratio in promp-

tu est: nam, in primis, agebatur de doctrina, mysteriis et arcanis plena, et idcirco, locutione clara et facili necessario exponenda. Deinde evangelica praedicatio erat non modo pro hominibus scientificis, sed etiam et praesertim pro simplici populo, cui se accommodare debuerunt Apostoli. Ex alia parte, Deus sacris scriptoribus, non ipsa verba sed sententias tantum dictavit, quas unusquisque suo modo exponebat, et generatim sermone vulgari, cum fere omnes Apostoli illitterati essent, ut ex Act. IV, 13 constat.

Tamen Paulus, discipulus Gamalielis et in Scripturis eruditus, et Lucas medicus, perfectione quadam litteraria ab aliis distinguuntur: et insuper ipsemet Paulus, cum ad Episcopos (ad Titum et Timotheum) scribit, locutione utitur sublimiori et valde scientifica. Denique, Dei providentia factum est, ut praedicatores et scriptores evangelici, sermonem adeo vulgarem adhiberent, ne mirabilis exitus seu effectus praedicationis, Apostolorum elocutione tribueretur, sed tantum gratiae D. N. J. C., seu, ut ait Apostolus, *«non in sapientia verbi, ut non evacuetur crux Christi.»* (1) «Ridiculum ergo foret, ait eruditus Caminero, N. T. linguam et stylum defendere et laudibus ex tollere, comparatione facta cum graecis romanisque oratoribus et poetis; cum potius ad orientalem eloquentiam accedat, et quam libet cum classicorum arte comparationem repellat. Graeca opera romanaque splendida quidem et pulchra in suo genere sunt; Evangelia vero, parabola, sermo Christi in monte habito, divina.» (2)

Caput VII.

37. De sermone scripto deque ejus antiquitate et divisione. De alphabeti origine. = 38. Quomodo hebraei longo spatio temporis suos libros scriberent. Signa divisoria ut Silluk et Soph pasuk quae deinceps ab ipsis inventa sunt. 39. = Paraeschae et haptare, earumque species et numerus. = 40. Divisiones in capita et versus Card. Hugo et Roberti Stephani vel Estienne.

37. Medium quo oralis sermo fit perpetuus et universalis

(1) I ad Cor. I, 17.

(2) Man. Isagog. Sec. II, Cap. VIII.

quoad spatium et tempus, est scriptura, (1) quae quidem antiquissima est, ut ex hieroglyphicis et papyris Aegypti constat, et lateres assyrio-chaldaei confirmant, et absque dubio praecedit aetatem Moysis et etiam Abrahæ. Cum humanus intellectus semper ab imperfectioribus ad perfectiora procedat, idcirco in humani generis historia, triplex genus scripturae invenitur, nempe *ideographica*, *hieroglyphica* et *phonographica*. Stricte loquendo, scriptura dividitur in *ideographicam* et *phonographicam*; prior ideas, altera ipsa vocabula immediate designant. Tamen, scriptura *ideographica*, vel ideas notas facit imaginibus depictis ipsorum objectorum, et tunc proprie dicitur *ideographica*, vel ideas atque objecta repraesentat, quibusdam proprietatibus, analogiis et similitudinibus, et dicitur *symbolica* aut etiam *hieroglyphica*.

Incommoda vel inconvenientia scripturae tum *ideographicae* tum *symbolicae* sunt 1.^{um} impossibilitas exprimendi objecta spiritualia et ea omnia quae ad visum non spectant: 2.^{um} magna difficultas significandi rerum diversas relationes: 3.^{um} Necessitas adhibendi multitudinem quasi infinitam characterum, attenta magna rerum diversitate in sua materiali configuratione: et demum 4.^{um} hoc genere scripturae exclusive adhibito, omnes scriptores, totidem deberent esse pictores.

Inter omnes scripturae species primum locum obtinet illa quae dicitur *phonographica* et etiam *phonetica*, quaeque a nationibus cultis totius orbis hodie adhibetur.

(1) Utilitatem et etiam necessitatem scripturae, sapienter exponit Sanc. Thomas his verbis: «Si homo esset naturaliter animal solitarium, sufficerent sibi animae passionibus, quibus ipsis rebus conformaretur et earum notitiam in se haberet; sed quia homo est naturaliter animal politicum et sociale, necesse fuit quod conceptiones unius hominis innotescerent aliis quod fit per vocem: et ideo necesse fuit esse voces significativas ad hoc quod homines invicem conviverent. Unde illi, qui sunt diversarum linguarum, non possunt bene convivere ad invicem. Rursum, si homo uteretur sola cognitione sensitiva, quae respicit solum ad hic et nunc, sufficeret sibi ad convivendum aliis vox significativa, sicut et caeteris animalibus, quae per quasdam voces, suas conceptiones invicem sibi manifestant; sed quia homo utitur etiam intellectuali cognitione, quae abstrahit ab hic et nunc, consequitur ipsum sollicitudo non solum de praesentibus secundum locum et tempus, sed etiam de his, quae distant loco et futura sunt tempore. Unde ut homo conceptiones suas etiam his, qui distant secundum locum, et his qui venturi sunt in futuro tempore manifestet, necessarius fuit usus scripturae» In I Periherm. Lect. II, n. 2.

Quoad originem et inventionem scripturae phoneticae et alphabeti, graeci atque romani putavere, phoenices fuisse ipsius inventores, quod tamen ex historia non satis constat. (1) Sed probabilius phoenices id tantum fecerunt nempe ex innumeris characteribus qui antiquam constituebant scripturam, 16 tantum juxta Card. Gonzalez (2) vel 22 juxta alios, in usum recipere: et hic postremus alphabetus adoptatus fuit ab hebraeis. Litterae alphabeti, secundum diversa tempora, fuerunt cuneiformes, curvae et quadratae: haec postrema scriptura, inter hebraeos, adhibita fuit primum ab Esdra in Sacris Scripturis: saltem certum est, ante Esdras, litteras scripturae hebraicae fuisse curvas (letra redondilla). (3)

Materia in qua litterae consignabantur fuit lapis, plumbum, lignum, lateres, et deinceps corium, papyrus et membranae (pergamino.) Membranis generatim usi sunt scriptores utriusque Testamenti: cum enim eorum libri *volumina* (envoltorios) dicantur, verisimile est papyro vel membranis confecta fuisse.

38 Antiquitus hebraei suos libros scribebant generatim conti-

(1) Ad rem Caesar Cantú: "Les han atribuido á los griegos la más sorprendente de todas las invenciones, á saber, la del alfabeto, pero los mismos griegos hacen memoria de inscripciones anteriores á la emigración de Cadmo, y quizá los fenicios no hicieron otra cosa que facilitar la escritura con la introducción del papiro. Las inscripciones conocidas hasta ahora son funerarias ó religiosas, y tres fragmentos de escrituras fenicias, recién descubiertos, se ven en las bibliotecas de la Propaganda de Turín y del Vaticano. Los eruditos creen derivados de la lengua fenicia los cinco alfabetos que se conocen, á saber: el semítico, el greco-latino, el ibérico, el septentrional rímico de los escandinavos, germanos y eslavos y el hindo-merito, en el que las voces se ligan con las consonantes por apéndices convencionales, y se usa en Abisinia y Livia.", Hist. Univ. Lib. II Cap. XXVI.=Cons. etiam P. Gomar, apud Diccion. de Cienc. Ecclesiast. Perujo y Angulo, Tom. 4, pag. 223 et seqq.=Hist. Univ. de la Igl. Cat., R. F. Rohrbacher, Tom. I, Disert III, *El lenguaje* a P. Carolo Lasalde.=Quidam, alphabeti originem divinae revelationi tribuerunt. Audiatur insignis Balmes: "A la vista de un sistema tan admirable y al propio tiempo tan antiguo, ocurre naturalmente la pregunta: ¿quién es el inventor? Su origen se pierde en la oscuridad de los tiempos; y en vista de un arte tan extraordinario, tan profundamente filosófico, en medio de pueblos sencillos y toscos, y desde la más remota antigüedad, no se debe extrañar que graves autores le hayan mirado como un don inmediato del cielo.", Filos. Element., Gramat. Gener., Cap. XVI.

(2) Conf., Filosofía Element., Logic., Lib. I, Cap. I.

(3) Quoad antiquam scripturam lege opus clar. R. F. Valbuena, cui titulus *«Egipto y Asiria resuscitados»* praesertim P. I., Lib. I, Cap. III et IV.

nua serie et absque signis orthographicis, exceptis libris poeticis in quibus inveniebantur signa quaedam ad parallelismum distinguendum. Sed postea totam Scripturam versiculis distribuerunt per signum *silluk* T (finis) cum duobus punctis *sop phasuk*: (versuum distinctor.) Hi tamen versus, hodiernis Bibliae versibus non respondent, sed illi multo grandiores sunt.

39. Cum judaei tenerentur Pentateuchum legere, finem facientes in festo Tabernaculorum, et a sequenti sabbato initium lectionis sumentes, diviserunt Pentateuchum in quasdam sectiones quas vocabant *Paraschas*, quae quidem sunt *maiores* et *minores*. *Paraschae maiores* dicuntur, quae cuilibet hebdomadae respondent, numero quinquaginta quator: in nostro quidem Calendario non sunt nisi quinquaginta duae hebdomadae: sed judaei rationem habuerunt anni intercalaris, qui abundat uno mense: unde in annis vulgaribus duas *Paraschas* conjungebant. *Paraschae minores* sunt minutiores portiones *Parascharum* majorum. *Paraschae* dividuntur etiam in *apertas* et *clausas*: *apertae* quae vocantur *petuchot* illae sunt quae inchoantur in lineae initio, et si majores sint designantur littera *phe* hebraica majori ter repetita; minores vero unico *phe* minusculo. Quaelibet *Parascha aperta* nomen sortitur á primo suo vocabulo: sic prima *Parascha* totius Pentateuchi dicitur *Bereschit* quae est prima vox Geneseos. *Paraschae clausae* quae dicuntur *Sethumot* illae sunt quae inchoantur in medio lineae, et sunt majores et minores: quae majores sunt, signantur tribus majoribus *Samech*; minores vero, unico *Samech* minusculo, ut videre est in plerisque Bibliis hebraicis. Demum quaelibet *Parascha* major dividitur in septem portiones, quoniam septem sunt lectores, quorum quilibet suam de *Parascha* portionem legit: Sacerdos, si adsit, primus legit; secundus Levita, et dein alii juxta eorum dignitatem.

In Prophetis, divisiones *Paraschis* respondentes vocantur *haph-tarae*, sic dictae, quia his lectis populus dimittebatur. *Haph-tarae* omnes sunt octoginta et una.

40. Divisio Sacrae Scripturae in *Capita*, juxta aliquos introducta fuit a Carolo Magno, sed probalius saeculo XIII a Card. barcinonensi Hugone O. P. qui ad suas Concordantias Biblicas efformandas, Scripturam in *capita* divisit, et quodlibet caput in septem portiones quae septem prioribus litteris alphabeti designantur. Hae literae adhuc in Bibliis conservantur: sed hodierna *capita* non eamdem habent extensionem ac illa quae ab Hugone



adhibita sunt. Anno 1551 Robertus Stienne vel Stephanus, celebris typographus Parisiensis fecit primam divisionem *versuum*, sed satis infeliciter, cum non raro cum ipso textu pugnet. Sixtus V hanc divisionem emendare voluit: cum vero res valde difficilis appareret, a suo proposito destitit.

Caput VIII

41. Quid sit Thalmud judaeorum ejusque origo. Ipsius partes, nempe Mischna et Gemara. Sectiones quas hoc opus complectitur. De ipsius auctoritate critica. = 42. Quid Massora. Labores Massoretharum. Iudicium de ipsis ferendum. = 43 Num textus hebraicus integer usque ad nos perseveraverit. = 44. Manuscripta hebraica adhuc existentia, eorumque antiquitas. Qua de causa manuscripta antiquiora non servantur.

41. *Thalmud* juxta etymologiam idem est ac *doctrina*, et apud judaeos est *magnus traditionum hebraicarum complexus*. Judaei censent, plura a Deo Moysi fuisse revelata, quae tamen Moyses scriptis non consignavit, sed viva voce tantum suis coaevis transmisit; haec autem doctrina a Deo revelata et via traditionali conservata, praecipuam Thalmudis partem constituit, et dicitur *Mischna*; et etiam *Secunda Lex*. Hujus vero Legis commentarius seu expositio constituit secundam Thalmudis partem, et dicitur *Gemara*. Opus Thalmudis duodecim voluminibus in fol. comprehenditur et in sex sectiones dispescitur: 1.^a de seminibus: 2.^a de festis: 3.^a de mulieribus: 4.^a de damnis: 5.^a de rebus sacris, et 6.^a de purificationibus. Hoc Thalmud dicitur Hierosolymitanus, ejusque compositio inchoata fuit initio saeculi III, a Juda Haccadosch praeside scholae Tiberiadis qui composuit Mischna. Aliud etiam datur Thalmud, nempe Babylonicum saeculo IV confectum. Thalmud inter judaeos eandem auctoritatem habet ac Sacra Scriptura. Tamen hodierni critici jam ostenderunt, Thalmud nihil aliud esse nisi farraginem blasphemiarum et fabularum. Gregorius IX anno 1230 proscripsit et damnavit Thalmud; quae quidem damnatio a posterioribus Pontificibus confirmata fuit.

Tamen inter tot fabulas, Thalmud nonnulla continet vera et certa a judaeis traditionaliter custodita, quaeque pro sacris

Scripturis interpretandis, non sine fructu quandoque adhiberi possunt. (1)

42. *Massora* idem est ac *traditio*, et sic a Buxtorf definitur: «*Massora* est doctrina critica a priscis hebraeorum sapientibus circa textum S. Scripturae ingeniose inventa, qua versus, voces et litterae ejus numeratae, omnisque earum varietas notata et suis locis cum singulorum versuum recitatione indicata est; ut sic constans et genuina ejus lectio conservetur et ab omni mutatione aut corruptione in aeternum praeservetur et valide praemuniatur.» (2)

Unde massorethae haec fecerunt: 1.^{um} omnes phrases, vocabula et litteras singulorum librorum V. T. numerare: 2.^{um} cum omnes litterae alphabeti hebraici fuerint consonantes, ut earum pronuntiatio semper fixa maneret, puncta vocalia et accentus hebraicis vocibus apposuerunt: 3.^{um} Lectiones quas mendosas judicabant emendarunt: non tamen in ipso textu correctiones faciebant, ob magnam judaeorum sacri textus reverentiam, sed tantum in margine, ope *querib*, seu quomodo legendum sit, et *quetib*, seu quomodo sit scriptum. Hic postremus massoretharum labor dividitur in massoram *magnam*, *parvam* et *finalem*. Prior, integras observationes refert et supra et infra textum sacrum apponitur: massora *parva* non nisi compendiose et per abbreviaturas has observationes exhibet ad latus textus sacri; et demum massora *finalis* omnes massorae magnae observationes et correctiones ordine alphabetico positas Bibliorum fini addit.

Quidam putant laborem massorethicum inchoatum fuisse saeculo III ante Christum, vel temporibus Esdrae: sed probabilius origo hujus laboris saeculo VII post Christum tribui debet, et usque ad saeculum X duravit: unde non est opus unius tantum generationis.

Finis massoretharum laude dignus est, cum sibi proposuerint omnem in posterum sacri textus depravationem vel mutationem impedire: tamen labor eorum diversimode a diversis judicatus est. Hoc certum videtur, textum massorethicum Bibliae hebraice satis et fere semper cum versione S. Hieronymi, Exaplis Ori-

(1) Conf. Vigouroux, Man. Biblic. Introd. gen. Cap. VI, Art. I. = Etiam Diccion. de Cienc. ecclesiast. Perujo y Angulo, Tom. X, pag. 18.

(2) Cit. a Cornely op. cit. Introd. gen. Dissert. Altera, Cap. I.

senis et versionibus Aquilae, Theodotionis et Symmachi, congruere. Demum massoram, quaedam inutilia continere, ut verbum vocabulorumque numerationem, indubium est: sed utilitatem punctorum vocalium et accentuum nemo negabit. «Saltem, ait Caminero, id boni habemus ex laboribus massorethicis ut nempe lectionem textuum manuscriptorum illius temporis cognoscamus, legendi modus antiquus fere maneat, textus denique stabilitatem quamdam etiam in minimis obtinuerit, etsi non prorsus perfectus.» (1)

43 Nunc quaeritur, utrum textus hebraicus integer ad nos usque perseveraverit. Quaestio, ut patet, est de integritate substantiali: nam in hodierno textu aliquos errores accidentales contineri, facile suadetur: nisi enim supernaturalis Dei assistentia admittatur, impossibile est, textum hebraicum, spatio triginta et amplius saeculorum tot vicibus transcriptum nullum habere defectum: calligraphos, typographos et interpretes, sive ex negligentia, sive ex errore involuntario, numquam litteras inter se confudisse, nihil omnino addidisse vel omisisse. Unde ipsi judaei fatentur, quasdam variantes in codicibus hebraicis inventas fuisse, ut ex laboribus massorethicis *querib* et *quetib* abunde constat.

Sed probari potest, textum hebraicum adhuc substantialiter incorruptum manere.

Et quidem, nulla substantialis corruptio facta est ante Christum; nam ut ex Evangeliiis constat, Christus et Apostoli judaeis, et praesertim doctoribus et sacerdotibus non parcent, cum de eorum criminibus agitur: si ergo hi sacrum textum substantialiter mutassent, Christus et Apostoli eos de hoc scelere redarguerent. Tamen Christus et Apostoli Scripturas veras esse in omnibus *usque ad ultimum jota et apicem* declarant, et doctoribus *super cathedram Moysi sedentibus* ad Scripturas legendas et exponendas, credendum esse asserunt. Quod si sacri libri, casu et absque culpa substantialiter corrupti fuissent, Christus et Apostoli de hac corruptione suos discipulos et etiam ipsos Judaeos monuissent. Neque dici potest, post Apostolorum aetatem sacrum textum fuisse corruptum; nam jam saeculo II, versiones graecae Aquilae, Theodotionis et Symmachi quae immediate ex textu hebraeo desumptae sunt in lucem prodierunt: ecclesia vero hu-

(1) Man. Isagog. Sect. II. Cap. VI.

jusmodi versiones non damnavit. Saeculo III Origenes textum hebraicum adhibuit ad suas *Exaplas* conficiendas, ejusque opus Ecclesia magno plausu excepit. Saeculo IV S. Hieronymus V. Testamentum ex hebraico transtulit, ejusque versio ab Ecclesia fuit recepta et numquam dimissa: deinceps, doctores, theologi et correctores, textu hebraico usi sunt, sive in explanandis Scripturis, sive in suis disputationibus cum haereticis.

Patres unanimiter crediderunt, textum hebraicum non fuisse substantialiter corruptum: inter alios S. Hieronymus haec habet: «Si quis dixerit Hebraeorum libros postea a Judaeis esse falsatos, audiat Originem quid in octavo volumine explanationum Isaiae huic respondeat quaestiunculae: quod numquam Dominus et Apostoli, qui caetera crimina arguunt in Scribis et Phariseis, de hoc crimine, quod erat maximum, reticissent. Sin autem dixerint, post adventum Domini Salvatoris, et praedicationem Apostolorum, libros hebraeos fuisse falsatos, cachinum tenere non potero, ut Salvator, et Evangelistae et Apostoli ita testimonia protulerint ut Judaei postea falsaturi erant.» (1)

Demum haec eadem veritas evincitur ex impossibilitate corruptionis substantialis textus hebraici: nulla enim epocha nec ante nec post Christum assignari potest, qua haec substantialis corruptio facta fuerit, absque ulla reclamazione ex parte Sinagogae, Prophetarum, Christi Domini, Apostolorum, Patrum et universae Ecclesiae.

Qui contrariam tenent sententiam, dicunt aliquos Patres, nempe Justinum, Chrysostomum ipsumque Hieronymum judaeos accusare de corruptione hebraici textus. Sed si quis eorum opera legat, profecto viderit, eos de levioribus mutationibus agere; vel non de ipsius textus corruptione, sed potius de sensu quorundam locorum non bene reddito, aut data opera depravato in quibusdam versionibus graecis ab hebraeis vel hebraizantibus confectis, nempe in versionibus Symmachi, Aquilae et Thedotionis, quae juxta hos Patres non plene cohaerebant cum LXX. Quod si forte aliqui antiqui Doctores, ut Tertullianus, judaeos de corruptione ipsius textus accusant, hoc facile explicatur: illi enim Doctores versionem LXX interpretum in magnam venerationem habebant, et nonnulli ipsam divinitus inspiratam crediderunt: hinc quod quando inveniebant

(1) Com. in Isaiam V. 8.

aliquam differentiam inter textum hebraicum et graecum, nonnumquam putarent judaeos textum vitiasse.

Quidam, ut Mariana, Serarius et Bonfrerius dicunt reipa constare, textum in pluribus locis substantialiter esse corruptum a judaeis in odium religionis christianae: ex. gra.; Ps: XXI, 17 «*foderunt* manus meas etc» in textu hebraico *caru* quod est *foderunt*, legitur *caari*, quod est *sicut leo*, nullumque facit sensum: Zach. IX, 9, «veniet tibi justus et *salvator*», hebr. *victor*: Ps. XV, 10, «nec dabis *sanctum tuum*»; hebr. *sanctos tuos*. Haec vero, non ut corruptiones substantiales, sed ut variantes debent haberi.

His omnibus addi potest testimonium Josephi Flav.; «Quanta porro veneratione, libros nostros prosequamur, re ipsa apparet. Cum enim tot jam saecula effluxerint, nemo adhuc adjicere quidquam illis, nec demere, nec mutare ausus fuit. Sed omnibus nobis, statim ab ipso nascendi exordio, hoc insitum atque innatum est, Dei ut haec esse praecepta credamus, iisdemque constanter adhaerescamus, et eorum causa, si opus fuerit, libentissime mortem perferamus. (1)

44. Manuscripta hebraica in pluribus bibliothecis inveniuntur. (2) Quaedam sunt *publica* et in usum synagogarum confecta: vera sunt *volumina*, id est, longiores membranae ex pergamena charta vel ex corio, circa bacillum (*palito*) circumvolutae (*rollos*.) Exarata sunt characteribus quadratis absque punctis vocalibus. Alii sunt codices *privati*, qui characteribus quadratis cum punctis, vel etiam characteribus rabbinicis (script. cursiva) scripti sunt, et in forma librorum communium redacti, adhibitis membranis vel etiam charta bombycina aut communi. Codices hispani generatim eleganti scriptura quadrata exarati suut.

Ad antiquitatem manuscriptorum quod attinet, nonnulli codices, praesèferunt designationem anni, quo scripti sunt, non vero alii: neque omittendum est, ad aetatem manuscriptorum determinandam, judaeos quandoque annos numerare ab epocha Seleucidarum 312 ant. Christum: aliquando a destructione templi, et quandoque a Creatione mundi. Antiquissimus inter omnes codices hebraicos est exemplar Pentateuchi anni 843 absque

(1) Con. Apion I, '8

(2) Bibliotheca de Rossi quae adhuc Parmae asservatur continet fere 800 codices hebraicos.

punctis vocalibus, et etiam codex Prophetarum posteriorum cum punctis anni 916. Reliqui codices sunt saeculi X vel posteriores.

Quod antiquissimi codices perierint explicatur partim lapsu temporis, et insuper, quia iudaei ex praecepto Thalmudis tenentur codices usu detritos destruere vel sepelire, ne in usus profanos veniant: unde hujusmodi libri conjiciuntur in puteum quemdam, qui in qualibet synagoga invenitur: quem locum iudaei appellant *Guenizá*. (1)

Caput IX.

45. Num adhuc existant manuscripta originalia librorum N. T. Videtur autographa ipsa extitisse temporibus Tertulliani. = 46. Quomodo autographa exarata fuerint, sive ex parte scriptoris sive ex parte scripturae considerentur. = 47. Stichometria ejusque incommoda. = 48. Anagnosmata et pericopes, eorum origo et objectum. = 49. Divisio librorum Novi Testamenti per capita, titulos et versus, a quibus sic peracta.

45. Manuscripta originalia N. T. perierunt, sive lapsu temporis, sive more judaeorum destruendi libros sacros, ne in usus profanos venirent. Quad Codicem Venetum Marci, suo loco ostendemus, ipsum non esse autographum Marci. Videtur tamen temporibus Tertulliani ipsa autographa extitisse: ait enim Tertullianus: «Percurre ecclesias apostolicas, apud quas *ipse authenticæ litterae* eorum recitantur, sonantes vocem et repraesentantes faciem uniuscujusque. Proxima est tibi Achaia, habes Corinthum. Si non longe es a Macaедonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses etc.» (2) Hic vero Tertullianum agere de autographis Apostolorum, constat: 1.^o quia comparat *ipsas authenticas litteras* cum *ipsis cathedris*: jam vero, in praedictis ecclesiis ipsissimae Apostolorum cathedrae servabantur: 2.^o Quia Tertullianus hic loquitur contra Marcionem aliosque haereticos qui asserebant non modo versionem africanam, sed ipsas scripturas originales corruptas fuisse: 3.^o quia si non de ipsis autographis sed de quibuslibet exemplaribus Tertullianus ageret, minime suos adver-

(1) Plura de his Ubaldi, Intro l. etc. P. III, Sect. I, Cap. I, Art. I.

(2) De praescript. 36.

sarios ad eas ecclesias mitteret ad quas Apostoli sua autographa-miserunt: aetate namque Tertulliani plura exemplaria uniuscujus-que libri erant.

Etiam S. Petrus Alexandrinus asserit, adhuc suo tempore, nempe ineunte saeculo IV Evangelium ipsius S. Joannis manu conscriptum, Ephesi a fidelibus coli.

46. Quidam N. T. libri scripti fuerunt ab ipsis auctoribus, ut Epist. ad Philemonem et 2.^a et 3.^a Joannis: quandoque amanuensibus utebantur, ut de Epistola ad Romanos constat. Materia quae temporibus Apostolorum pro libris conscribendis inservivit fuit generatim charta ex papyro aegyptiaca confecta (II Joan 12) aut membrana (II Tim. IV. 13.) Plerumque papyri et membranae, in quorum una tantum parte scribebant, ad formam cylindri circa bacillum convolvebantur, et volumina vocabantur. Scribebant calamo et atramento nigri coloris. Quandoque membrana purpurea utebantur, in qua litteris aureis vel argenteis sacrum textum consignabant.

Forma litterarum illa erat, quae hodie *uncialis* vocatur; omnesque litterae erant majusculae, quadratae vel rotundae ejusdem magnitudinis, exceptis fortasse initialibus. A saeculo IX etiam minusculae adhibitae sunt ad sacros codices scribendos, et post saeculum X majusculae omnino disparent.

Litterae scribebantur continua serie absque ulla vocabulorum separatione et sine punctuatione orthographica, unde facile diversae lectiones fluxerunt. Sic nonnulli Patres, hunc locum Joannis, I, 3-4, legebant: *Et sine ipso factum est nihil. Quod factum est in ipso vita erat* etc., quem legendi modum Chrysostomo haeticum esse videtur.

47. Cum hac diversitate legendi haeretici abuterentur, Origenes in suis exaplis V. T. et S. Hieronymus (1) in libris Prophetis novum scribendi modum adhibuerunt, ita ut singulae lineae phrasin continerent, quae uno spiritu pronuncianda erat; et haec scribendi ratio dicitur *stichometria* quam Euthalius diaconus Alexandrinus medio saeculo V in N. T. applicavit primum Epistolis Paulinis, dein Actibus et Epistolis catholicis, et demum Evangeliiis. Cum tamen hic scribendi modus nimium patii et ideochartae absumeret, denuo continua serie scribere coeperunt, sed ita ut quibusdam signis stichorum distinctio indicaretur. Posterioribus

(1) Praef. in Is.

saeculis, alia interpunctionis signa adhibita sunt, donec inventa typographia, hodiernus interpungendi modus introductus fuit. (1)

48. Sicut judaei in signagogis suos libros sacros per annum legebant, etiam Christiani in suis conventibus libros N. T. legere coeperunt, et imitati sunt hebraeorum *paraschas* in Evangeliiis Dominicalibus, et *haphtaras* in Epistolis quae leguntur in Missa. Paraschis majoribus respondent *anagnosmata* (sectiones) et minoribus *pericopes* (portiones anagnosmatum.) (2) Euthalius superius laudatus, jussu Athanasii Episcopi, Acta Apostolorum et Epistolas in 57 anagnosmata divisit pro numero dierum festorum; quae divisio jam antea in Evangeliiis introducta fuerat. In quibusdam ecclesiis, praesertim Galliae, mox invaluit non integros N. T. libros per sectiones recitandi; sed partes tantum selectas diversis anni temporibus et festis accommodatas. Hae lectiones in uno volumine collectae dicebantur *Lctionarium* et a graecis *εκλογαδιον*; quod si lectiones ex Evangeliiis tantum vel ex Actis Apostolorum desumptis complectebantur *Evangelitaria* et *Praxapostolaria* dicebantur.

49. Ammonius Saccas (3) medio saeculo III ad concordiam

(1) En specimen stichometriae ex Codice Coisliniano (H. Paul.) ad Tit. II, 2-3.

πρεσβυτας νηφελιους ειναι,
 σεμνους,
 σωφρονας,
 υγιανοντας τη πιστει,
 τη αγαπη,
 τη υπομονη·
 πρεσβυτιδας ωσαντως
 εν κατακληματι ιεροπρεπεις
 μη διαβολους
 μη οινω πολλω δεδουλωμενας
 καλοδιδασκαλους

Apud Cornely. Introd. gen. Dissert. II, Cap. II.

(2) S. Augustinus de his mentionem facit dicens: "Meminit sanctitas vestra evangelium secundum Joannem ex ordine lectionum nos solere tractare. Sed quia nunc interposita est solemnitas sanctorum dierum quibus certas ex Evangelio lectiones oportet recitari, quae ita annuae sunt ut aliter esse non possint, ordo iste paullatim intermissus est." Praef. in Ep. I Joann.

(3) Sic dictus, quia cum inopia laboraret, adsportare saccos ipsi necesse



Evangeliorum in suo *Monotessaron* ostendendam, Evangelia in breves sectiones seu *capita* numeris signata distribuit nempe Matthaeum in 355 capita, Marcum in 236, Lucam in 342 et Joannem in 232; insuper Evangelio Matthaei loca parallela aliorum Evangeliorum addidit, ut ita ex omnibus simul collatis facilius evangelicus contextus efformaretur. Deinceps Eusebius his *capitibus* usus est, et decem numerorum tabulas excogitavit ad facilius concordiam et harmoniam conficiendam, et dicuntur *canones* Eusebii. *Capita* Ammonii recepta fuere a S. Hieronymo in sua latina recensione; et etiam in antiquis codicibus graecis inveniuntur.

Praeter Ammonii capita, aliae divisiones et quidem majores in sacrum textum inductae sunt, quae *breves* seu *tituli* appellabantur, quia singulis apponi solebat brevis summa seu argumentum totius sectionis. Evangelium Matthaei distribuebatur in 68 titulos, Marci 49, Lucae 83, et Joannis 18.

Quo tempore et a quo haec divisio inducta fuerit, incertum est: videtur adhuc saeculo IV hanc divisionem non fuisse introductam, ut ex Homiliis Chrysostomi in Matth. et Joann. infertur: saeculo tamen sequenti jam in Codice Alexandrino invenitur.

Divisiones in capita et versus a Card. Hugone et Roberto Stephano introductae fuerunt, ut alibi diximus.

Caput X

50. Quid nomine *codicis* intelligatur. Num inter diversos codices et etiam versiones et citationes SS. Patrum variantes lectiones inveniuntur, et quomodo explicentur. An ipsam doctrinae substantiam attingant.=51. Principales codicum familiae earumque origo. De gradu auctoritatis codicum familiae Alexandrinae et Byzantinae.=52. Praecipui codices manuscripti adhuc existentes. Quomodo aliqui eorum designentur, et ubi serventur.=53. Quis primum typis mandaverit textum graecum. Aliae editiones ipsius textus. Quae earum appelletur *textus receptus*. Num aliquid in hoc textu desideretur.=54. Quid apparatus criticus et quae generatim complectatur. Praecipui apparatus critici.

50. Nomine *codicum* hic exemplaria manuscripta antiquissi-

fuit ad victum sibi procurandum. Sub imperatore Commodo, philosophicam scholam Alexandriae instituit, et ex doctrinis Aristotelis, Platonis et Evangelii quoddam elaboravit systema eclecticum, nempe systema Neo Platicum,

ma sacri textus intelligimus. Generatim codices manuscripti graeci et latini antiquiores sunt codicibus hebraicis qui adhuc servantur.

Variantes vocamus differentias quasdam textus sacri, qui in diversis codicibus, et etiam inversionibus et citationibus Patrum inveniuntur. Earum existentia a nemine in dubium vocari potest: eas tamen nonnisi accidentales esse, postea demonstrabimus.

Causae vero hujusmodi variantium plurimae adduci possunt: nempe, 1.^a haereticorum malitia: ad suos enim errores defendendos sacrum textum non modo mutarunt sed etiam mutilarunt, ut fecit Marcion cum Evangelio Lucae teste Tertulliano: 2.^a Defectus separationis vocabulorum quae continua serie scribebantur, unde quandoque aliqua littera vel signum interpunctionis illi tribuebatur vocabulo cui non competebat: 3.^a Negligentia librariorum (de los copistas) qui, ut ait Origenes, aut *fallente oculo* litteras forma similes permutarunt, syllabas, vocabula phrasesque integras omiserunt; aut *fallente aure* litteras vocesque sono similes confuderunt, aut *fallente memoria* vocabulorum ordinem inverterunt, synonyma permutarunt, in longioribus enumerationibus aliqua membra omiserunt: 4.^a Confusio alicujus sententiae cum praecedenti, eo quod utraque omnino similis librariis videretur: unde cum legerent in I. Joann. Epist. V,7: «Quoniam tres sunt qui testimonium dant in coelo: Pater, Verbum et Spiritus Sanctus: *et hi tres unum sunt*» sequentem v. 8 sic scripserunt: «Et tres sunt, qui testimonium dant in terra: Spiritus, et aqua et sanguis: *et hi tres unum sunt*»: et tamen juxta textum graecum scribere debuerunt: *et hi tres in unum sunt*» (καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἐν εἰσιν): 5.^a librariorum audacia, qui non bene aliqua loca intelligentes, eaque ut contradictoria fortasse habentes, aliquid eorum emendarunt.

Variantes vero quae in citationibus Patrum leguntur, facile explicantur, si quis consideret eos diversis versionibus usos fuisse, et praeterea ipsos frequenter testimonia Scripturae non ad litteram sed memoriter et ad sensum citare.

Variantes de quibus hactenus egimus ad rei substantiam non pertinere hodierni critici, et praesertim Tischendorf, evidentissime demonstrant.

§ I. Harum variantium causa, jam a saeculo III plures recensiones, ut dicunt, textus prodierunt. Origenes Vetus Testa-

mentum alexandrinum emendandum suscepit: num id ipsum fecerit cum N. T. incertum est. Hesychius episcopus aegyptiacus, et Lucianus presbyter antiochenus, qui uterque in Diocletiani persecutione martyrio coronati sunt, graecam V. T. versionem emendarunt, et etiam N. T. emendare coeperunt: tamen horum labores, praesertim circa Evangelia, a catholicis approbati non fuerunt. Ait enim S. Hieronymus: «Praetermitto eos codices, quos a Luciano et Hesychio nuncupatos paucorum hominum asserit perversa contentio, quibus utique neque in toto Veteri Instrumento post septuaginta interpretes emendare quid licuit, nec in novo profuit emendasse, cum multorum gentium linguis scriptura antea translata doceat falsa esse, quae addita sunt.» (1) Et Gelasius: «Evangelia quae falsavit Lucianus apocrypha..... Evangelia quae falsavit Hesychius apocrypha.» (2)

Quamvis inter antiquos codices diversae lectiones inveniantur, tamen inter plures quaedam cernitur similitudo et affinitas quae eos ad quasdam classes vel familias revocare permittit. Hoc fecerunt ex rationalistis Bengel, Semler et Eichhorn, et ex catholicis Leonh Hug et Scholz. Sed quoad numerum familiarum non una est sententia, et in super, has classificationes ex ingenio potius quam ex documentis historicis confectas fuisse asserit Tischendorf. (3) Quidam omnes codices ad quatuor revocant familias, quae quidem sunt *alexandrina*, *asiatica*, *Byzantina* et *latina*. Sed juxta alios, familia latina reducitur ad ale-

(1) Ad Dam. Praef. in Evang.

(2) Decret. de recip et non recip. libris.

(3) Tischendorf novum systema invexit, quod sic ipse describit: «A ratione documentorum omnium, quae ad nos pervenere, si proficiscimur, dubium non est quasdam horum testium classes distinguendas esse, in Evangeliiis quidem maxime, multo minus in Apocalysi quam in reliquis libris, magis etiam in Epistolis Paulinis et in Actibus quam in Catholicis Epistolis, conspiciendas illas quidem eo, quod plures testes cum indole universa tum lectionibus singulis plurimis prae reliquis omnibus consentiant. Quas si alexandrinae et latinae, asiaticae et byzantinae nominibus insigniri placeat, ut non tan quatuor singulas quam duo paria ponamus, multa possunt ex testibus peti et jam sunt petita, quae quam in recte fiat ostendant, etsi nec deerunt, quibus inventae rationes impediuntur... Debebinus autem alexandrinam dicere, quae inter judaeochristianos Orientis celebrabatur, quorum ut ipsorum Apostolorum sermo graecus maxime pendebat a septuaginta interpretum versione; latinam quae a latinis adhibebatur, sive latina sive graeca potissimum lingua utebantur: asiaticam quae potissimum

xandrinam; asiatica vero ad byzantinam; et idcirco, duae tantum sunt familiae, nempe *alexandrina* et *byzantina*. Jam saeculo III celebris schola erat Alexandriae, in eaque floruerunt viri sapientissimi ut Panthenus, Origenes et alii qui in emendandis Scripturis multum laboraverunt. Ibi etiam erant calligraphi peritissimi qui has Scripturas emendatas diligentissime exarabant. Omnes ergo codices posteriores qui ex his procedunt, familiam constituunt *alexandrino-latinam*. Cum vi decreti Diocletiani omnes fere codices sacri christianorum destructi fuerint, Constantini imperatoris jussu, Eusebius novam emendatamque editionem S. Scripturae adornavit, et quinquaginta exemplaria ad principales Ecclesias misit: omnes ergo posteriores codices qui ex his proveniunt, familiam constituunt *asiatico-byzantinam*.

Codices familiae alexandrinae, majorem apud criticos habent auctoritatem quam hi qui ad byzantinam familiam pertinent: illa enim antiquior est, et praeterea sapientissimi illi scriptores alexandrini majorem fidem quam Eusebius merentur.

52. Quoad catalogum codicum manuscriptorum, modum eos designandi et locum ubi servantur, haec ad litteram ex Caminero transcribo:

«Pro Evangeliiis

Aleph.—Sin. Codex Sinaiticus, in monasterio S.^{tae} Catharinae montis Sinai non ita pridem a Tischendorf repertus et vulgatus, et saeculo 4.^o descriptus, iis quae diximus, immensum addit pondus sua integritate et concorcondantia cum B. seu vaticano, aliisque melioris notae, ac cum praestantissimis versionibus, vulgata praesertim. Continet universum N. T. cum epistola Barnabae integra, parte libri *Pastoris*, et pluribus V. T. libris. Jam editus est, et originalis servatur Petropoli

A. Alexandrinus, saeculo 5.^o, complectitur V. et N. T. excepto Mat. I-I-XXV, 6, et Joan. VI, 50-VIII, 52, servatur Londini in Musaeo Britannico: magnae auctoritatis.

B. Vaticanus, medio saeculo 4.^o V. et N. T., exceptis Gen. I-I-XLVI-28: ps. CV, 27-CXXXVII, 6; Heb. IX, 14

graecis sive per Asiam sive in ipsa patria degebaat probabatur: byzantinam denique, quae ab ecclesia per byzantinum regnum diffusa legebatur sensimque... ad publicam quamdam unitatem perducebatur.» Apud Cornely. op. cit. Introd. gen. Dissert. alt. Cap. II.

- usque ad finem, una cum epist. ad Tim., Tit., Philem., et Apocalypsi: Romae: summae auctoritatis.
- C. Codex Ephremi, medio saec. 5.^o fragmenta tantum Evangeliorum: Parisiis. (1)
- D. Cantabrigiensis: medio saec. 6.^o evangelia et Actus, cum fragmento latino 3 Joannis: valde concordans cod. B: Cantabrigiae.
- E. Balsileensis, medio saec. 8.^o evangelia (exceptis Luc. III, 4-15; XXVI, 47 ad finem: Basileae.
- F. Boreeli, nunc Rheno-trajectinus: saec. 9.^o: evangelia mutila: Trajecti ad Rhenum.
- F.^a Coislinianus: loca 20 ex evang., actis et epist.: saec. 7.^o ineunte: Parisiis.
- G. Andr. Seidelii, 9.^o vel 10.^o saec.: evang. mutila: Londini Musaeo britan.
- H. Seidelii, nunc Hamburgensis: 9.^o vel 10.^o saec. ineunte: evangelia mutila: Hamburgi
- I. Petropolitanus: constat 7 fragmentis ex totidem codicibus, quorum tres priores 3.^o saec., quartus et septimus 6.^o, demum quintus et sextus 7.^o: fragmenta evang., actuum et epist.
- K. Regius parisiensis 63, medio saec. 9.^o: evangelia integra: Parisiis.
- L. Regius parisiensis 62; saec. 8.^o: evangelia integra paucis exceptis: Parisiis.
- M. Regius parisiensis 48: post medium saec. 9.^{um}: evangelia integra: Parisiis.
- N. (antea IN^o, quia tres codices diversi existimati sunt): medio saec. 6.^o: Γ. fragmenta Mat., N. fragm. Mat. et Luc., I. frahm. Joan.; Γ. Romae, N. Vindobonae, I. Londini.
- N.^b Musaei brit. saec. 4.^o labente: fragmenta 4 ex Joan. cap. XIII et alia 4 cap. XVI: Londini.
- O.^s O^a, O^b, O^c, O^d, O^e, saec. respective 9.^o, 8.^o vel 9.^o, 6.^o, 7.^o, et 9.^o: fragm. Joan. in O.^s, canticum Mariae Virginis in O.^c, cum cant. Zachariae in O.^a et O.^b, ac demum etiam Simeonis in O.^d et O.^e: servantur Moscoviae, Guelferbyti (Wolfenbittel), Oxonii, Veronae, in Psalterio Turicensi ac denique Sangallensi bibliotheca.

(1) Hic codex dicitur etiam *rescriptus* quia sub scripto S. Ephremi inventus fuit a Westein saec. XIX.

- P. Guelpherbytanus, saec. 6.^o: fragm. quatuor evangeliorum: Guelpherbyti.
- Q. Id. saec. 5.^o: fragmenta Lucae et Joan.; ibidem.
- R. Musaei brit. ex monast. coptor. nitriensi: saec. 6.^o fragm. 25 evang. Lucae: Londini.
- S. Vaticanus n. 344: anno 949: evangelia integra: Romae.
- T. Borgianus, saec. 5.^o; Joan. VI, 28-67; VII, 6-VIII, 31, cum versione sahidica: Romae.
- T.^s Woidii, saec. 5.^o; Lucae XII, 15-XIII, 32; Joan. XIII, 32-42: editus a Woide.
- U. Venetus, saec. 9.^o exeunte vel 10.^o incip.; evangelia integra: Venetiis.
- V. Mosquensis, saec. 9.^o; evangelia exceptis Joan. VII, 39 ad finem: Moscoviae.
- W.^a Parisiens. duo folia, saec. 8: duo fragm. Lucae: Parisiis, bibl. imperial. 314.
- W.^b Neapolitanus, Borbonicus, saec. 8.^o; fragm. Mat. Marc. et Lucae: Neapoli.
- W.^c Sangalliensis, Tria folia: saec. 9; fragm. Marci et Lucae: Saint Gall in Helvetia.
- X. Universitatis Monachensis, saec. 9.^o exeunte vel 10.^o incip. fragm. evangeliorum.
- I. Barberinus, saec. 8.^o; Joan. XVI, 3-XIX, 41: editus a Tischendorf.
- Z. Dublinensis, saec. 6.^o; fragm. Matthaei.
- Γ. Oxoniensis, ex Aegypto adsp̄ortatus: saec. 9.^o; Lucam, fere totum Marcum, fragm. Mat. et Joan.; Oxonii, in bibl. bodleyana.
- Δ. Sangalliensis, graeco-latinus, saec. 9.^o; evangelia integra, praeter Joan. XIX, 17-35; S. Gall.
- Θ. Tischendorffianus, saec. 7.^o; quatuor Mat. fragm.; Monachi.
- Λ. Oxoniensis, a Tischendorf ex Oriente allatus: saec. 8.^o; Lucam et Joannem: Oxonii.

Pro Actis Apostolorum.

- A, B, C, D, F^a, I, iidem qui pro evangeliis, sub eadem littera.
- E. Laudianus, graeco-lat. stichom., saec. 6.^o: integra Acta praeter XXVI, 29 XXVIII, 26: Oxonii.
- G-L. Bibliot. Angelicae, ad summum saec. 9.^o a cap. VIII, 10 ad finem: Romae.

- H. Mutinensis, saec. 9.^o a cap. V, 28 ad finem, quibusdam exceptis: Mutinae.

Pro Epistolis Catholicis.

- A. B. C. F.^a I. K. (ut supra) L. idem qui G=L. (ut supra)
 D. Claramontanus, graeco-lat. stichom.; saec. 6.^o cum correctionibus 6ⁱ, 7ⁱ etc.; integras epistolas, paucis fragm. exceptis: maximae auctoritatis: Parisiis: editus a Tischendorf.
 E. Sangermanensis, descriptus ex praecedenti: parvae auctoritatis: aetate dubia: S. Petersburg.
 F. Augiensis, graeco-latinus, saec. 9.^o caret epist. ad Hebraeos et Rom. I, 1-III, 18; Cantabrigiae.
 G. Boernerianus, saec. 9.^o valde affinis F: caret iisdem fragm. aliisque paucis: Dresde.
 H. Coislinianus, saec. 6.^o continet tantum fragmenta: Parisiis: editus a Tischendorf.
 M. Codex duobus fragmentis constans, nempe. Hebr. I, 1-IV, et XII, 20 ad finem, quae servantur Hamburgi: atque 1.^a Cor. I, 15-62 et 2.^a Cor. X, 13-XII, 5, quae sunt Londini: magnae auctoritatis habetur pro his fragmentis.
 N.^o Moscoviensis, saec. 6.^o continet Hebr. X, 1-3, 32-34, 35-38: Moscoviae.

Pro Apocalypsi.

- A. C. (vide pro Evang.)
 B. Vaticanus, num. 2066. saec. 8.^o, integrum: Romae: editum ab Angelo Mai. (1)

53. Prima editio typographica textus graeci est illa quae in polyglotta Card. Ximenez de Cisneros habetur: editores usi sunt codicibus antiquissimis Bibliothecae Vaticanae, quorum copia per Leonem X benignissime Card. Ximenez facta fuit. Hoc tamen, juxta criticos, non nisi de V. T. dici potest: Novum enim Testamentum jam praelo subjectum esse, antequam codices Vaticani in Hispaniam advecti sunt, authenticis documentis constat Unde quoad N. T. juniores codices ad familiam byzantinam spectantes adhibuerunt. Haec editio perfecta fuit anno 1514, quamvis in lucem non prodierit usque ad annum 1520. Aliam fecit editionem graecam Erasmus, adhibitis codicibus byzantinae familiae: publici

(1) Manuale Isagog. Sect. II. Cap. IX.

juris facta est anno 1516. Sed cum textum hunc ipse Erasmus appellaverit *praecipitatum potius quam editum*, alias quatuor adornavit editiones annis 1519, 1522, 1527 et 1535, omnes Basiliae. Ex secunda editione Erasmi, Lutherus N. T. germanice vertit. Omnes fere editiones posteriores ex Complutensi et Erasiana procedunt, et major quidem pars ex postrema, eo quod Polyglottae Complutensis non nisi 600 exemplaria impressa et divulgata fuerant. Robertus Stephanus duas confecit editiones juxta Complutensem annis 1546 et 1549, Parisiis: sed deinceps, annis 1550 Paris. et 1551 Genev. alias duas adornavit juxta editionem quintam Erasmi¹ adhibitis tantum quibusdam lectionibus ex Complutensi. Haec quarta editio Stephani est fundamentum editionum Bezae (Genevae, 1565. 1567 et 1582) quae quidem postrema aliquas lectiones ex codicibus praesertim Claromontano et Cantabrigiensi excerptas continet. Denique Elzeviri (Lugduni Batav.) 1624 et 1633. juxta editionem Erasmi quintam, alias duas fecerunt, quarum ultima a typographis Elzeviris appellata fuit *textus ubique receptus*: et quidem per integrum saeculum omnes scriptores editionem illam secuti sunt, et in novis editionibus ipsam pro norma acceperunt. Hunc verò textum non omnino purum esse a criticis demonstratum est.

54. Nam Br. Walton in polyglotta sua editione ann. 1657, Jo. Fellius in editione sua Oxoniensi 1675; et Jo. Millius in sua similiter editione ann. 1707, usque ad numerum 30.000 varietatum in *textu recepto* invenerunt, adhibitis antiquissimis et diversis codicibus maxime summae auctoritatis.

Catalogus locorum *textus recepti* ab originalibus vel saltem ab antiquissimis codicibus discrepantium, dicitur *apparatus criticus*. Praeter citatos auctores, hunc laborem praestitere, Westein (1751) Alter, Birsch, Scholz (1830) et Tischendorf a Pio IX laudatus, quamvis protestans. Igitur *apparatus critici*, qui in polyglottis quasi appendices inveniuntur, continent lectiones tum manuscriptorum antiquissimorum, tum etiam citationum Patrum a *textu recepto* discrepantium; et insuper vocabularia diversarum linguarum, dictionaria geographica, historica, etc.



Caput XI.

55. Quid sit versio et quotuplex. Versionum utilitas. =56. Num Pentateuchus Samaritanus et Paraphrases chaldaicae ut versiones haberi debeant. =57. Quae sit prima omnium S. Scripturae versio. Historia versionis Alexandrinae. Quos libros complectatur, et an omnes a LXX interpretati fuerint.—De valore litterario hujus versionis. De ipsius fidelitate et auctoritate critica exegetica et dogmatica. Septuaginta interpretes fuerunt ne divinitus inspirati? Codices et editiones typographicae hujus versionis. =58. Versiones graecae Aquilae, Theodotionis et Symmachi. Earum indoles et auctoritas. =59. Aliae versiones graecae et praesertim Veneta.

55. Versio generatim sumpta, idem est in praesenti materia, ac translatio S. Scripturae a quacumque lingua ad aliam: quod si haec translatio fiat ex originali lingua, tunc dicitur *directa* seu *immediata*; secus vero *mediata* seu *indirecta*.

Explorata res est, versionem directam et immediatam, mediatam seu indirectam anteponendam esse: quia versio directa sua naturali antiquitate, aptior est ad textum originalem intelligendum, ipsum majori fidelitate appropriare potest, et menda quae in mediata seu secundaria versione faciliora sunt, vitare.

Versiones autem utiles esse, nemo negabit: omnes enim qui originarium textum vel linguam ignorant, de primitivae Scripturae fidelitate certi fiunt, modo versio sit fidelis; et eo magis auctoritate digna erit quaelibet versio, caeteris paribus, quo magis ad originarium textum accedat.

56. Pentateuchus Samaritanus, non est aliqua versio Pentateuchi hebraei seu Moysis, sed est ipse Pentateuchus hebraicus litteris samaritanorum exaratus; neque confundi debet cum versione quadam samaritana Pentateuchi, de qua postea agemus.

Neque Paraphrases sunt versiones vel translationes ex textu originali, sed expositiones vel explicationes a rabbinis factae, juxta eorum traditiones, de quorum majori vel minori auctoritate judicare ad criticos pertinet, quamvis indicia ad judicium de ipsis ferendum, plurima apud Patres habeamus. Hoc unum id dicam: hujusmodi paraphrases, multum conferre ad laborem exegeticum Scripturarum, cum interpretationem veterum exhibeat; parum autem ad laborem criticum.

57. Prima omnium Sacrae Scripturae versio, est illa quae

Alexandrina vel etiam versio *Septuaginta interpretum* dicitur, et graecae facta est. Sunt nonnulli, qui ducti testimonio Clementis Alex, et Eusebii, existimant, ante Alexandrum Magnum, aliquam versionem graecam, Pentateuchi extitisse: sed alii generatim negant, eo quod Aristobuli liber, ex quo citati Patres suas notitias hauserunt, apocryphus sit.

Quoad historiam versionis Alexandrinae, haec breviter dicam. Duo sunt hujus historiae fontes, nempe, epistola cujusdam Aristaeae, qui seipsum dicit praefectum equitum Ptolemaei Philadelphi fuisse, partemque habuisse in legatione missa a Ptolemaeo ad Eleazarum: et traditio oralis judaeorum quae huic historiae multas circumstantias miraculosas adjecit, quamque sequuntur Philo, S. Justinus Mart. et S. Epiphanius. Ex his vero fontibus constat, tempore Ptolemaei Philadelphi versionem graecam V. T. Alexandriae factam fuisse. Duplex proponitur motivum hujus versionis. Nam aetate Ptolemaei Philadelphi magnus erat Alexandriae numerus judaeorum: approbatione regis suam conservabant religionem; cum vero hujus principalis pars esset lectio Scripturarum, et lingua hebraea fere omnibus judaeis Alexandriae esset ignota, rogaverunt regem, ut versionem aliquam graecam Scripturarum ipsis procuraret. (1)

Alii ita originem hujus versionis explicant. Ptolemaeus rex, celebrem bibliothecam Alexandriae collegit, et cum ipsam optimis libris ditare voluisset, Demetrius Phaleraeus, quem Ptolemaeus ob suam eruditionem bibliothecae praefecit, regi per-

(1) Ad rem Vigouroux: "Cuando Alejandro Magno edificó la ciudad de Alejandría, concedió privilegios especiales á los Judíos que quisieran establecerse en ella, y Ptolomeo Lago procedió de la misma manera cuando conquistó á Jerusalén en 320. Los judíos llegaron á tener gran influencia en Alejandría. Hubo una época en que formaron las dos quintas partes de los habitantes de Alejandría. Eran gobernados por un Jefe de su nación. De este modo Alejandría llegó á ser poco á poco un segundo centro de Judaísmo, que se diferenció del judaismo de Palestina por usos particulares, tomados en parte de los griegos, y por la lengua que fué la helénica. Los judíos de Alejandría, como los que estaban dispersos por Africa, no podían estar mucho tiempo sin una traducción de los Libros Santos, escrita en la lengua que habían adoptado como suya. La mayor parte de ellos no sabía el hebreo ó lo sabía malamente. La lectura de las Santas Escrituras era, no obstante, la parte esencial del culto religioso que celebraban los sábados y en sus sesiones en las sinagogas: era indispensable, por lo tanto, una versión griega para que todos pudieran comprender y conocer la ley mosaica., Man. Bibl., Introd. gen., Cap. III, Art. II.

suasit ut judaeorum Sacros Libros in graecam linguam transferri curaret. Cum Ptolemaeo placuisset consilium, honorificam legationem magnis cum muneribus Hierosolymam misit ad Eleazarum Summum Pontificem, ut ab eo sacros libros et optimos interpretes posceret. Eleazarus benignissime legationem excepit, et paulo post 72 interpretes (sex ex unaquaque tribu) qui utramque linguam, hebraicam nempe et graecam optime noverant, misit in Aegyptum, cum Sacro Codice aureis litteris descripto. Interpretes honorifice recepti a rege Ptolemaeo in magnum palatium insulae Pharos deducti sunt, et juxta Philonem et Justinum Mart. in totidem distinctis cellulis inclusi, ita ut inter se communicare non possent: et spatio 70 dierum, unusquisque versionem confecit, ita ut seorsim scribentes, in iisdem, non modo sententiis sed etiam verbis convenirent. S. Justinus testatur, se ipsum vidisse in insula Pharos, cellularum vestigia, adhuc suo tempore extantia. (1) Hanc ipsam sententiam de cellulis separatis tuentur vel saltem commemorant S.S. Irenaeus, Cyrillus Hieros. Chrysostomus aliique pauci. S. Epiphanius 36 tantum admittit cellulas, in quibus interpretes bini ac bini inclusi fuerint.

Has tamen circumstantias, S. Hieronymus, maximus Scripturarum Doctor, negavit: ait enim: «Nescio quis primus auctor septuaginta cellulas Alexandriae mendacio suo exstruxerit, quibus divisi eadem scriptitarent, cum Aristaeas et Josephus nihil tale retulerint.» (2) Ex hoc videtur, S. Hieronymum Aristaeae epistolam admisisse. Tamen saeculo XV Joannes Vives demonstravit hanc epistolam esse apocrypham. Et quidem, Aristaeas se ipsum dicit graecum et equitum Ptolemaei praefectum et tamen utitur sermone admodum barbaro multisque hebraismis admixto; Deum judaeorum exhibet ut unicum et verum Deum, legem Mosaicam asserit a Deo inspiratam et populum judaicum magnis laudibus extollit; quae omnia satis de-

(1) Ait enim: «Haec vobis, o Graeci, fabula esse non debent, nec fictas vobis historias narramus. Sed qui Alexandriae versati sumus, et vestigia cellularum vidimus in Pharo adhuc extantia, ac rem ex incolis, quae eam a majoribus ut patriae suae propriam acceperunt, audivimus, haec vobis annuntiamus, quae etiam ex aliis discere potestis, praesertim ex his qui hac de re historias scripserunt, sapientibus et spectatis viris Philone, Josepho ac aliis pluribus.» Exhort. ad Graecos n. 13: cit ab Ubaldi.

(2) Praef. in Pent.

monstrant Aristeam fuisse non graecum sed judaeum, et idcirco, ipsius epistolam esse apocrypham.

Tamen, factum ipsum versionis negari non potest: hoc enim constat ex ipso nomine versionis Alexandrinae seu LXX ei a remotissimis temporibus impositum, et etiam ex traditione judaeorum hellenistarum, qui, teste Philone, solemnitatem annuam instituerunt in memoriam factae versionis. Demum si factum ab Aristaea relatum fuisset omnino falsum, minime concipitur quod ipse Salvator hanc versionem admiserit.

Quidam sunt qui negant, hanc versionem adornatam fuisse tempore Philadelphi: hic enim magno prosequabatur odio Demetrium Phaleraeum, adeo ut exilio multasset eum post adeptum regnum. Alii hanc difficultatem solvunt dicentes, Ptolemaeum regnasse duobus annis una cum patre, et hoc tempore versionem factam fuisse.

Versio Alexandrina omnes V. T. libros, tum proto tum deutero-canonicos complectitur: vel saltem jam saeculo II ante Christum, praedicti libri in graecum sermonem translati fuerant, ut affirmat Chysostomus (1), et eruitur ex prologo Ecclesiastici.

Non vero omnes hi libri translati sunt a LXX interpretibus, «Aristaeus enim, ait S. Hieronymus, et Josephus, et omnis schola judaeorum quinque tantum libros Moysi a LXX translatos asserunt,» (2) Hoc idem, ex ipsius versionis investigatione eruitur. Nam eadem verba hebraica, non eodem modo translata sunt in diversis libris: sic vox hebraica *pesakh*, in Pentateucho legitur *πάσχα* (pascha), et in II Par. XXXV, 6, *φασεκ* (phasech): Philistaei dicuntur in Pentateucho *φύλισταιμ*, et in Josue et aliis libris *αλλοφύλοι*. Demum stylus et forma litteraria multum differt in diversis libris.

Contraria sententia a multis tum antiquis, tum recentioribus defenditur. «Si enim, ait Ubaldi, ad regis desiderium explendum, et ad utilitatem Judaeorum Alexandrinorum versio illa graeca facta est, cur non caeteri quoque libri una cum Pentateucho graece translati fuissent, cum omnium par esset apud hebraeos auctoritas, omnium maxima utilitas, ac mira sublimitas? (3)

(1) Hom. V in Matth.

(2) Com. in Ezech. et etiam in Mich.

(3) Introd. crit. P. I. Sect. I, Cap. III, Art. II.

Facta est haec versio in communem dialectum alexandrinam, et abundat constructionibus hebraicis. Translatio Pentateuchi optima est, et etiam libri historici salis feliciter translati sunt: non ita poetici et praesertim Psalmi, qui hebraismis sunt referri. Ecclesiastes fere hebraice exaratus est, adhibitis characteribus graecis: translatio Daniel est adhuc inferior, unde Ecclesia graeca, hujus libri versionem Thedotionis loco Alexandrinae recepit.

Quod attinet ad *fidelitatem* hujus versionis, si Aristaeae fides adhibenda sit, mirabilis datur consonantia inter ipsam et codices hebraicos: consentit etiam Philo. Sed alia est Patrum sententia: S. Augustinus enim dicit «illam quae dicitur Septuaginta in nonnullis se aliter habere, quam inveniunt in hebraeo, qui eam linguam noverunt». (1) S. Hieronymus ait: Longum est revolvere, quanta Septuaginta de suo addiderint, quanta dimiserint quae in exemplaribus Ecclesiae obelis asteriscisque distincta sunt,» (2): et alio in loco haec habet: «Ubi cumque sacratum aliquid Scriptura testatur de Patre, Filio et Spiritu Sancto, aut aliter interpretati sunt aut omnia tacuerunt ut et regi satisfacerent et arcanum fidei non divulgarent.» (3) Quae quidem sententiae tum Augustini tum Hieronymi non facile conciliari queunt cum ipsorum opinione de septuaginta interpretum divina inspiratione, de qua postea agemus. Hieronymus aliqua fortasse exaggeravit adversus LXX, scribens contra Rufinum, ut huic aliisque adversariis responderet suamque versionem defenderet.

«Ut aequum justumque de hac versione judicium feramus, ante omnia moneamus necesse est, eam omnium, quae unquam factae sunt, primam esse, tantamque hebraicam inter et graecam linguam esse differentiam, ut maximam interpreti creet difficultatem: accessit autem quod linguae graecae eo tempore plane deessent vocabula ad novas istas ideas exprimendas, quodque interpretes, qui utriusque linguae scientiam ex usu potius quotidiano, quam ex docto studio hauserant, omnibus istis auxiliis essent destituti, quibus hodie nobis frui licet. Quod si nos, qui tot alias versiones prae oculis habemus earumque

(1) De cons. Evang. II, 66.

(2) Ad Pammach. ep. 57, 11.

(3) Prol. in Pent.

ope accuratius sensum textus primigenii perspicimus, quique optimis lexicis, grammaticis aliisque adjumentis abundamus, in vertendis Scripturis summam fidelitatem attingere nequimus, quid miramur, quod alexandrini interpretes interdum defecerint nec ubique genuinum sensum accurate expresserint? Neque, illud quod supra adnotavimus, omittendum est, nec eodem tempore nec ab iisdem viris omnes libros esse translatos, quare iniquum et injustum erit omne iudicium, quod universam versionem in genere infidelem nec accuratam declarat.» Sic Corneliy. (1)

His tamen non obstantibus, versio LXX nequaquam fidei aut moribus adversatur, et saltem quoad substantiam, textum hebraicum fideliter repraesentat et idcirco auctoritate gaudet *dogmatica*: 1.^o quia judaei, non modo alexandrini, sed etiam totius Africae et Asiae graece loquentes, et adhuc post Christi adventum, in publica lectione et privatis conventibus hanc versionem adhibuerunt: 2.^o Quia ut saepe animadvertit Hieronymus, ipse Christus ejusque discipuli, eadem versione uti sunt, etiam in his locis in quibus a textu hebraico aliquantulum differt: 3.^o quia usque ad saeculum V Ecclesia hac versione usa est ubicumque graeca lingua vulgaris erat: et universa Ecclesia Occidentalis versionem Italiam adhibuit ex versione alexandrina expressam: 4.^o Quia haec est universalis Patrum sententia, adeo ut aliqui eorum, septuaginta interpretes divinitus inspiratos fuisse putaverint, ut statim videbimus. Quod si quis objiciat auctoritatem quorundam Patrum qui de vitiis et erroribus versionis LXX conqueruntur, respondebo, hujusmodi vitia et errores non adscribi ipsis interpretibus sed codicum scriptoribus: unde ipsemet Hieronymus saepe fatetur suam reverentiam erga illam versionem a qua testatur se non recedere, nisi quia ejus exemplaria corrupta sunt: ait enim: «Si LXX interpretum pura et ut ab iis in graecum versa est edictio permameret superfluo me, Chromati episcoporum sanctissime atque doctissime, impelleres ut hebraea tibi volumina latino sermone transferrem.»

Nunc quaeritur, *utrum septuaginta interpretes divinitus inspirati fuerint*. Quidam affirmativam tenent sententiam, et sequentes adducunt rationes: 1.^a Modus quo haec vertio confecta fuit, omnino miraculosus dicendus est: 2.^a Patres antiqui, ut

(1) Introd. gen., Disser. II, Set. II, Cap. III.

Justinus, Irenaeus, Clemens Alex., Augustinus et Hieronymus, huic sententiae favent: et quidem, postremus hic magnus Doctor, loquens de defectibus in versione alexandrina occurrentibus ait: «Nec hoc LXX interpretibus qui *Spiritu Sancto pleni* ea quae vera fuerant transtulerunt sed scriptorum culpa adscribendum.» (1) S. Augustinus etiam asserit, LXX interpretes a Deo inspiratos fuisse, sicut sacri scriptores inspirati fuerunt. 3.^o Christus et Apostoli hac versione usi sunt, etiam his in locis in quibus a textu hebraico differt; ergo ipsam divinitus inspiratam iudicarunt.

Resp. ad 1.^{um} Epistolam Aristaeae esse apocrypham, et circumstantias illas miraculosas inter fabulas amandandas esse. Ad 2.^{um} Patres, epistolam Aristaeae et praedictas circumstantias veras credidisse, et ideo deceptos fuisse. Notandum est etiam, Hilarium, Chrysostomum aliosque Patres, dum auctoritatem versionis LXX ostendere volunt, minime in medium afferre, divinam ipsius inspirationem, sed tantum antiquitatem, numerum interpretum etc. Ad 3.^{um}: ex eo quod Christus et Apostoli hac versione usi fuerint, tantum sequitur ipsam recte esse factam, saltem quoad substantiam, non vero esse divinitus inspiratam.

Tamen versio alexandrina, quamvis proprie loquendo divinitus inspirata non sit, tamen non sine aliqua speciali Dei providentia, in his quae ad fidem et mores pertinent, facta fuit. Nam ea quae de Messia venturo populo judaico annuntiata fuerant, oportebat ut appropinquante jam adventu Christi, ut aliis etiam gentibus innotescerent et sic ad fidem christianam recipiendam disponerentur cum viderent in Evangelio adimpletum quod in antiquis Prophetis aliisque scriptoribus sacris legerent, et ne forte dicerent christianos Prophetarum oracula confixisse: ad hoc vero nihil aptius erat quam Sacram Scripturam in linguam graecam vertere, quia totus fere orbis hac lingua utebatur, vel saltem ipsam intelligebat: ergo videtur, Deum permittere non potuisse errores et mutationes substantiales in huiusmodi versione.

Principales codices manuscripti versionis Alexandrinae sunt Vaticanus, Alexandrinus et Sinaiticus, omnes saeculi IV.

Inter editiones typographicas habemus Sixtinam, Complutensem et illam quae dicitur *textus receptus*.

(1) Praef. in Par.

58 Prima versio, post Alexandrinam est *versio Aquilae*. Juxta aliquos Aquila floruit saeculo II Ecclesiae, et fuit judaeus proselytus Ponticus: sed juxta S. Epiphanium, erat gentilis, patriamque habuit Synope in Ponto. Fuit propinquus imperatoris Adriani, qui misit eum Hierosolymam ut eam reaedificaret sub nomine Aeliae Capitolinae. Ad Christi fidem conversus est, sed cum astrologicae superstitioni operam daret, damnatus fuit et ex Ecclesia ejectus. Hanc expulsionem graviter ferens, judaismum amplexus est, et linguam hebraicam didicit sub directione rabbi Akiba, teste Hieronymo, et vertit in graecum Vetus Testamentum. Haec translatio periit, et non nisi aliqua fragmenta extant in commentariis S. Hieronymi in Jeremiam, Ezechielem et Danielelem. Praedicta versio est plus aequo litteralis et constructionibus hebraicis abundat: apud Judaeos, magnam habuit auctoritatem. Aquila, ut suam versionem magis adhuc litteralem redderet, secundam exornavit illius editionem, sed adeo obscuram, ut sine textu hebraeo vix intelligi posset.

Quidam Patres Aquilam accusant de adulteratione vel omissione vaticiniorum Messianicorum: ita Hieronymus: «Aquila et Symmachus et Theodotion judaizantes haeretici... multa mysteria Salvatoris subdola interpretatione celarunt.» (1) Sed aliis in locis Aquilae versionem laudat caeterisque praefert: sic in epist. 35 ad Damasum ait: «Aquilam ut in caeteris et in hoc maxime loco proprie transtulisse omnis Judaea conclamat.» Et alibi inquit: «Judaeus Aquila interpretatus est ut Christianus.» (2)

Loca, quae ut ab Aquila corrupta adducuntur, non sunt nisi lectiones variantes vel editiones defectuosae: sic Is. VII, 14, vox *Halmah, virgo*, quae a LXX interpretibus, sicut debet, per *παρθενον, virginem* reddita est, ab Aquila versa est *νεανια, juvencula*.

Alia versio graeca est *versio Theodotionis*. Juxta S. Irenaeum, Theodotion fuit proselytus judaeus Ephesi, et juxta S. Epiphanium, natione Ponticus, primo christianus et dein ebionita et marcionista. Versionem suam condidit circa annum 160 imperante Commodus.

Haec versio est satis mediocris, quia Theodotion non multum erat in lingua hebraica peritus; unde quando aliquod vocabulum non intelligebat, illud characteribus graecis scribebat.

(1) Praef. in Job.

(2) Comm. in Hab. III.

Tamen Origenes in suis Exaplis ad quosdam Alexandrinae versionis defectus supplendos, usus est versione Thedotionis, ob suam affinitatem cum LXX: et Ecclesia graeca recepit Danielelem, non secundum LXX, sed secundum versionem Theodotionis. Non nisi aliqua fragmenta hujus versionis apud Patres servantur.

Altera est *versio Symmachi*. Juxta S. Ephifanium, Symmachus erat Samaritanus, postea Judaeus, dein Christianus et demum Ebionita. Suam versionem confecit sub Severo imperatore (193-211.) Caeteris versionibus praestat claritate et elegantia, et eam antiqui vocant *perspicuam* et *admirabilem*. S. Hieronymus, Symmachum magis sensus quam litterae rationem habuisse dicit. (1)

59. Praeter has tres versiones graecas, aliae etiam sunt, quae V, VI et VII dicuntur, eo quod haec loca in Enneaplis Origenes occuparent. V inventa fuit ab Origene prope urbem Iericho, et VI Nicopoli ad Actium, Continent omnes hae versiones Psalmos et Prophetas minores; quinta ex sexta insuper Pentateuchum et Canticum Cantorum: ut demum, quinta et septima etiam duos libros Regum.

Auctores harum versiorum ignoti sunt.

Alia demum est versio quae dicitur *Veneta* vel etiam *Graecus Venetus*, et Venetiis apud S. Marcum servatur: exarata fuit saeculo XIV vel XV. Continet Pentateuchum, Proverbia, Ruth, Canticum, Ecclesiastem et partem Jeremiae et Danielis. Auctor probabiliter fuit judaeus, et more orientalium scripsit, id est, a dextera ad laevam. Totum opus barbarismis et neologismis refertus est.

Caput XII

60. Versio syriaca Peschito. Ejus antiquitas et auctoritas in re critica et exegetica. Ubi haec versio nunc inveniatur. = 61. Versiones philoxeniana, heraclensis et exaplaris. = 62. Versiones coptica, aethiopica, arabica, samaritana aliaeque. Earum utilitas.

60. Post Vulgatam latinam, nulla alia majorem utilitatem

(1) In Isaiae, C I et VIII.

apologeticam et criticam praebet, quam versio syriaca *Peschito* id est *simplex*: nam quoad V. T. est prima versio post Alexandrinam, et fortasse etiam quoad Novum Testamentum. De origine hujus versionis, triplex datur sententia. Juxta antiquissimam traditionem, versio quorundam librorum V. T. facta fuit jussu Salomonis rogati ab Hiram rege Syriae. Alii putant auctorem hujus versionis fuisse illum sacerdotem quem Assaradon misit ad Samaritanos. Et demum, alii credunt, hanc versionem factam fuisse tempore Abgar regis Osroe, a discipulis Apostoli Thaddaei, qui a Domino missus fuerat ibi, ut regem sanaret populumque evangelizaret. Hoc ipsum dicit Jacobus Edessenus, et confirmatur manuscripto syriaco qui in Vaticano servatur, et in quo haec leguntur: «De quodam pervetusto Evangelio, quod exstabat in sacra ecclesia aedium romaeorum in urbe Bagdado. Erat quoddam Evangelium pervetustum, sed clarum... Ad ejus vero calcem ita scriptum erat: Absolutus est sanctus iste liber feria 5.^a die 18. Canum prioris (Decembris) anno graecorum 389 (Christi 78 vel 80) propria manu Achaei Apostoli, socii Mar Maris, discipuli Mar Adaei Apostoli, cujus oratio nobiscum sit.»

Prima et secunda sententia de origine hujus versionis, refutatione non indigent: tertia autem verisimilis est: constat enim versionem esse antiquissimam: 1.^o quia S. Ephrem qui vixit medio saeculo IV, eam communem et vulgarem appellat, et fatetur se quaedam vocabula non intelligere, quod magnam versionis antiquitatem demonstrat.

2.^o Quia teste Eusebio, Origenes hanc versionem in domo cujusdam mulieris viduae invenit, medio saeculo III.

3.^o Quia labente saeculo II Bardesanes, eruditissimus scriptor syriacus, contra corruptores et mutilatores Scripturae, libros edidit, quod supponit versionem syriacam jam confectam.

4.^o Quia testimonio Eusebii scimus, Hegesippum medio saeculo II Romam venisse, et ad seipsum defendendum quaedam testimonia adduxisse desumpta ex Evangelio secundum Hebraeos et Syriaco: ergo hoc tempore facta erat versio syriaca Evangeliorum: nunc vero, omnes critici fatentur, unum tantum esse auctorem versionis totius Novi Testamenti: ergo medio saeculo II, Novum Testamentum syriace versum erat: cum autem citationes quae in illo ex V. T. fiunt, optime respondeant versionem syriacae V. T. magno cum fundamento asserere possu-

mus, Veteris testamenti versionem anteriorem esse, et idcirco primo saeculo adornatam.

5.^o Quia haec versio carebat Epistolis 2.^a Petri, 2.^a et 3.^a Joannis, Judae, et Apocalypsi: tempore vero S. Ephremi, ecclesia syriaca hos omnes libros habebat, et Apocalypsim a saeculo II.

6.^o Demum, quia haec versio apud syrios in magno honore habita est ab omnibus, etiam post schismata; quod ipsius originem apostolicam videtur ostendere.

Ex his quae diximus de antiquitate hujus versionis, facile deduci potest, quanta sit ejus auctoritas tum critica, tum exegetica.

Novum Testamentum hujus versionis invenitur in polyglotta regia; et utrumque Testamentum in Polyglottis Parisiensi et Londinensi. Elapso saeculo XIX, diversae N. T. editiones adornatae sunt, inter quas recensetur illa quae a Societate Biblica Londinensi facta est anno 1816.

61. Cum versio Peschito non omnibus videretur omnino clara et fidelis, Philoxenus Archiepiscopus Hieropolitanus, vel melius Polycarpus, corepiscopus, anno 508 novam fecit versionem N. T.; et haec versio dicitur *Philoxeniana*. Hanc postea correxit anno 616 Thomas Heraclensis, monachus in monasterio S. Antonii Alexandriae: usus est tribus manuscriptis graecis magnae auctoritatis: et haec versio dicitur *Heraclensis*. Eodem anno 616, Paulus episcopus monophysita Telae in Mesopotamia in monasterio S. Zachaei, versionem V. T. adornavit juxta textum exaplaem Origenis, et haec versio dicitur *exaplaris*. Aliqua harum versionum fragmenta inveniuntur in bibliothecis Mediolanensi, Parisiensi aliisque.

62. Quamvis ab Alexandri M. aetate, Aegyptus provincia graeca facta fuerit, et graecorum lingua etiam in vulgarem usum fuerit adhibita, tamen in liturgia et etiam extra templa, in diversis Aegypti partibus, antiqua eorum lingua oblivioni data non fuit: unde post acceptam a pluribus Christi doctrinam, varias sacrorum librorum versiones fecerunt tribus dialectis, nempe *sahidica*, *memphitica* et *bashmurica*, omnesque ex graeco LXX dimanarunt. Magnae sunt auctoritatis ob usum liturgicum quo usque ad saec. IV in Ecclesiis copticae ritus adhibitae sunt.

Variae sunt editiones hujus versionis. Wilkius edidit Pentateuchum (Lond. 1731) et N. T. (Oxon 1716): Psalterium editum

fuit typis Congr. de Propag. Fide (1744-49 dialecto memphitica: Prophetæ majores (Oxon. 1852) et liber Job (Lond. 1846) editi sunt ab Henrico Tattam. Jos. Bardelli (1849, Pisis) edidit Daniele: Boetticher (Hallis 1854) Actus Apostolorum et Epistolas; et Schwartze (Berol 1843) Evangelia. Demum Mingarelli, Munter. Zoega et Eugelbreth aliqua fragmenta diversarum dialectorum ediderunt.

Aethiopes saeculo IV ad fidem Christi conversi, in suam linguam versionem librorum tum Veteris tum Novi Testamenti adornarunt. Haec translatio ex versione graeca LXX deducta est. Aliquæ partes, ut Psalterium, Canticum, Ruth, Jonas, Joel, Sophonias et Malachias, diversis in locis editæ sunt. Novissime universam Scripturam in lingua aethiopica edidit Ang. Dillman, Lipsiae 1853.

Arabicae versiones tum V. tum N. Testamenti plures sunt: tamen de earum ætate et auctoribus, nihil certum est apud criticos: id tantum asserere possumus, nempe omnes hujusmodi versiones posteriores esse saec. VII. Valde utiles sunt, sed tantum in re exegetica. Congregatio de Propag. Fide, totius Scripturae arabicam versionem confecit anno 1671.

Versio *samaritana*, quæ confundi non debet cum Penteuchto Samaritano qui textus est originalis, edita fuit a P. Morino Cong. Orat., et invenitur in Polyglotta Parisiensi.

Aliae etiam dantur versiones ut Gothica, Slavica, Armenica etc. de quibus agere nimis longum esset nobis qui compendio studemus. (1)

(1) Versionem *Gothicam* confecit saec. IV. Ulphilas, juxta Isid. Hisp., Gylfilas, episcopus arianus, et edita fuit a Migne (Pat. lat. t. XVIII) et a Massman (Lips. 1857.) Versio *Armenica* facta fuit saeculo IV ab Episcopo Mesrob, jussu Isaac Patriarchae armeniorum, et edita, Amstel. 1666, et Venetiis, 1805. Auctores *Slavonicae* versionis sunt SS. Cyrillus et Methodius qui Slavis Evangelium praedicarunt: edita est Pragae 1570.—Plura de his invenies apud Cornely, Introd. gen. Dissert. II. Cap. III et IV.

Caput XIII.

63. Necessitas alicujus versionis latinae primis Ecclesiae saeculis. Versio Itala. Quando et ubi facta fuerit. Ejus auctor. = 64. Fidelitas tum doctrinalis tum litteraria hujus versionis. = 65. Quanto tempore Ecclesia usa fuerit hac versione. Num aliqua ejus pars adhuc servetur tum in Biblis, tum etiam in liturgia. = 66. ¿Tentaruntne aliqui scriptores recentiores versionem Italam restaurare?

63. Postquam Christi Evangelium per occidentalem imperii Romani partem, id est, Italian, Galliam, Hispaniam et Africam divulgatum est, et liturgia lingua latina celebrari coepit, aliqua versio latina Sacrae Scripturae necessaria fuit, ut fideles, qui fere omnes linguam graecam ignorabant, lectionem quae in sacris coetibus habebatur, intelligere possent. Et revera *primis fidei temporibus*, ut ait S. Augustinus (1), aliqua versio latina confecta est. Tertullianus etiam asserit existentiam hujus versionis, eamque vocat *vulgatam*, *communem*. Idcirco admittendum est, medio saeculo II, aliquam versionem latinam jam adfuisse. Caminero, Fernández alique censent, a primis ecclesiae saeculis plures confectas fuisse versiones latinas distinctas et inter se independentes, quod ex his verbis S. Hieronymi infertur: «Tot fuisse versiones quot codices» (2); et confirmant sequentia S. Augustini verba: «Qui enim Scripturas ex hebraea lingua in graecum verterunt, numerari possunt, latini autem interpretes nullo modo. Ut enim cuique primis fidei temporibus in manu venit codex graecus et aliquam tulum facultatis sibi utriusque linguae habere videbatur, ausus est interpretari.» (3) Hos autem Patres de distinctis versionibus agere et non de editionibus diversis unius originariae versionis, probatur; 1° quia S. Augustinus optime distinguit inter «ditiones et versiones: ait enim: inter *codices* «ex uno dumtaxat interpretationis genere venientes» praeferendos esse emendatos non emendatis (4): «*in ipsis autem interpretationibus* Itata caeteris praefer-

(1) De Doc. christ., Libr. II, C. 11. Etiam S. Hieron. eam vocat *vulgatam* (In Isaiae, cap. XIV et XLIX et S. Gregorius Magnus *veterem* appellat. (Greg., Epist. ad Leandr.)

(2) Praef. in Job.

(3) De Doct. Christ., Lib. II, c. 11.

(4) Ibid., c. 14.

ratur, nam est verborum tenacior cum perspicuitate sententiae.» (1) 2.^o quia ex comparatione operum S.S. Patrum infertur eos diversis usos fuisse versionibus: quoad S. Hieronymum, adversarii hujus sententiae fatentur, in citando Sapientiae libro, usum fuisse versione diversa ab Itala.

Contrariam tuentur sententiam multi moderni interpretes ut Sabatier, Blanchinius, Wissemann, Vercellone, Haneberg et Tischendorf, quibus consentit etiam Cornely. Hic postremus auctor putat, S. Augustini verba a nobis citata intelligenda esse non de versionibus independentibus, sed de diversis editionibus unius versionis: ait enim, praedictus Cornely: «Absurdum enim esset, si primis fidei temporibus infinitum latinorum versionum numerum adfuisse diceremus; et quis unquam credet «cuique in manus codex graecus venerit» illum integram Bibliorum aut libri alicujus novam versionem adornasse? Nihil aliud igitur S. Doctor suis verbis asserere voluit, nisi omnes sibi jus arrogasse emendandae versionis latinae secundum graecum codicem: termini *vertendi* et *interpretandi* igitur significant *ad textum primigenium emendare*. Cui explicationi non obstant illi loci, in quibus non tantum de variis translationibus loquitur, inter quas Italam praefert, sed etiam «de ejusdem interpretationis codicibus,» qui lectionibus nonnullis inter se differebant: nam ejusdem etiam recentioris codices non in omnibus plane consonasse evidens est.» Ipse cl. auctor subjungit: «Clarius vero nostram sententiam tuetur S. Hieronymus, cujus auctoritas, quoniam totam suam vitam criticis et exegeticis studiis dedit, in hac quaestione est maxima. Ille quoque non semel de *interpretum* et *translatorum* varietate loquitur, nusquam autem de *interpretationum* vel *translationum* multitudine; unam solam versionem agnovit, quae utique tot scatebat variis lectionibus, ut tot essent exemplaria paene, quot codices.» (2) Quoad ad me attinet, verissimile non judico, Hieronymum agnovisse *multos interpretes* et *translatore*s, non autem multas *interpretationes* et *translationes*, quasi *interpres* seu *translator* dari possit, absque sua *interpretatione* vel *translatione*.

Quidquid sit, omnino certum est, Ecclesiam jam saeculo II et fortasse etiam labente I saeculo, aliquam vel aliquas versiones latinas, inter quas eminet illa quae vocatur Itala, habuisse.

(1) Ibid., c. 15.

(2) Introd. gen., Disert. II, Cap. III.

Quoad locum, ubi haec versio adornata fuerit, duplex est sententia. Inter recentiores Vigouroux, Caminero, Fernandez, Gams aliique putant hanc versionem factam fuisse in Italia; et haec est sententia fere omnium antiquorum scriptorum Rationes quae pro hac sententia militant, sunt: 1.^a ipsa versionis appellatio, nempe *Itala*: 2.^a Quia propria et vulgaris lingua Romanorum erat latina, et probabile non est Romanam Ecclesiam diu latina liturgia carere voluisse: 3.^a Quia á Roma commeavit fides in omnes Ecclesias, etiam in Africanam: nunc vero, prorsus rationi consentaneum est Scripturam a religione non sejungere, praesertim quando ea ad divina officia censeretur necessaria. Praeterea vix fieri potuit, ut Romae admitteretur versio extranea, nisi ex jussu superioris fuisset effecta.

Versionem Italam in Africa adornatam fuisse defendunt inter alios Wisemam, Reusch et Cornely: en eorum fundamenta: 1.^{um} Ibi prima latina versio S. Scripturae fieri debuit, ubi major erat ipsius necessitas: magis vero necessariam fuisse hujusmodi versionem in Africa quam in Italia, ex eo constat quod in Africa proconsulari, etsi lingua latina in oppidis intelligeretur, lingua tamen vulgaris erat punica: punicam vero versionem nemo unquam vidit. Certum est quidem, in Italia linguam vulgarem fuisse latinam, tamen lingua graeca nota erat non modo doctioribus sed etiam generatim populo, quod probatur his rationibus: 1.^a Liturgia Ecclesiae Romanae duobus primis saeculis fuit graeca, ut hodierna nostra liturgia latina pluribus graecis vocibus referta demonstrat: 2.^a S. Paulus suam Epistolam ad Romanos, et S. Marcus suum Evangelium quod rogatu Romanorum scripsit, graece ediderunt: 3.^a Tertullianus asserit suo adhuc tempore *epistolas authenticas* legi in his Ecclesiis ad quas destinatae fuerant: ergo in Ecclesia Romana, Epistola ad Romanos graece exarata legebatur: 4.^a Demum, omnes Pontifices omnesque Patres Ecclesiae Romanae duorum priorum saeculorum, exceptis juxta S. Hieronymum, Victore et Apollonio, sua opera graece scripserunt. 2.^{um} Wisemam ostendit, latinum Italiae similimum esse illo quo generatim utebantur scriptores Africae proconsularis. Tamen eruditissimus P. Gams benedictinus, contrarium omnino demonstravit.

Denique, defensores hujus secundae sententiae affirmant, hoc nomen *Itala*, corruptionem esse alterius vocis, scilicet *Usitata*, quod verisimile non videtur.

P. Vercellone credit, versionem hanc factam fuisse a quodam auctore Africano, sed in Italia: non tamen sufficientibus rationibus suam assertionem probat.

Ut finem huic quaestioni apponamus, haec dicam cum quibusdam scriptoribus: a primis Ecclesiae saeculis, Africani versionem latinam habuerunt; Romani vero, cum ipsam non luissent recipere, aliam meliorem fecerunt, quam S. Augustinus caeteris praeferendam esse docet, et est illa quae vocatur Itala.


Quisnam hanc versionem confecerit, et an unus vel plures fuerint ipsius auctores, definiri nequit neque probabilibus argumentis. Omnes uno ore rejiciunt sententiam eorum qui dicunt, S. Petrum, Apostolorum Principem fuisse hujus versionis auctorem. (1)

64. Versio haec quoad V. T. facta fuit ex LXX, et quoad Novum ex graeco originali, vel saltem ex codicibus textui primigenio valde proximis. Auctor vel auctores adhibuerunt linguam vulgarem; translatio est nimis litteralis, et quandoque valde imperfecta, ut apparet in Psalmis quos nunc habemus. De ejus autem fidelitate doctrinali dubitari nequit: nam Ecclesia latina, et idcirco Romana, omnium Ecclesiarum Mater, ea usa fuit pluribus saeculis, ut ex historia ecclesiastica patet. S. Augustinus, eam caeteris omnibus praeferendam esse docet eo quod sit *verborum tenacior cum perspicuitate sententiae*. Demum, ea quae hujus versionis supersunt, textui LXX quoad V. Testamentum, et originali quoad Novum apprime respondent.

65. Ecclesia adhibuit hanc versionem usque ad saeculum sextum. S. Augustinus quidem aliique Patres optime noverant majorem perfectionem versionis S. Hieronymi; eam tamen statim recipere ausi non sunt, propter universalem usum versionis Italiae. Tamen jam saeculo VI, magna auctoritate S. Gregorii M. et S. Isidori Hisp., qui semel atque iterum versionem S. Hieronymi omnibus commendarunt, Itala obsolevit.

Quae supersunt hujus versionis in Biblis sunt Baruch cum

(1) Qui hanc sententiam tenent his verbis Rufini innituntur: «Dubitandum non est, quin sicut caetera, quae ad instructionem pertinent, etiam librorum Instrumenta ipse (Petrus) Ecclesiae tradiderit, quae utique jam tunc ipso sedente et docente recitabantur.» Sed hic, Rufinus non agit de origine versionis latinae nam disceptatio ipsius cum S. Hieronymo erat circa versionis alexandrinae auctoritatem.



Epistola Jeremiae, Sapientia, Ecclesiasticus et duo Machabaeorum: hi libri correcti fuerant a S. Hieronymo juxta LXX, sed haec correctio periit. In liturgia, ea pars Missae quae dicitur Gradual, est etiam hujus versionis.

66. Italam restaurare tentarunt diversi scriptores, collectis citationibus SS. Patrum et antiquis codicibus. Primus qui hunc laborem suscepit fuit Nobilius Flaminus, ex Congregatione a Sixto V fundata ad Vulgatam corrigendam anno 1588. D. Martianay anno 1710 edidit libros Judith et Job ac Evangelium S. Matthaei: P. Blanchini anno 1748, Romae edidit quatuor Evangelia: P. Burriel anno 1790 Toleti detexit duos codices gothicos manuscriptos praedictae versionis Italiae. Sabatier et Tischendorf, plura his laboribus addiderunt: sed probabiliter, nemo ipsi finem apponet, cum non omnis omnino Itala citata fuerit a Patribus, neque codices totius versionis amplius existant.

Caput XIV

67. Versio S. Hieronymi. Labores ipsius quoad libros tum protocanonicos tum deuterocanonicos utriusque Testamenti. Triplex Psalterium. Quo nunc Ecclesia utatur.=68. Indoles hujus versionis. Ejus acceptatio ab Ecclesia.=69. Correctoria biblica.=70. Primae editiones typographicae Bibliae latinae.

67. Versionis Italiae editiones factae sunt plurimae, quae tamen ob ignorantiam vel malitiam translatorum, multum inter se discrepabant, et dubiis, dissidiis et contentionibus occasionem frequenter dabant. Tunc Romanus Pontifex S. Damasus emendationem Italiae commendavit S. Hieronymo Stridonensi in Dalmatia, qui natus est anno 329 et obiit Bethlehem anno 420. Ut accuratius et rectius suum opus perageret, profectus est in Palaestinam, et linguae hebraicae studio operam dedit, ductus a quinque sapientissimis rabbinis: magno pretio obtinuit manuscriptum hebraicum quo utebatur Synagoga Bethlehem: ex alia parte, linguam tum graecam tum latinam optime noverrat, et in rebus sive theologicis, sive philosophicis et historicis peritissimus erat.

Primus labor quem S. Hieronymus suscepit, fuit correctio Evangeliorum versionis Italiae, secundum textum graecum primigenium. Quidam dicunt, S. Hieronymum nihil aliud fecisse in Novo

Testamento: sed solida adsunt fundamenta ut aliter sentiamus: nam in primis, ipsemet S. Doctor ait: «Novum Testamentum graecae fidei reddidi,» (1) praeterea in epistola 27 ad Marcellam, ut huic suorum laborum aliquod specimen daret, quaedam testimonia offert ex epistolis Pauli desumpta. Quoad Vetus Testamentum, primo correxit Psalterium Italae juxta versionem alexandrinam, et vocatur *Psalterium Romanum*, quia Romae et in omnibus Italiae ecclesiis adhibita fuit in liturgia et Bibliis usque ad Pium V qui in Breviarii correctionem *Psalterium Gallicanum* recepit, excepto psalmo XC seu *Invitatorio*, tamen privilegio ab ipso Pontifice concessa, adhuc utuntur Psalterio Romano, Ecclesia Vaticana, Mediolanensis et Veneta. Deinceps S. Hieronymus aliam Psalterii emendationem confecit anno 387 in Bethelhem, juxta textum exaplaem, et dicitur *Psalterium Gallicanum*, quia a Gregorio episcopo Touricensi in Galliam adsportatum fuit, in usumque receptum: et hoc est Psalterium quo nunc utitur Ecclesia. Cum vero hujusmodi emendationes Psalterii, non omnino satisfacerent S. Hieronymo, novam adornavit versionem ex ipso originali hebraico: et hoc Psalterium, absque dubio, caeteris praestat: tamen eum Ecclesia non recepit, fortasse quia iis qui officium divinum recitare tenebantur et vetus Psalterium memoriter sciebant, erat valde inconveniens ratione suae novitatis.

Facta Psalterii correctione, id ipsum fecit cum caeteris libris V. Testamenti: nam quamvis in lucem non prodierint nisi Job, Proverbia, Ecclesiastes, Canticum et Paralipomena, tamen ipse Hieronymus ad S. Augustinum scribens asserit, sibi ab aliquo, reliquos libros furtim sublato fuisse: et in sua apologia contra Rufinum, fatetur se minime versionis LXX adversarium esse, quia «eorum editionem quam diligentissime emendatam ante annos plurimos suae linguae hominibus dedit.»

His omnibus peractis, et cum S. Doctor optime versatus esset in lingua hebraea, convertit in latinum sermonem omnes libros protocanonicos V. T., et ex chaldaeo transtulit Tobiam, Judith partesque deuterocanonicas Danielis et Estheris. Idcirco, actualis nostra Vulgata latina continet Novum Testamentum Italae a Hieronymo emendatum juxta textum graecum primigenium: omnes libros protocanonicos V. T. ab ipso Hieronymo ex hebraeo translato, excepto Psalterio ab ipso emendato juxta textum exaplaem:

(1) Epist. 28 ad Lucinium.

deuterocanonicos Tobiam et Judith ab eodem S. Doctore ex chaldaeo versos, et Baruch, Sapientiam, Ecclesiasticum et duos Mahabaeorum versionis Italiae ab ipso Hieronymo emendatos.

68. Versio haec sua *fidelitate* a reliquis omnibus distinguitur; nam ipsemet Hieronymus ait: «Mihi omnino conscius non sum, mutasse me quidpiam de hebraica veritate.» (1) Quidem Vulgata in quibusdam locis a textu hebraico discrepat sed in accidentalibus tantum. Fidelitati hujus versionis adjungi debet styli elegantia; non enim ad litteram et serviliter translatio facta est: ait enim Hieronymus: «Volui nos... non verba sed sententias transtulisse.» (2) Tamen usus non est S. Doctor, lingua latina classica quae ipsi erat familiaris, sed plerumque vocabula adhibet vulgaria, ut claritati, et ideo faciliori versionis intelligentiae servirent, dicente ipso Doctore; «Illud autem semel monuisse sufficiat, nosse me cubitum et cubita neutrali appellari genere: sed pro simplicitate et facilitate intelligentiae vulgique consuetudine ponere et genere masculino. Non enim curae nobis est vitare sermonum vitia, sed Scripturae Sanctae obscuritatem quibuscumque disserere.» (3) Idcirco, illa tantum Italiae loca correxit, quae erroneae interpretationi occasionem dare possent; et ampliorem emendationem non suscepit, ne magnam innovationem induceret in Italiam ad quam christiani, praesertim clerici, assueti erant.

Tum Patres, tum scriptores catholici, protestantes et rationalistae versionem S. Hieronymi summis laudibus extollunt. (4)

Cum haec versio primum in lucem prodiit, plures nacta est adversarios, de quibus saepe conqueritur Hieronymus: «Cogor, scribit, per singulos scripturae divinae libros adversariorum respondere maledictis, qui interpretationem meam reprehensionem septuaginta interpretum criminantur.» (5) S. Augustinus utilitatem laborum S. Hieronymi agnovit, ejusque versionem vocat *veracem*, tamen in liturgia ipsam adhibere noluit «ne

(1) Prolog. Galeat.

(2) Epist. 57 ad Pamm.

(3) In Ezech. 40. 50.

(4) M. Wescott ait: «La obra de S. Jerónimo es un monumento único y sin rival entre las tradiciones antiguas»; et Dr. Kaulen: «La traducción de S. Jerónimo es sin duda de ningún género la mejor de las traducciones antiguas» Cit. á Vigouroux, Man. Bibl. Introd. gen. Cap. III.

(5) Praef. in Job.

contra Septuaginta auctoritatem tamquam novum aliquid proferentes magno scandalo perturbarentur plebes Christi quarum aures et corda illam (Italiam) interpretationem audire consueverunt»; et timuit ne «si nova interpretatio per multas ecclesias frequentius coepisset lectitari, a graecis ecclesiis latinae dissonarent.» (1) Tamen, re melius considerata, versus finem vitae, frequenter in suis operibus S. Hieronymi versionem adhibet et versioni LXX praefert, ut etiam Eucherius Lugd., Vincentius Lirin. et Prosper Aquit. saeculi V.

In Romana Ecclesia, S. Leo M. et S. Hilarius utramque versionem, Italiam nempe et Hieronymianam adhibuerunt. S. Gregorius M. asserit S. Hieronymi versionem esse veriore et dignissimam ut ipsi in omnibus fidem adhibeatur. Deinceps, nova S. Hieronymi versio in Ecclesia Romana praevaluit, teste S. Isidoro Hisp. qui ait: «De hebraeo in latinum eloquium tantummodo Hieronymus presbyter sacras scripturas convertit, cujus editione generaliter omnes ecclesiae usquequaque utuntur, pro eo quod veracior sit in sententiis, et clarior in verbis.» (2) Et alio in loco ait: «Hieronymi versio merito caeteris antefertur: nam est et verborum tenacior, et perspicuitate sententiae clarior, atque utpote a christiana interprete verior.» (3)

Ab hoc jam tempore, versio S. Hieronymi in universali Ecclesia praevaluit, et vetus Itala obsolevit.

69. Jam ab omnibus S. Hieronymi versione acceptata, multa menda in Vulgatae codices irrepserant, attenta librorum imperitia vel aliis de causis, circa finem saeculi VIII: quare Carolus Magnus, litterarum et scientiarum patronus, Alcuino in Palatio imperiali studiorum magistro, versionis S. Hieronymi corrigendi opus commisit, qui hanc emendationem fecit ex codicibus latinis antiquioribus: ex hac correctione dimanarunt omnes editiones quae in usum fuerunt in Gallia et Germania usque ad typographiae inventionem: et ecce primum *Correctorium biblicum*. Sunt igitur *Correctoria biblica*, editiones Latinae vulgatae quae in amplo margine continent variantes lectiones ex antiquissimis codicibus desumptas, et etiam ex operibus Patrum. Anno 1230, juxta aliquos, prodiit ab Universitate Parisiensi *Correctorium Sorbonicum*. Fratres Ordinis S. Dominici aliud confece-

(1) Epict ad Hieron. 82: De Civit. Dei, XVIII, 43

(2) Lib. I. Offic. c. 12.

(3) Loc. sup. cit.

runt anno 1236 jussu ae directione Card. Hugo; ac postea anno 1256 novam editionem auctam et reformatam adornarunt, et dicitur *Correctorium Dominicanum*, eoque usi sunt Albertus M., S. Thomas Aq. alique. Franciscani et Chartusiani suum etiam habuerunt *Correctorium*. In Anglia Lafrancus Arch. Cantuar. anno 1089 quamdam fecit correctionem, et aliam in Italia, Card. Nicolaus saeculo XII.

Ut lector ideam aliquam efformare valeat, sufficiat indicare, correctorium ex. gr. Parisiense seu Sorbonicum, his verbis suas correctiones seu emendationes in libri margine continere: *est de textu: non est de textu: vera est littera: falsa est tittera*, et aliis similibus verbis.

70. Primum Sacra Scriptura typographice edita fuit Bamberge, anno 1453. Priores editiones non prae se ferunt notam anni et loci impressionis. Prima editio annum et locum exhibens, facta est Maguntiae anno 1462. Unum exemplar hujus editionis venditum fuit apud comitem Hoym 2000 peset. Inter omnes editiones principem locum obtinet, illa quae dicitur Clementina, cui omnes typographi se accommodare debent ex praecepto Bullae Clementis VIII. Optimae editiones juxta clementinam nostris temporibus adornatae, sunt editio Loch, Ratisb. 1849; Marietti, Taurini 1851; P. Caroli Vercellone, Romae 1861, et Societatis S. Joannis Evangelistae, Tournai, 1881. In Hispania, prima editio latina Bibliae est Complutensis.

Caput XV

71. Decretum Concilii Tridentini de vulgatae auctoritate. Causa occasionalis hujus decreti. = 72. Quid in Decreto significet haec vox *authentica*. = 73. De extensione horum verborum Decreti, *cum omnibus suis partibus*. = 74. Vi hujus Decreti, diminuta est auctoritas textus hebraici vel graeci? = 75. Editiones Vulgatae Sixti V. et Clementis VIII. Quid dicendum de Bulla *Aeternus ille* Sixti V. Etiam ejus authenticia supposita, admitti potest quod anglicus James in suo libello, cui titulus, *Bellum Papale* docuit?

71. Sic se habet Decretum Concilii Tridentini circa auctoritatem Vulgatae: «Insuper eadem Sacrosanta Synodus considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiae Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quae circumferuntur sacrorum librorum, quatenam pro authentica habenda sit innotescat,

statuit et declarat, ut haec ipsa Vetus et Vulgata editio quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica habeatur, et ut nemo illam rejicere quovis pretextu audeat vel praesumat.» (1)

Decreto praecedenti statuit: «Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata editione habentur, pro sacris et canonicis non suscepit... anathema sit.»

Occasionem huic decretum praebuerunt discussiones inter catholicos et protestantes, et etiam inter ipsos catholicos. Nam quamvis a saeculo VIII Ecclesia tantum versione Hieronymiana uteretur, plures tamen ipsius editiones fecerunt Arias Montano, Erasmus, Munster, Rob. Stephanus alique, quae quidem editiones valde inter se discrepabant: prodierunt etiam novae translationes latinae, ut illa quam Arias Montano fecit ex textu hebraico; et hinc exortae sunt contentiones et quaestiones inter theologos, et scholas et Universitates: unusquisque enim, editionem illam vel translationem qua utebatur ceteris praeferbat. Ad haec omnia vitanda, Concilium Tridentinum, Vulgatam S. Hieronymi authenticam declaravit, et ut ab omnibus uteretur praecepit, et novam accuratamque ipsius editionem facere procuravit.

72. Prior pars Decreti Conc. Tridentini ab haereticis impugnata fuit, multasque controversias inter ipsos catholicos excitavit, praesertim in Hispania, «usque adeo, inquit P. Mariana, ut a probriis et contumeliis, quibus se mutuo foedabant adversarii, ad tribunalia ventum sit. Tenuit ea causa multorum animos suspensos expectatione, quem tandem exitum habitura esset, cum viri eruditionis opinione praestantes e vinculis cogerentur causam dicere haud levi salutis existimationisque discrimine.» «Imo gravissimi theologi, ait Cornely, qui maxima fama gaudebant nec aliis in quaestionibus ullo modo timidos sese esse monstrabant, in hanc unam sententiam suam scripto prodere non sunt ausi.» «Scio quidem, inquit Dom. Bannez O. P., si ab Ecclesia interrogarer, quid *viva voce* responderem: interim pio justoque silentio me contineo.» (2) Ex alia parte, non-

(1) Sess. IV, decr. 2.

(2) Vid. Cornely. Introd. gen. Dissert. II, Cap. V.

nulli, ut haereticos damnabant illos omnes qui Vulgatam ut divinitus inspiratam non reciperent. Ad omnes igitur exaggerationes vitandas, oportet sensum hujus vocabuli *authentica* declarare. Concilium Trid. citato vocabulo, hoc tantum significare voluit, nempe Vulgatam latinam textui originali consonare in substantialibus, id est, in his omnibus quae ad fidem moresque pertinent, ita ut christiani absque ullo erroris periculo, ea uti possent: minime vero Concilium declaravit, Vulgatam ab omnibus omnino mendis liberam esse, secus non decrevisset ut, *Vulgata editio quam emendatissime* imprimeretur. Sic Bellarminus (1) Pallavicinius qui historiam concilii Tridentini conscripsit, (2) Vegas theologus hispanus, qui concilio interfuit, Card. a S. Cruce, qui ut legatus Romani Pontificis, sessioni quartae concilii praefuit (3), P. Vercellone et alii qui hac de re tractarunt.

Opportunum duxi haec ex erudito Caminero desumere: «Juvat tamen hic transcribere quasdam nostri eminentissimi vatis ac theologi Fr. Ludovici Legionensis propositiones, ob quas, simul cum aliis levibus, tribunali Inquisitionis delatus est ejusque non leve iudicium subiit, ac tandem absolutionem obtinuit: «Prop. 8.^a Negari non potest in Vulgata editione esse nonnulla loca non satis significanter ab interprete, nec satis aperte conversa. Prop. 9.^a Auctor Vulgatae non est usus spiritu prophetico in interpretando sacras litteras, nec omnes et singulae voces latinae hujus editionis habendae sunt perinde ac si a Spiritu Sancto fuissent dictatae, nec judicandum est nihil in illa esse quod non potuisset aut significantius, aut commodius aut ad graecos et hebraeos codices originales aptius transferri; nec concilium Tridentinum, cum illam pro authentica haberi voluit, hujusmodi aliquid intendit definire. Prop. 17 Ultimo dico: nihil repugnare ut in posterum posset edi aliqua translatio quae per omnia significantius et aptius exprimeret originalem Scripturam, quam Vulgata: nam si menda quae vitio librariorum irrepserunt (nondum prodierant editiones romanae correctae) detrahas: si quae parum significantius retineas, tum omnia alia quae in Vulgata scientissime et fidelissime sunt conversa; et ad ea istarum rerum expo-

(1) De verbo Dei, lib. II. cap. 10.

(2) Lib. VI, Cap. 17.

(3) Andrad. Defensio tridentinae fidei, p. 361.

sitionem tamquam cumulum adjicias: existet profecto editio in qua nemo catholicus desiderare aliquid possit.» (1)

73. Quo sensu intelligenda sint haec verba Concilii, *cum omnibus suis partibus?* Juxta P. Vercellone, Concilium tantum designat illas *partes* deuterocanonicas quas protestantes ut apocryphas rejiciebant, minime vero alia loca, etiam ad fidem et mores spectantia: unde, juxta Vercellone, sine detrimento auctoritatis Concilii Tridentini, dici potest, interpolationes correctione dignas, etiam in rebus dogmaticis, in Vulgata inveniri.


Sed Card. Franzelin hanc opinionem refutat his verbis: »Unde dicimus: a) dogma quod expressum exstat in editione vulgata, non deerat in Scriptura primitiva: b) adeoque etiam non erat expressum aliud dogma in textu et aliud in loco respondente editionis Vulgatae: c) multo minus dogma quod in Vulgata affirmatur, ibi erat negatum, aut vicissim... Sed non dicimus: d) vi decreti concilii credendum esse dogma in Vulgata eodem modo expressum, ut erat in Scriptura primitiva, dummodo dogma maneat idem: propterea neque dicimus: e) in hujusmodi locis nullum posse esse errorem versionis, dummodo non sit hujusmodi qui substantiam dogmatis mutet vel obliteret ita, ut etiam adhibitis praesidiis necessariis et opportunis intelligi nequeat. Sic non censendum esset contra decretum Tridentinum rejicere authenticam Vulgatae, qui veram lectionem in Textibus quibusdam etiam dogmaticis putaret esse aliam, qua idem quidem dogma, sed non eodem modo ut in Vulgata enuntiaretur.» (2)

74. Neque illa voce *authentica* voluit Concilium, auctoritatem textus originalis hebraei et graeci imminuere: decretum tantum agit de editionibus *latinis*, et inter editiones *latinas* Vulgatam caeteris praefert. Nullam igitur comparisonem statuit Vulgatae cum textu hebraeo et graeco: proinde, post decretum Conc. Tridentini, textus hebraeus et graecus eandem auctoritatem habent quam antea, et doctoribus catholicis ad eos recurrere licet ad pleniorum Scripturarum intelligentiam. Sic Pallavicini, Salmeron Theologus Concilii, Bellarminus, Franzelin etc. (3)

(1) Man. Isagog. Sect. II, Cap. XIII.

(2) Scriptura. Thes. XIX.

(3) Salmeron ait: «Nihil ibi de exemplaribus graecis aut hebraicis agebatur: tantum inter tot editiones latinas quod nostra saecula parturierant



75. Concilium decrevit, ut nova Vulgatae editio, quam emendatissime conficeretur. Pius IV hunc laborem commendavit cuidam Congregationi Cardinalium, Theologorum et philologorum, qui usi sunt textibus originalibus, manuscriptis antiquissimis summae auctoritatis et citationibus Patrum: Congregatio suum laborem continuavit sub Pio IV sed satis lente, donec vehementi impulsu Sixti V emendatio absoluta fuit, celerius tamen quam oportebat, et nova editio publici juris facta est anno 1590: Multa tamen menda et defectus continebat, quamvis non in essentialibus, quaeque corrigebantur vel calamo, vel etiam chartulis superpositis: cum vero haec emendatio omnibus imperfecta videretur, Gregorius IV novam inchoavit editionem eamque absolvit Clemens VIII, et in lucem edidit anno 1592, et praecepit ut posteriores editiones huic omnino conformarentur.

Anglicus Thomas James, libellum scripsit diffamatorium, cui titulus *Bellum Papale*, ut probaret oppositionem dogmaticam inter Sixtum V et Clementem VIII extitisse, quia Sixtus V in sua Bulla *Aeternus ille* suam editionem authenticam declaravit, et tamen Clemens VIII hanc editionem correxit, aliamque adornavit et ipsam authenticam declaravit. Ex quo argumentum desumunt protestantes ad infallibilitatem Romani Pontificis negandam.

Respondeo, non deesse motiva ad dubitandum de authentia vel saltem de promulgatione Bullae *Aeternus ille*: nam primo, in Bullarium non est recepta: praeterea Bulla dicitur data Kalendis Martii 1589: et die 3 Julii ipsius anni Sixtus V narravit legato Venetiarum, mox se opus esse terminaturum: se in correctione usque ab Apocalypsim pervenisse, librum autem Sapientiae sub typographorum prelo versari: unde mense Julio adhuc dimidia pars Scripturae non erat impressa: et etiam integra impressione terminata, statim in lucem edi non potuit, quoniam multa errata et menda prius corrigenda erant: et ideo probabiliter ante absolutionem operis Sixtus V obiit (Aug. 1590:) Nunc vero promulgari potuit praedicta Bulla, adhuc impressione typographica non

quaenam ex illis praestaret sermo erat... Et rejectis reliquis latinis, unam hanc Vulgatam reliquis tamquam veriore, puriore, dilucidior, ac suis fontibus unde est orta magis consentientem pronuntiavit... Liberum autem reliquit omnibus qui Scripturas profundius meditantur, fontes graecos aut hebraeos quatenus opus sit consulere. Coment. in evang. hist. Proleg. III.

terminata, vël post mortem Pontificis? Sed etiam autentia Bullae supposita, non dicit Sixtus V suam editionem nullum erratum vel mendum continere, nam eam tantum asscrit «optime *prout fieri potuit* emendatam.» Igitur Sixtus V suam editionem declaravit authenticam, sicut concilium Tridentinum authenticam declaravit Vulgatam, nempe, hoc sensu quod nullum erratum vel mendum in sunstantialibus contineret. Nemo autem adhuc ostendit, Clementem VIII errores substantiales in editione Sixtina correxisse. Nullus ergo est defectus infallibilitatis, neque bellum papale in rebus fidei et morum. (1)

Caput XVI

76. Quid Paraphrases seu Targumim. Earum origo, et utilitas in re exegetica. = 77. Paraphrases Onkelosi, Jonathae, Pseudo-Jonathae, aliaeque, = 78. Versiones recentioribus temporibus lingua vulgari confectae. = De versionibus hispanicis, praesertim P. Scio et Torres Amat. Necessitas alicujus versionis novae ac locupletioris in Hispania. = 80. Conditiones ab Ecclesia statutae ad versiones vulgari lingua faciendas.

76. *Paraphrases* seu *Targumin* dicuntur, expositiones seu explicationes textus hebraei lingua chaldaica adornatae, cum judaei propriam linguam oblivioni dederunt et non aliam nisi chaldaicam sciverant, unde necessaria erat eis hebraici textus expositio seu explicatio.

Quoad earum originem, quidam putant jam a temporibus Esdrae hujusmodi paraphrases descendere, quod tamen admittendum non est: illis enim temporibus, judaei adhuc linguam hebraicam noverant, ut patet ex eo quod Esdras, Nehemias aliique posteriores, suos libros hebraice scripserint. Nehemias etiam judaeis maledicit quia chaldaicam linguam nesciebant. Tamen lapsu temporis, lingua hebraica obsolevit, et chaldaica ejus locum obtinuit, propter quod jam paraphrases seu expositiones chaldaicae necessariae fuerunt. Prius, omnes paraphrases erant verbales; sed cum nonnumquam expositores seu pa-

(1) Lucas Brugensis 4000 et Isidorus Clarius 8000 mendorum in Vulgata esse docuerunt; tamen ex comparatione Vulgatae cum originalibus, antiquisque codicibus, patet nullum eorum rem substantialem respicere.

raphrastes suo ministerio abuterentur, statutum est ut deinceps, non nisi paraphrases scriptis consignatae adhiberentur: quo tempore praecise hoc primum factum fuerit nescimus. Forte non erit temerarium asserere, tempore Machabaeorum hujus modi paraphrases in usum fuisse.

Cum praedictae paraphrases expositiones seu explicationes hebraici textus sint, idcirco parvam in re critica auctoritatem habent, sed magnam utique in re exegetica, cum verum textuum originalium traditionalem sensum hebraeorum exhibeant, antequam, adversus christianos dimicantes, primigenium textum celarent aut mutarent, praesertim in prophetiis messianicis.

77. Prima paraphrasis est Onkelosi, saeculi I, Babyloniae nati: creditur discipulum Gamalielis fuisse. Haec paraphrasis non extenditur ad omne Vetus Testamentum, sed solum ad Pentateuchum. In hac paraphrasi vetusta urbium, montium et fluminum nomina, jam obsoleta, novis designantur nominibus: anthropomorphismi vitantur vel exponuntur, et loca obscuriora aliis locis parallelis illustrantur. Cum S. Hieronymus et Origenes nihil de hac paraphrasi in suis operibus dicant, nonnulli putant, eam saeculo I non fuisse adornatam, sed ad summum saeculo I inchoatam et saeculo IV terminatam.

Secunda paraphrasis est Jonathae filii Uziel, qui post Onkelosum scripsit, quia hujus paraphrasi utitur. Jonathas exponit Prophetas priores et posteriores. Labor Jonathae affinis est labori Onkelosi. Quidam ipsum accusant de mutatione vel corruptione prophetiarum messianicarum, aliis, ut Cornely, reluctantibus. (1)

Huic etiam Jonathae tribuitur alia paraphrasis Pentateuchi, sed absque ulla ratione, propter quod dicitur *Paraphrasis Pseudo-Jonathae*: haec enim non distinguitur ab illa quae dicitur Hierosolymitana, ut hodierni critici demonstrarunt. Hae vero paraphrases sunt satis recentes: in his enim loquitur de Constantinopoli, de Turcis, de muliere et filiabus Mahumeti.

Aliae etiam sunt paraphrases parvae utilitatis tum criticae, tum exegeticae, ut *Targum Esther*, Psalmorum, Prophetarum etc.

78. In Anglia versio antiquior est S. Bedae, saltem quoad Evangelia (saec. VIII). Alfredus M. (saec. IX) anglosaxonice

(1) Cornely. *Curs. Sac. Scrip. Introd. gen. Dissert. II, Sect. II, Cap. IV.*

Psalterium transtulit. Wiclef (saec. XIV) integrae Bibliae versionem confecit. Hodie anglicani in sua liturgia utuntur Biblia Jacobi Regi: catholici vero Biblia Duacensi.

Quoad Galliam, probabile est, quamvis non certum, in usum S. Ludovici regis (saec. XIII) et Caroli V (saec. XIV) universam Scripturam gallice translatam esse. Nihilominus certum est, plures versiones totales vel partiales Bibliae, in varias Galliae dialectos confectas, medio aevo extitisse. Inter celebriores versiones citantur Sacy, Carrieres, Vence et Genonde, et nostris tem poribus, versiones Glaire, Gaume etc.

In Germania, plures quovis tempore factae sunt versiones: nunc protestantes adhibent versionem Lutheri, et catholici utuntur versione Allioli.

In Belgio celebres sunt versiones PP. Smits et Van Hobe.

In Italia, versio inter omnes celeberrima est Martini archiep. Florentini, anno 1776 Taurini edita.

Solae Societates Biblicae confecerunt plus quam 200 versiones, et distribuerunt circiter 80.000.000 exemplarium.

79. Quoad versiones hispanas, loquatur Caminero, in hac materia peritissimus: «Ante omnes venit, et aetate et praetio praestans, quae jussu D. Adphonsi regis facta est, saeculo 13.^o ex vulgata desumpta, et in hac Bibliotheca escurialensi manuscripta servatur: partem constituit operis: *Historia general donde se contiene la versión española, etc.* In eodem loco inveniuntur (Theca 119 j) sequentes: quae signatur n.^o 2 continet Prophetas (excepto Is.) Judith, Esdr. Esther, Ecc., Mach., Evang., Epist. cath. et Paul.; saec. 14.^o n.^o 3 continet protocanonicos V. T. et Mach., ex hebraeo immediate versa (excet. Mach), praestantissima, cujus nonnulla specimina alias dedimus: ineunte saeculo XIV vel antea ab hebraeo quodam confecta fuit: n.^o 4 continet totum V. T. e textu latino, ut videtur saeculo 15.^o prodiit: n.^o 5 complectitur Proph., Ruth, Psal., Job, Prov., Ecclesiastem, Cant., Thren., Dan., Ect., Esdr., et Paralip., characteres sunt saec. 15 ineuntis, ex hebraeo versa: n.^o 6 a Prov. ad finem N. T. e textu latino, characteres sunt saeculi 14 labentis: n.^o 7 et 8 denique complectuntur quosdam libros, et initio saeculi 15 descripti sunt. In bibliotheca Ducis Albae alia et versio e vulgata composita a *Moises Arraguel* saeculo 15. Eodem saeculo prodiit alia jussu *Adephonsi* V Aragoniae, e Vulgata. Praeter has manuscriptas versiones, quae demonstrant

statim ac in Hispania lingua latina ignorari a populo coepit, jam proprio idiomate lectam Scripturam fuisse, aliae multae sunt typis mandatae. Lingua valentiana versionem ex latino textu edidit *Dr. Ferrer*, S.^{ti} Vicentii frater, typis data 1478 et deperdita, excepto Psalterio non ita pridem Parisiis reperto a J. Guardia: *Pentateuco español* (Venetiis 1497): Pentateuco hebraico-español y bárbaro griego (Constantinop. 1547): *Job et quidam Psalmi* (Amberes 1540, por Juan de Jarava; *Psalmi poenit, thren., et canticum* (ib. 1543, anonima): *Psalterium* (anonim. litteris gothicis, Toleti?); *Psalt., Prov., et Ecclesiasticum* (Lyon 1550, Juan Roffes): *Psalterium* (Amsterdam, 1543, por Cornelio Sinoy): *Novum Testamentum* (por Fr. Encinas, Amberes, 1543): *aliud N. T.* (Venecia, por Juan Pérez, 1556): *Biblia Ferrariensis* (duae videntur editiones, aut una cum quibusdam mutatis, 1553); *Job et Canticum* a Fr. Ludovico Legionensi, qui plures psalmos metricè vertit, omnia egregie, et mirabili linguarum cognitione (saepe edita): *Psalterium* (ex plurimis locis *P. Ludovici Granatensis* collegit Fr. Didacus Fernández, Segovia 1801): *Eclesiastem* praestantissime vertit *Arias Montano* e latino textu, et egregio commentario ornavit: mss. escurial. absque nomine, sed satis dignoscendum): *Isaiam* et *Jeremiam* (edidit litteris hebraicis José ben Isaac ben José Jebets, Strasbourg, (1569): *Versio Casiodori de Reina integra Biblia complectens* (multum adhibet Ferrariensem, Francfurd, 1569): Id. id. Cipriani de Valera (fere eadem, absque deuterocanonice V. T. uterque fuit calvinista, Amstelodani 1602); *Pentateuchus* (ib. 1648 valde litteralis, a *Manasse ben Israel*): V. T. (ib. 1522 ab *Abraham Méndez de Castro*): *Biblia integra* ex Vulgata, Madrid, 1788, por *Ignacio Guerra*, typis Ibarra, *Evangelia* a *P. Petit* etc. Aliae denique litteris rabbinicis, aut paraphrases, aut metricè (ut *Libri poetici Bibliorum* Carvajal, non exigui praetii, sed nimis ab originalibus distantes, item *Prophetæ inspirati* J. M. Bedoya, item quorundam librorum separatim.) Unde patet quanta subsidia illum habere posse, qui digniorem Sacrorum Librorum hispanicam versionem conficere vellet.» (1)

Nunc in Hispania generatim utimur versionibus P. Scio et Torres Amat: prima est valde litteralis et notis abundat: altera

(1) Man. Isagog. Sect. II, Cap. XV. = Conf. etiam Menendez Pelayo, *Heterodoxos españoles*, tomo II; pag. 224.

est elegantior et liberior; sed in ea ampliores notae desiderantur: unde Societas *La verdadera ciencia española*, anno 1886 Barcin, novam condidit editionem in qua versio hispana est Ilmi Torres Amat, notae vero Ilmi. P. Scio: neque tamen hoc opus, quamvis laudabile, omnibus satisfacit interpretibus et theologis hispanis: quare benemeritus esset, qui servato generatim textu Torres Amat, et quibusdam etiam notis P. Scio, novis et locupletioribus notis et commentariis et vindiciis novam aliquam editionem illustraret.

80. Scimus Sacram Scripturam, partem divinae Revelationis continere: unde quivis error in ea, magnam jacturam Fidei secum ferret: errores autem et lapsus manare possent vel ex incuria typographorum vel ex ignorantia aut mala intelligentia lectorum: ad haec ergo vitanda, statutum est ab Ecclesia, ut omnis qui versionem aliquam S. Scripturae lingua vulgari conficere vellit, sese omnino accommodetur litterae et sensui editionis Clementis VIII, et insuper, loca obscura et ambigua opportunis notis illustret, et non nisi ecclesiasticae auctoritatis prius obtenta licentia, suam editionem typis mandet. Has vero conditiones rationabiles esse nemo negabit: his namque omissis, actum esset de Scriptura, ut contingit inter protestantes.



Caput XVII

81. Quid sint polyglottae. Earum utilitas. = 82. Tetraplae, exaplae etc. Origenis. Qua de causa Origenes hunc laborem suscepit. = 83. Historia polyglottarum Card. Cisneros et Regiae. Celebres humanistae qui his polyglottis operam dederunt. = 84. Polyglottae Parisiensis, Londinensis et aliae minoris momenti.

81. *Polyglottae* dicuntur, illae Sacrae Scripturae editiones, quae praeter textus primigenios, etiam celebriores versiones atque paraphrases continent.

Polyglottarum utilitas aperta atque evidens procul dubio est: vi enim earum, potest quis facillime inter se conferre textus originales et diversas eorum versiones, quae majorem in re critica et exegetica habent auctoritatem, et hac comparatione multa loca obscura et intellectu difficilia illustrare atque exponere.

82. Primam polyglottam absque dubio constituunt, labores

Origenis, quos duplici de causa suscepit hic sapientissimus scriptor: 1.^a ut editionem emendatissimam versionis LXX proponeret: exemplaria enim quae circumferebantur variantes lectiones continebant: 2.^a ut monstraret, in quo versio LXX cum textu hebraeo conveniret et in quo differret, ut ita silentium imponeret judaeis, qui quotiescumque arguebantur aliquo textu ex graeca versione desumpto, quique ipsis non faveret, aiebant septuaginta interpretes non recte textum originale hebraicum vertisse.

Ad hoc, primo confecit *tetraplas*: nempe, in quolibet folio vel pagina, quatuor columnis parallelis, descripsit quatuor versiones: scilicet, in prima columna posuit Aquilam qui propius accedit ad textum hebraicum: in secunda, Symmachum; in tertia, Septuaginta, in honorem tantae versionis: et in quarta Theodotionem, propter suam affinitatem cum Septuaginta. Deinceps, ut comparatio institui posset cum ipso textu originali hebraico, quatuor praedictis columnis duas alias praemisit, quarum prima continebat hebraicum textum characteribus hebraicis, altera eundem textum characteribus graecis; et hinc *Exaplae*. Postea in nonnullis libris V. T. addidit versiones ab ipso inventas prope urbem Jericho et Nicopoli ad Actium, easque in V et VI columna descripsit: demum in VII columna aliam posuit versionem, cujus origo latet: et hinc *Ogdoaplae* et *Enneaplae*. In margine plures adnotationes adjecit ad clariorem textus intelligentiam, et quibusdam signis, differentias quae inter hebraicum et graecum textum inveniebantur, designavit.


Sed hoc magnum opus periit. Tempore S. Hieronymi servabatur in bibliotheca Caesareae, sed postea in incendio hujus bibliothecae per Sarracenos, cum aliis multis codicibus et operibus consumptum est, et nonnisi aliqua fragmenta a Patribus conservata, ad nos usque pervenerunt. Specimina *Exaplarum* exhibent Cornely, Ubaldi, Caminero, Lamy aliique.

83. Inter recentiores polyglottas, primum locum obtinet *Complutensis* sumptibus Card. Ximenez de Cisneros edita Inchoata fuit anno 1514, et absoluta anno 1517, et in lucem prodiiit anno 1520 sex voluminibus in fol. comprehensa. Non nisi 600 exemplaria typis mandata sunt. Complectitur textum hebraicum, graecum, Vulgatam latinam et Targum Onkelosi cum sua latina interpretatione. Sextum volumen continet apparatus criticum, dictionaria et indices. Card. Cisneros, usus est opera Antonii Ne-

brija (Lebrigensis) Joann. de Vergara (canonici toletani), Alphonsi Complutensis (medici) Coronel etc. Finem quem sibi proposuerat Card. Cisneros, ipse in prologo satis declarat; nempe scripturistica studia restaurare, et media praebere ad rectam Vulgatae latinae interpretationem. Haec polyglotta caeteris est inferior, si tantum ad numerum versionum attendamus: sed in re critica maximo praetio est habenda: nam textus hebraicus ex antiquissimis manuscriptis Vaticani derivatus est; unde haec editio textus hebraici principem, inter omnes, locum obtinet. Etiam ipsa versio LXX emendatissima est.

Alia polyglotta est illa quae dicitur *Regia*, quia munificentia Philippi II Hispaniarum regis excusa fuit Antuerpiae a celebri typographo Christoforo Plantino, unde etiam vocatur Polyglotta *Antuerpiensis* et *Plantiniana*. Prodiit anno 1572, 8. vol. in fol. Praeter ea quae continet polyglotta Complutensis, complectitur Targum Jonathae cum sua latina interpretatione, versionem syriacam N. T. characteribus syriacis et hebraicis cum punctis vocalibus, versionem litteralem textus hebraei ab Aria Montano factam, et demum copiosissimum apparatus criticum, cum grammaticis et dictionariis linguae hebraicae, graecae et syriacae, catalogum idiotismorum hebraicorum et optimas dissertationes Benedicti Arias Montano circa antiquitates hebraeorum. Huic polyglottae operam dederunt Benedictus Arias Montano, scriptor hispanus eruditissimus (natural de Fregenal en Extremadura, ó de Jerez ó de Sevilla según otros): callebat linguam hebraicam, arabicam syriacam, chaldaicam et graecam, praeter latinam et hispanam: Philippus II non semel ipsi episcopalem dignitatem obtulit, quam tamen constanter recusavit modestia motus. Cum Aria Montano laboraverunt etiam Alphonsus Zamora, Luc. Brujensis, decanus Cathedralis Saint Omes in Belgio, Guill. Cantero et alii.

84. Tertia polyglotta est *Parisiensis*, edita a Le Jay, Parisiis anno 1645, 10 vol in fol extraordinariae nimiaeque magnitudinis. Labor typographicus accuratissimus est. Praeter ea quae praecedentes polyglottae continent, haec *Parisiensis* complectitur, versionem syriacam et arabicam V. et N. Testamenti cum sua translatione latina; Pentateuchum Samaritanum, et versionem Samaritanam cum latina interpretatione primum edita a P. Morino Cong. Orat. cujus opera praecipue facta



est haec polyglotta. Non continet apparatus criticum, grammaticam nec dictionaria.

Quarta Polyglotta est *Londinensis* edita anno 1657, vol. 6 in fol. Dicitur etiam *Poliglotta Walton*, quia Brianus Walton, qui postea fuit episcopus anglicanus Winchester, laborum directionem, inspectionemque habuit. Praeter omnia praece-
dentibus polyglottis comprehensa, continet versionem litteralem V. T. Benedicti Arias Montano, latinam versionem LXX a Nobilio Flaminio adornatam jussu Sixti V, versionem persicam Pentateuchi et aethiopicam Psalterii et C. Canticorum. His sex voluminibus addidit Edmundus Castell anno 1686, duo alia quae continent prolegomena circa textum originale, versiones et chronologiam: copiosissimum catalogum lectionum variantium, et demum lexicon seu dictionarium hebraicum, chaldaicum, syriacum, samaritanum, aethiopicum, arabicum et persicum, cum suis grammaticis.

Praeter has polyglottas, aliae etiam dantur quae tamen non tanta gaudent auctoritate: tales sunt; *Veneta* facta studio Danielis Bombergi anno 1515-17; continet textum hebraicum, Targum et varia rabbinorum commentaria.—*Commeliana* seu *Biblia Batabli* edita Parisiis anno 1536, 3 vol. in fol. a Roberto Stephano, qui tamen Vatablo eam adscripsit: cum vero in hac Biblia polyglotta quaedam sententiae haeresim sapientes inveniantur, Vatablus suam non esse confessus est. Continet textum hebraicum, versionem Alexandrinam juxta editionem Complutensem, latinam vulgatam et alteram versionem Pagnini.—*Polyglotta Bagster*, Lond. 1831, unico volumine continet textum hebraicum, Pentateuchum samaritanum, LXX, Vulgatam, textum syriacum, textum graecum Mill, translationem germanicam Lutheri, italicam Diodati, gallicam Ostervald, hispanicam P. Scio et anglicam *receptam*.

Stier et Theile ediderunt Polyglottam manualement, 4 vol. Continet quoad V. T., textum hebraicum, LXX, Vulgatam et translationem germanicam Lutheri; et quoad N. T. textum graecum, Vulgatam et germanicam translationem. Caret libris deuterocanonis.

Demum dantur polyglottae particulares, nempe aliquorum tantum librorum *Justiniani* U. P. Pentateuchi, et *Witembergensis* Psalmorum etc. (1).

(1) Conf. Glaire, Introd. in S. Script. tom. I. pag. 310.

SECTIO II

De divīnā inspiratione Sac. Librorū

Caput I.

85. Doctrina Concilii Tridentini et Vaticani de inspiratione.=86. Quid sit inspiratio late sumpta. Diversae definitiones inspirationis stricte sumptae. In quo inspiratio differat a revelatione.=87. Opiniones quoad naturam et extensionem inspirationis, Falsae opiniones Dr. Haneberg, Lesii et Hamelii, Bonfrerii et Janssens, Erasmi et Guizot aliaeque recentiorum rejiciuntur.=88. Solutio quarundam objectionum.

85. Concilium Tridentinum sess. 4.^a et 5.^a c. de Ref. declaravit *Deum esse utriusque Testamenti librorum auctorem*: id ipsum jam declaraverant Conc. Carthag., Lugdun. II. et Florentinum; et clarissime omnia explicuit Concilium Vaticanum, his verbis: «Veteris ac novi Testamenti libri integri cum omnibus suis partibus, prout in ejusdem Concilii Tridentini decreto recensentur pro sacris ac canonicis suscipiendi sunt. Eos vero Ecclesia pro sacris ac canonicis habet, non ideo quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati: nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant; sed propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesia traditi sunt.» (1)

86. «Inspiratio universaliter sumpta, ait Card. Zigliara, idem est ac *instinctus*, non prout instinctus dicit inclinationem proveniente[m] a natura seu a principio intrinseco, sed prout importat inclinationem subjecti ad aliquid ex aliquo principio

(1) De fide Cath. c. 2.

exteriori. Dicimus quod naturali instinctu animalia cientur ad ea quae sibi conveniunt secundum naturam, vel quod homines naturae instinctu scire et esse felices desiderant... Instinctus ille, seu inclinatio, vel instigatio, quatenus inest nobis, non a natura, sed a principio extrinseco in nobis operante, quod Deus est, dicitur, ab ejus Auctore, inspiratio divina, vel divinus instinctus.» (1)

Nos agimus de inclinatione vel instigatione a Deo proveniente in ordine ad scriptionem Sacrorum librorum.

Itaque hoc verbum *inspiratio* *θεοπνευστία* ex Vulgata desumptum est, nan in quibusdam Novi Testamenti locis, occurrit: ex. gr: «Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto *inspirati* locuti sunt sancti Dei homines.» (2) Et alibi: «Omnis Scriptura divinitus *inspirata* utilis est ad docendum etc.» (3)

Catholici omnes et etiam protestantes supernaturalistae tenent et credunt, omnes libros Sacrae Scripturae esse divinitus inspiratos: quoad naturam vero et extensionem hujus inspirationis, non conveniunt, quare diversae ab ipsis dantur definitiones.

Juxta Patrizi: «Inspiratio biblica est Dei actus hominem excitans ad ipsius sensa scripto accipienda.» (4)

Janssens hanc tradit definitionem: «Inspiratio ad scribendum vocatur interior excitatio, qua Deus auctorem theopneustum movet ad scripto mandanda ea quae ipsi divinitus vel humanitus nota sunt.» (5)

Groot sic inspirationem definit: «Est motio Dei in scriptorem sacrum, qua Deus est proprie auctor libri sacri.» (6)

Definitio tradita a Marchini, haec est: «Inspiratio est singularis ea Spiritus Sancti moventis ad scribendum impulsio, directio ac praesentia, mentem animumque scriptoris gubernans, quae eum errare non sinit, efficitque ut scribat quae velit Deus.» (7)

(1) Propaedeut. ad Sac. Theol. Lib. II. Cap. I.

(2) II Pet. I, 21.

(3) II Tim. III, 16.

(4) Comment. de divinis Script. §. IV.

(5) Hermeneut. sacra, Cap. II, §. III.

(6) Summ. apolog. Quaest. XVI, Art. II.

(7) De divinit. et canone. S. Script. P. I, Art. 5.

Franzelin sic notionem inspirationis exponit: «Inspiratio ad scribendos sacros libros essentialiter constituisse videtur in charismate gratis dato illustrationis et motionis, quo veritates quas Deus per Scripturam Ecclesiae tradere voluit, mens hominum inspiratorum conciperet ad scribendum, et voluntas ferretur ad eas omnes et solas scripto consignandas, sicque elevatus homo tamquam causa instrumentalis sub actione Dei causae principalis consilium divinum exsequeretur infallibili veracitate.» (1)

Demum P. Zanecchia, hanc inspirationis definitionem proponit: «Est influxus divinus physicus et supernaturalis elevans et movens facultates hominis, ut scripto consignentur Ecclesiae, propter bonum et utilitatem ejus, ea quae Deus vult, et modo quo vult.» (2)

Inter omnes has definitiones illa erit aptior quae perfectiori modo respondeat systemati quod vere et recte explicet naturam divinae inspirationis, cum definitio sit veluti synthesis totius systematis. De diversis vero systematibus statim agemus.

In hoc differt inspiratio a revelatione, quod haec semper supponit manifestationem rei occultae: sed inspiratio potest etiam de his esse quae scriptori sunt nota. Idcirco omnis revelatio est inspiratio, sed non e converso: sic ex. gr. Apostolus Joannes quae propriis oculis vidit, tamen divinitus *inspiratus* scriptis consignavit, ut ea quae vitam, passionem et mortem Christi attingunt: sed major pars eorum quae Apocalypsis continet, nempe futura contingentia, ipsi a Deo *revelata* fuere.

87. Nunc diversas opiniones quoad naturam et extensionem divinae inspirationis exponemus, falsasque rejiciemus.

Animadvertendum est, omnem illam opinionem esse falsam, quae sic naturam inspirationis explicet, ut non agnoscat *Deum esse auctorem* Sacrae Scripturae, vel concedat sacros libros aliquos errores continere.

Nostris hisce temporibus Dan. Haneberg, epis. Spirensis, docuit ad divinam alicujus libri inspirationem hoc sufficere, nempe, quod Ecclesia hunc librum in suum canonem receperit. Sed hic manifesta est confusio: nam quod Ecclesia aliquem librum in suum canonem recipiat, sufficit ut fideles de ejus divina inspiratione certi sint: sed non ideo hic liber est divinitus

(1) Tract. de divinis Script. Thes. III.

(2) Divina inspirat. Sacr. Script. ad mentem S. Thom. Ag. Cap. VII.

inspiratus, quia illum Ecclesia in suum canonem recepit, sed ideo liber receptus tuit, quia Ecclesia novit ipsum esse divinitus inspiratum. Praeterea Haneberg, saltem explicite, nullam Dei interventionem agnoscit in libro conscribendo: hac vero speciali Dei interventione sublata, nullo modo dici potest *Deum esse auctorem utriusque Testamenti* ut, docent Conc. Tridentinum et Vaticanum. Haneberg postea suam opinionem mutavit, et doctrinam Vaticanam de inspiratione sequitur in quarta editione sui operis *Historia revelationis biblicae*. Quidam dicunt etiam Sixtum Senensem hanc opinionem secutum fuisse, quia docet, libri sacri fidem *non ab auctore, sed ab Ecclesiae catholicae auctoritate pendere*. Sed Sixtus Senensis, loquitur de auctore secundo, seu de *tali* scriptore: nam alibi dicit: «Divini autem et canonici scriptores illi sunt, qui *Spiritu divino dictante* scripturas canonicas scripserunt.» (1)

Inspiratio ad sensum Haneberg ante suam retractationem, dicitur inspiratio *consequens*.

Similem sententiam defenderunt PP. Lessius et Hamelius, quorum doctrina continetur hac propositione damnata a Facultatibus theologicis Lovaniense et Duacense, annis 1587 et 1588: «Liber aliquis, qualis est fortasse secundus Machabaeorum, humana industria sine assistentia Spiritus Sancti scriptus, si Spiritus Sanctus postea testetur ibi nihil esse falsum, efficitur Scriptura Sacra.» P. Lessius suam propositionem, saltem quoad librum Machabaeorum, mere hypotheticam esse declaravit: sed etiam hoc supposito, haec sententia omnino rejicienda est, nullam enim interventionem Dei specialem agnoscit in sacris libris conscribendis, vel saltem hujusmodi influxum divinum non censet necessarium, et ideo contradicit Conciliis asserentibus *Deum esse auctorem librorum utriusque Testamenti*. Praeterea, in hoc systemate, si quis librum scriberet qui de Metaphysica vel de Geologia ageret, si postea Spiritus Sanctus testaretur librum illum nullum continere errorem, efficeretur Scriptura Sacra; quod minime admitti potest. (2)

Bonfrerius triplicem admittit inspirationem, scilicet *antece-*

(1) Biblioth. Sancta Lib. VIII.

(2) Conf. Ubalbi, Introd. crit. P. I, Sect. I, Cap. II, Art. I.—Janssens, in sua *Hermeneutica Sacra*, docet Melchiorem Canum, huic opinioni subscribere, et citat, cap. 16 et 17 Lib. II, Loc. Theol, ubi Canus omnino contrarium docet.

dentem, concomitantem et consequentem. Nam quandoque Deus movet voluntatem scriptoris ut scribat, ipsumque illuminat et docet id quod scribere debeat: haec inspiratio quae dicitur *antecedens* admittitur a Bonfrerio in libris propheticis, et in his etiam Scripturae locis qui de mysteriis et de rebus arcanis agunt: ubi Bonfrerius inspirationem cum revelatione confundit.

Quoad reliquos sacros libros, nullam aliam agnoscit inspirationem nisi *concomitantem*, qua nempe Deus in scriptorem non influit, sed tantum paratus est ad omnes scriptoris errores vitandos. Demum inspirationem *consequentem* admittit quoad ea loca Scripturae in quibus gentiles et impii loquuntur.

Haec opinio merito rejicitur, quia generatim nullam aliam Dei assistentiam agnoscit nisi *negativam*, quae quidem non sufficit: Concilium enim Vaticanum docet, Ecclesiam libros V. et N. Testamenti pro sacris et canonicis habere «*Non ideo dumtaxat*, quod revelationem sine errore contineant: sed propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti, Deum habent *auctorem*. Praeterea, in hac sententia, definitiones Conciliorum et R. Pontificis ex cathedra loquentis in rebus fidei et morum essent etiam divinitus inspiratae, Deus enim eos non sinit errare.

Hanc negativam assistentiam *ad res tantum doctrinales* vel cum his necessario connexas coarctant Erasmus, Grotius, Spinoza alique, unde in caeteris Scripturae partibus, errores minoris momenti inveniri possunt. Hanc ipsam sententiam aliquo modo tenuit Dr. Sorbonicus Henricus Holden, quamvis fateatur Sacram Scripturam *de facto* immunem esse ab errore in omnibus suis partibus.

Haec sententia omnino rejicienda est; nam vel negat contra Concilium Vaticanum, Deum esse Sacrae Scripturae auctorem, vel admittit Deum ipsum esse auctorem leviorum errorum qui in Scriptura inveniri possunt: hoc vero impium et blasphemum est. Praeterea, admissa hac sententia, actum esset de Scriptura: «Admisso enim, inquit S. Augustinus, in tantum auctoritatis fastigium officioso aliquo mendacio, nulla illorum librorum particula remanebit, quae non ut cuique videbitur, vel ad mores difficilis, vel ad fidem incredibilis, eadem perniciosissima regula ad mentientis auctoris consilium officiumque referatur.» (1) Et

(1) Epis. ad Hier., 56.

quidem difficile est determinare, quaenam Scripturae partes connexionem necessariam habeant cum doctrina quaenam vero non habeant, et idcirco dubii esse deberemus de inspiratione maximae partis Scripturae; et insuper haereticis praeberetur occasio negandi illas Scripturae partes quae cum ipsorum erroribus pugnant: liceret enim eis dicere illas partes nullam cum doctrina necessariam connexionem habere, et ideo esse erroneas.

M. Guizot nimium formidans oppositionem inter Sacram Scripturam et profanas historias, chronologias et scientias naturales, asseruit in hujusmodi rebus Scripturam non esse divinitus inspiratam, et ideo errores in ea inveniri posse, non vero in his locis in quibus de rebus dogmaticis agitur.

Haec sententia, etiam dogmatum inspirationem e medio tollit. Nam plura dogmata necessario conjuncta sunt cum narrationibus historicis; unde error historicus saepissime secum ferret errorem dogmaticum. Et revera: quid esset de veritate propagationis originalis peccati, sublata historia divinae creationis primi hominis a quo omnes alii procedunt? Quid de ipsa Christi divinitate, si dubitare liceret de suis praedicationibus, miraculis et aliis factis historicis quae ab Evangeliiis narrantur? Praeterea absque motivo timet Guizot oppositionem inter Scripturam et veram historiam profanam, et certa principia scientiarum naturalium; nam talis oppositio nec datur, nec dari potest, ut postea videbimus: apparentes autem contradictiones nobis jus non concedunt, Scripturae vel minimum errorem tribuendi: «In his litteris, ait S. Augustinus, si quid velut absurdum moverit non licet dicere: auctor hujus libri non tenuit veritatem: sed aut codex mendosus est, aut interpres erravit, aut tu non intelligis.» (1)

P. Lagrange, Loisy et alii inter catholicos supponunt errores contineri in Sacra Scriptura in rebus astronomicis geologicis, chronologicis aliisque hujusmodi, nam in his rebus consideranda est ipsa rei natura et finis scriptoris, non autem forma et ornatus narrationis quae erroneae esse possunt, quales fortasse sunt relationes primae productionis rerum, creationis hominis, formationis mulieris, etc., etc.


Haec opinio nullo modo admitti potest, nam contradicit Concilio Vaticano solemniter declaranti Scripturam continere

(1) Cont. Faustum, Lib. II, cap. 5.

revelationem sine errore. Fortasse dicet aliquis illa quae ad astronomiam, geologiam vel ad ornatu narrationis pertinent nom fuisse a Deo inspirata nec constituere partem revelationis: sed ex hoc infertur, in primis, Deum non esse auctorem totius Scripturae, etiam ad sensum Concilii Vaticani nisi ipsi Deo tri- buantur omnes errores Sacrorum librorum Praeterea admissa possibilitate erroris in quibusdam rebus scientificis et in his quae ad ornatum narrationis pertinent ¿nonne etiam liceret de narra- tionum dogmaticarum et moralium veritate dubitare? Indubium est ergo opinionem hanc verum Semi-rationalismum biblicum constituere, ab omnibus catholicis rejiciendum. (1)

Demum nonnulli, ut Card. Newman et De Broglie, censent, quasdam esse in Sacras Scripturas res leves ac indifferentes,

(1) Opportuna sunt haec quae in egregio opere cui titulus *«El exame- ron y la Ciencia moderna*, P. Arintero» leguntur: «Se ha dicho, escribe Meignam, (*Le Monde*, p. 7) que los errores de la Biblia en astronomía y en geología poco importan. Mas si la Biblia comenzara por una exposición errónea de las verdades físicas, ¿no sería de temer que la inducción nos llevara á dudar de las verdades morales? Si el error se encuentra en la primera página de la Biblia ¿qué garantías tendríamos para lo restante del libro? La hipótesis de un libro inspirado, en el cual la verdad moral estu- viesse encajada en un relato de hechos controvertidos, suscita gravísimas dificultades, y no nos parece á propósito para atraer hacia el dogma de la inspiración los ánimos rebeldes.»—El Angélico Doctor hace á los exegetas las siguientes reflexiones, dignas de meditarse (*Qs. disp. De Pot. q. 4, a. 1.*) «Ne quidquid verum aliquis esse crediderit, statim velit asserere hoc ad veritatem fidei pertinere... Duo etiam sunt vitanda: quorum primum est, *ne aliquis id quod patet esse falsum, dicat in verbis Scripturae, quae creationem rerum docet, debere intelligi. Scripturae enim divi- nae, a Spiritu Sancto traditae, non potest falsum subesse, sicut nec fidei, quae per eam docetur.*» *El Exameron y la Ciencia moderna*, pág. 248.—El alibi ait ipse P. Arintero: «Además el Papa (*Providentis*) reprende á los que opinan que debe atenderse al *fin* más que á la *expresión*, «de veritate sententiarum quum agitur, non adeo exquirendum *quae- nam dixerit Deus*, ut non magis perpendatur *quam ob causam* ea dixe- rit.» Añadiendo que la inspiración es del todo incompatible con el menor error y lo excluye necesariamente: «necesario excludat et respuat... abest ut divinae inspirationi *error ullus* subesse possit... Quare nihil admodum refert Spiritum Sanctum assumpsisse homines tamquam instrumenta ad scribendum, quasi non quidem primario auctori sed scriptoribus inspiratis quidpiam falsi elabi potuerit... Consequitur, ut qui in locis authenticis Librorum sacrorum *quidpiam falsi* contineri posse existiment, ii pro- fecto aut catholicam divinae inspirationis notionem pervertant, aut Deum ipsum erroris faciant auctorem.» *Ibid.* pág. 250.



quae obiter dicta nuncupantur, insertas ab hagiographis ad modum cujusdam incisi, aut enuntiationis mere historicae vel familiaris, ut quod Nabuchodonosor fuerit rex Nivives (Judith, I, 7), quod Paulus penulam Troade reliquerit (II. Tim. IV, 13), salutationes in fine epistolarum etc. In his *obiter dictis*, praedicti scriptores, possibilitatem aut existentia erroris profitentur.

Haec sententia est etiam omnino rejicienda: si enim in Scriptura essent quaedam levia seu obiter dicta, a Deo non inspirata, et ideo fortasse erronea, «quam facile, ait Melchior Canus, erit cuique res vel graves, vel leves pro suo arbitrato ingenioque aestimare?... Quocirca fluctuaret passim et legentium et audientium fides, dum ignoraret, quonam spiritu, hominis, aut Dei una quaelibet chronicorum sanctorum particula fuisse scripta.... Si novi testamenti idonei administri apostoli et evangelistae facti sunt, illorum profecto sufficientia non ex illis, sed ex Deo est: illorum proinde error Dei est, non illorum. Nos enim ab Apostolis Christi testamentum accepimus; et cum illos audimus, Christum audimus: cum eorum Evangelium legimus, Christi legimus Evangelium. At cum lex Moysis, quod est ministerium mortis, tam exacta diligentia scripta sit, ut jota unum aut unus apex ex ea praeteriri non possit, multo certe magis Evangelium Christi, quod est ministerium spiritus ac vitae, scriptum erit tanta cura et Dei assistentis afflatu, ut non modo verbum, sed ne apex quidem ullus sit, qui non sit a spiritu divino suppedtatus.» (1)

Omnes sententiae hucusque allatae, videntur a Concilio Vaticano reprobatae; si enim hagiographi in exarandis libris sacris ducti fuerunt proprio ac solo humano spiritu in rebus historicis, geographicis, physicis, chronologicis, in salutationibus aliisque levioribus, plures essent partes Scripturae sola humana industria concinnatae, non vero Spiritu Sancto inspirante conscriptae, et ideo, vere dici non posset *Deum esse auctorem utriusque Testamenti*.

88. Objectiones: 1.^a Deus Scripturas nobis tradidit, ad res quae religionem respiciunt edocendas, vel ad nos instruendos in credendis, sperandis atque operandis ut ad supernam fe-

(1) De loc. Theolog. Lib. II, Cap. 17—De diversis hodiernis catholicorum opinionibus circa inspirationem Scripturae ejusque interpretationem aliqua dicemus cum de interpretatione I Cap. Genes. sermo sit.

licitatem pervenire valeamus; ergo in his tantum rebus Scriptura erit inspirata, non vero in historicis et scientificis aliisque quae ad fidem et mores non pertinent.

Resp. Res etiam historicae et scientificae saepissime connexionem habent cum his quae fidem et mores respiciunt, ut alibi diximus; et ideo necessarium fuit, ut Deus Scripturam Sacram etiam his in rebus inspiraret. Praeterea ait Apostolus, loquens signanter de rebus historicis V. Testamenti: «Haec omnia in figura contingebat illis: *scripta sunt autem ad correctionem nostram.*» (1) Et de universa Scriptura ait: «Quaecumque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt.» (2): et alibi: «Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei et ad omne opus bonum instructus.» (3) Ergo Apostolus judicat, *omnia* quae in Scripturis continentur, aliquo modo ad fidem et mores pertinere.

S. Thomas, exponens praedicta Apostoli verba, ait: «Quadruplex est effectus Sacrae Scripturae: scilicet docere veritatem, arguere falsitatem, quantum ad speculativam: eripere a malo, et inducere ad bonum, quantum ad practicam.»

«Ultimus ejus effectus est ut perducatur homines ad perfectum. Non enim qualitercumque bonum facit, sed perficit... Et ideo dicit: *Ut perfectus sit homo Dei*: quia non potest homo esse perfectus nisi sit homo Dei. Perfectum enim est cui nihil deest. Tunc ergo homo est perfectus quando est instructus, id est paratus *ad omne opus bonum*; non solum ad ea quae sunt de necessitate salutis, sed etiam ad ea quae sunt *supererogationis.*» (4)

2.^a Superfluum esset Deum inspirare hagiographis ea quae eis erant lumine naturali nota, ut sunt res historicae et alia hujusmodi; ergo in hujusmodi rebus, Scriptura non est divinitus inspirata; Deus enim non abundat in superfluis.

Resp. Hagiographis naturaliter nota fuisse non modo plura ad historiam pertinentia, sed plura etiam doctrinalia et moralia; si ergo neque ad haec se extendit divina inspiratio; ergo neque dimidia pars Scripturae est divinitus inspirata.

(1) I Cor. X, 11.

(2) Rom. XV, 4.

(3) II Tim. III, 16, 17.

(4) Comm. II Tim. III, lec. IV.

Hagiographi quidem non eguerunt in his rebus naturali lumine notis *divina revelatione*, sed utique *divina inspiratione*, ut Scriptura vere dici posset *verbum Dei*, divina origine, auctoritate, veritate et infallibilitate praedita; quae certitudo verbi Dei non potest causari a fallaci et debili humana scientia et experientia.

3.^a Plura continent Scripturae inutilia et Deo indigna, quae idcirco a Deo inspirari non potuerunt.

Resp. Modo Scriptura recte intelligatur, nihil est in ea inutile aut Deo indignum: Apostolus enim dicit: «Omnis Scriptura... utilis est.» Consentiant Patres: inter alios, S. Basilius, intollegendam et gravissimam blasphemiam esse dicit vel unum verbum otiosum in sacris libris admittere: (1) et Chrysostomus ait: «Nihil hic scriptum est, quod non multas sensuum habeat divitias: quandoquidem divino Spiritu afflati prophetae locuti sunt.» (2)

3.^a Quaedam sunt phrases in Scriptura quae dubitationem indicant, ut *forte*, *fortasse*, *circiter*; deinde Apostolus ad Corinthios ait: «Caeteris ego dico, non Dominus.» (3) Demum, auctor II libri Machabaeorum, fatetur insudasse in suo libro scribendo: «Et nobis quidem ipsis, qui hoc opus breviandi causa suscepimus, non facilem laborem, immo vero negotium plenum vigiliarium et sudoris assumpsimus.» (4): et alibi ait: «In his faciam finem sermonis, et si quidem bene, et ut historiae competit, hoc et ipse velim; sin autem minus digne, concedendum est mihi»: (5) ubi videtur, auctorem veniam petere ob errores in quos fortasse incurrit.

Resp. Praedictae phrases non dubitationem ex parte Dei supponunt, sed his Deus utitur, ut communi loquendi modo cum de quibusdam et praesertim contingentibus agitur, se accomodat.

Apostolus, illis verbis ad Corinthios, ostendere vult, se minime tradere praeceptum, sed tantum consilium, ut ex contextu satis apparet. Aliter etiam responderi potest cum P. Zanechia: «Cum Dominus non omnia praecepta ore suo protulerit

(1) Hom. 10 in Exam. cit. ab. Ubaldi.

(2) Hom. 21 in Gen.

(3) I. Cor. VII, 12.

(4) II. Machab. II, 27.

(5) Ibid. XV, 38, 39.

de omnibus, nihil mirum si in aliquibus rebus exhiberi possit Domini praeceptum, et secus in aliis. Quapropter Paulus vere et proprie dicere potuit de aliquibus rebus: *Praecipio non ego, sed Dominus*; id est, de his habemus praeceptum ore proprio a Domino positum: de aliis vero, quia a Domino non fuit praeceptum expressum, jure merito dicere potuit: *Caeteris ego dico, non Dominus*; vel etiam: *Praeceptum Domini non habeo* Istae proinde propositiones minime ostendunt quod ad Apostolo conscriptae fuerant sine inspiratione divina. Hinc ipsemet statim subdit: *Consilium autem do, tamquam misericordiam consecutos a Domino*; quae misericordia consistit in vocatione ejus ad apostolatam, et ad munus hagiographi. Quocirca idem caput epistolae his verbis absolvit: *puto autem, quod et ego Spiritum Dei habeam.*» (3)

Quoad id quod adducitur ex II Machabaeorum, dicimus divinam inspirationem non excludere laborem hagiographi ejusque industriam, unde nihil mirum quod aliquando auctor hagiographus insudet ad ordinanda vel brevianda ea quae Deus ipsi inspiravit ut scripto consignet: Deus enim ut postea ostendemus, sacris scriptoribus non dictavit ipsa verba et phrases, sed ideas tantum; et sic concipitur, quod auctor II Machabaeorum veniam postulet, non erratorum, cum Deus non permittat auctores sacros errare, sed quorundam defectuum quoad regulas historiae, et quoad elegantiam dictionis.

Caput II

89. Exponitur systema inspirationis rigidae. Ejus fundamenta. Rejjicitur hoc systema. = 90. Quod sit systema P. Zanecchia. = 91. Quid de hoc systemate dicendum. = 92. Proponitur et defenditur systema assistentiae et inspirationis positivae, non quoad omnia et singula verba, sed quoad sententias. = 93. Num aliqua verba Sacrae Scripturae a Deo inspirata fuerint.

89. Controversia de extensione inspirationis Sacrae Scripturae agitari coepit saeculo XVI: nam priusquam Lessius, Hamelius, Bonfrerius, Erasmus alique novas suas emitterent opiniones, sententia communis inter catholicos ea erat quae tenet Spiritum

(3) Divina inspirat. Sacr. Script. Cap. X.

Sanctum, omnia omnino quae in Sacris Scripturis continentur fuisse a Deo inspirata, non modo quoad substantiam rerum, sed etiam quoad singula verba, stylum atque apices. Sic Salmeron, Bannez, M. Canus, Maldonatus, Estius, Gregorius de Valentia et alii bene multi. Inter protestantes hanc eandem sententiam tenuerunt Lutherus, Calvinus, Zuinglius et plures alii. Sed hodie generatim haec sententia rejicitur, et merito quidem ut statim videbimus.

Defensores inspirationis rigidae pro sua sententia haec Apostoli verba adducunt: «Omnis Scriptura divinitus inspirata est.» Sed ut vera sit haec sententia Apostoli, non est necessarium, quod Spiritus Sanctus communicasset sacris scriptoribus singula verba: sed sufficit inspiratio omnium sententiarum, ut patet.

Ajunt etiam omnes Patres et antiquos theologos hanc tenuisse sententiam; et offerunt testimonia S. Basilii et Chrysostomi, et Melchioris Cani, nuper a nobis prolata, aliorumque patrum et theologorum.

Sed Patres generatim data opera de hac re non tractarunt, sed tantum indirecte: et cum quis eos interrogavit circa inspirationem, eam coarctarunt ad res et sententias, ut postea videbimus. Phrases quidem apud Patres inveniuntur quae contrariae sententiae inspirationis rigidae favere videntur, sed sunt locutiones hyperbolicae, quibus usi sunt, ut magnam Scripturarum auctoritatem commendarent, et omnem adulterationem etiam litteralem vitarent. Praeterea, plures sunt Patres qui expressis verbis hanc sententiam rejiciunt. Quoad plures theologos dicendum est, vel eos errasse aut benigne esse interpretandos.

Nunc positive rejiciemus hoc systema, his rationibus: 1.^a Quia sicut Deus in necessariis non deest, ita neque in superfluis abundat: jam vero, cum scriptores sacri ex se ipsis capaces fuissent eligendi verba apta ad exprimendas ideas et sententias a Deo inspiratas, superflua erat verborum inspiratio: insuper Deus egisset contra naturam rationalem hominis, qui sub inspiratione rigida, ad conditionem puri instrumenti materialis descendisset: 2.^a quia stylus librorum sacrorum diversus est, et plus vel minus elegans juxta majorem vel minorem instructionem litterariam sacrorum scriptorum: sic in Veteri Testamento, Isaïas et Salomon locutione utuntur mirabili, non ita Amos, qui humilis fuit pastor: in Novo Testamento, Paulus et Lucas elocenter loquuntur; non ita reliqui scriptores: 3.^a Quia si Deus etiam ipsa verba et stylum inspira-

sset, auctor II Machabeorum non dixisset, se negotium plenum vigiliarum et sudoris in suo libro scribendo assumpsisse: 4.^a Quia Christus Dominus semel tantum protulit verba consecrationis, et tamen Matthaeus, Lucas et Paulus ut ea referant, non iisdem verbis utuntur: 5.^a Quia saepissime scriptores N. T. citant loca V. T., sed non ad litteram sed ad sensum, quod non facerent, si ipsa verba a Deo inspirata fuisse credidissent: 6.^a Juxta systema inspirationis rigidae, Ecclesia hodie Sacram Scripturam non haberet, quia textus originales perierunt, et ridiculum foret asserere hodiernum textum hebraicum et graecum easdem litteras continere ac textus primigenius: 7.^a Ecclesia declaravit Vulgatam continere verbum Dei; nemo vero dicet, verba ipsa Vulgatae a Deo inspirata esse: 8.^a demum, quia omnino ridiculum est inspirationem extendere etiam ad *apices*, si hoc nomine *puncta et commata* designentur: tunc enim non adhibebantur hujusmodi signa, saltem in sermone hebraico: quod si revera adhibita sunt adhuc amplius non existunt.

Haec est etiam Patrum sententia: ait enim Chrysostomus: «Cum clamantem (Paulum) audis ac dicentem: Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus nihil proderit (Gal. V) solam vocem Pauli esse puta, sensum autem et dogma Christi esse a quo intus docetur » (1) Et S. Augustinus inquit: «Ut enim quisque meminerat, et ut cuique cordi erat brevius vel prolixius eandem tamen explicare sententiam, ita eos explicasse manifestum est.» (1) Denique S. Hieronymus scribit: «Alii syllabas aucupentur et litteras, tu quaere sententias.» Et infra in eadem epistola ad Pammachium: «Obtrectatores mei quaerant et intelligant, non verba in Scripturis considerata. sed sensum.» (2)

90. Ut P. Zaneccchia systema recte intelligatur, fere integrum transcribo Cap. XIII, ejus operis, cui titulus «*Divina inspiratio Sacrorum Scripturarum ad mentem S. Thomae Aquinatis*. Loquitur P. Zaneccchia: «Rejectis sentiis coangustantibus divinam inspirationem biblicam vel ad doctrinalia, vel ad ea quae pertinent ad fidem et mores, vel ad res et sententias in sacris libris contentas, vel ad ea quae putantur formalia in Bibliis; luculenter consequitur divinam inspirationem sese proten-

(1) Cont. Judaeos, II, 1.

(1) De Cons., Evang., II, 12.

(2) Epist. 57 ad Pammachium.

disse ad omnia ac singula ab hagiographis consignata in suis autographis, nec non ad structuras grammaticas et rhetoricas, ad stylum, ordinem etc., quibus ea scripto transmiserunt.—*Inspiratio verbalis rejecta fuit, quia fuit male intellecta.*—a) Praedicta amplitudo inspirationis biblicae, ideo ante encyclicam *Providentissimus Deus* Leonis XIII fere omnibus fuit invisā, quia, ut passim vidimus, fuit male intellecta, pejorque modo explicata. Imaginabatur communiter, quod in inspiratione verbali Spiritus Sanctus debuisset inspirare hagiographos suppeditando, suggerendo, dictando eis omnia quae litteris transmittere Ecclesiae volebat; imponendo eis omnia, prout dictata erant, scribere: et vigilando ut fideliter, ac infallibiliter singula in libris consignarent: eo prorsus modo quo magister facit erga puerum scribentem. Ex tali conficta inspiratione, originem duxerunt omnes erroneae vel minus rationales sententiae, quas in praecedentibus capitibus examinando improbavimus.—b) Causa cur praedicta imaginatio rationi praevaluit, ut verosimiliter putamus, duplex fuit: negligentia alte agitandi in scholis quaestionem de modo quo Scriptura divinitus processit: oblitio, vel minus rationalis expositio principiorum S. Thomae circa modum quo efficacia virtutis divinae suaviter et fortiter se explicat in cunctis causis creatis. Si enim catholicae scholae ratum habuissent efficaciam divinam in causis creatis servare integram individualement naturam uniuscujusque, intimam ipsarum causalitatem complere, atque cum eis et per eas efficere omnia et singula quae in mundo producuntur: nemo umquam in inspiratione biblica efficaciam Dei restrixisset ad revelata, ad doctrinalia, ad res fidei et morum, ad res et sententias, vel ad formalia Bibliorum tantum: nec ullus umquam posuisset duplicem quamdam inspirationem: *antecedentem* unam, qua Spiritus Sanctus revelavit, suggessit vel suppeditavit scriptori conceptus in libro scribendos; *concomitantem* alteram, qua Spiritus Sanctus externe assistens vigilabat ut scriptor, humana tantum virtute agens, apte ac sine errore exprimeret, quomodo ipsi scriptori placuisset, res et conceptus, quos ei proposuit. Et multo minus aliquis posuisset tertiam quamdam inspirationem, a quibusdam *subsequentem* appellatam, qua Spiritus Sanctus approbando scriptum aliquod, sola humana arte et virtute concinnatum, illud reddit verbum Dei!—*Principia S. Thomae circa divinam efficaciam in cunctis causis creatis.*—a) Bene attendendo ad praedictas res-

trictiones factas in inspiratione biblica, deprehenditur quod omnes fundantur in quadam non subordinatione causarum creaturarum a causalitate divina: dum contra, S. Thomas in suis operibus totus est in tuenda supremam Dei efficaciam relate ad omnia quae in mundo fiunt, et in conciliando illam cum diversa creaturarum causalitate, praecipue libera. Praeter enim principia, passim in hoc opere et praesertim in n. 126 adducta, alia etiam in operibus Angelici habentur, ex quibus efficacia Dei inspirativa ad omnia et singula, prout in autographis hagiographorum fuerunt consignata, evidenter demonstrari potest.—B) Sane, ex hoc S. Thomae (1) principio: «Deus est in omnibus rebus ut dans eis esse, et virtutem et operationem,» evidenti demonstratione infertur quod nihil omnino in sacra Scriptura fuit consignatum, pertinens sive ad substantias rerum, sive ad formas expressivas earum, independenter ab efficacia inspirativa Dei. Revera, si in ordine naturali, in quo habentur in creaturis virtutes adaequatae, saltem in actu primo, ad producendos naturales effectus, auctor naturae, id est Deus, est in quolibet operante, ut dans ei esse, virtutem et operationem productivam effectus, faciens nempe ut effectum producat; a fortiori in ordine supernaturali, in quo nulla virtus operativa invenitur in creaturis, nisi sit eis gratuite divinitus collata, Deus ut auctor gratiae est in unoquoque supernaturaliter operante, ut dans ei virtutem et correspondentem operationem, qua operatur quidquid operatur vel producitur. Inspiratio autem biblica est ordinis supernaturalis, ut in n. 58 vidimus, cujus supernaturalis effectus est *Scripturae origo divina*. Fuit ergo Deus in unoquoque hagiographo, ut dans ei virtutem et operationem productivam Scripturae divinae, supernaturalem nempe virtutem et *scriptionem ab ipso Deo provenientem*. Impossibile est ergo invenire in Scriptura aliquid, ad quod efficacia divina non se protendit.—Neque dici potest quod Deus dedit hagiographo supernaturalem virtutem et operationem, inducendo solummodo eum et movendo ad opus, ac deinde relinquendo ut ipse humana tantum virtute libere opus perficeret: eo enim ipso opus hagiographi non fuisset supernaturale, nec quantum ad substantiam eorum quae consignanda erant, sicut patet in omnibus libris historicis et moralibus, nec quantum ad modum vel medium consignationis,

(1) Sum. theol. p. I. q. VIII, a. 2.



quia scriptio seu consignatio, sola humana virtute fuisset facta: et ideo naturalem virtutem minime excessisset, etiamsi adfuisset assistentia Spiritus Sancti: quia haec, utpote extrinseca operationi, nihil divinum ei contulisset.—y) Insuper, ex hoc alio S. Thomae (1) principio: «Cum aliqua causa efficax fuerit ad agendum, effectus consequitur causam, non tantum secundum id quod fit, sed etiam secundum modum fiendi vel essendi.... Cum igitur voluntas divina sit efficacissima, non solum sequitur quod fiant, ea, quae Deus vult fieri, sed et quod, *eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult*,» legitime infertur quod efficacia inspirativa Dei, proveniens ab ejus efficacissima voluntate, in condendo sacram Scripturam, non se coercuit ad res scribendas, sed se explicavit ad singulos modos quibus scriptio peracta fuit.—Idipsum evidenter demonstratur ex hoc alio principio S. Thomae (2): «Moventia secunda non movent (id est non agunt) nisi per hoc quod sunt mota a primo movente.» Motus enim primi moventis nequid esse simplex applicatio secundi moventis ad opus, quia applicatio est aliquid mere extrinsecum moventi secundo: nec secundum movens movet vi applicationis receptae, sed virtute ei derivata a primo movente. Quapropter virtus propria secundi moventis nequit se protendere ad aliquid, ad quod efficacia primi moventis non se extendat, sive illud aliquid pertineat ad substantiam rei fiendae, sive ad ejus modalitates. Propterea dicit alibi (3) Angelicus:» Cum (Deus) sit universale agens, ejus virtus attingit *omnia entia*.» (4)

91. Fidenter asserit cl. P. Zanecchia, inspirationem verbalem rejectam fuisse, quia fuit male intellecta: imaginabatur enim, inquit, quod in inspiratione verbali Spiritus Sanctus debuisset inspirare hagiographos suppeditando, suggerendo, dictando eis omnia quae litteris transmittere Ecclesiae volebat.

Sed venia, doctissimi P. Zanecchia, puto ita systema inspirationis rigidae fuisse intellectum etiam a suis defensoribus, non exceptis theologis ipsiusmet Ordinis Praedicatorum, ut insignis M. Canus, qui ait: «At cum lex Moysis, quod est ministerium mortis, tam exacta diligentia scripta sit, ut jota unum aut unns apex ex ea praeteriri non possit, multo certe magis Evangelium

(1) Sum. theol. p. I. q. XIX, a. 8.

(2) Ibid. q. II, a. 3.

(3) Ibid. q. CXII, a. 1.

(4) Loc. cit. q. c. XII, a. 1.

Christi, quod est ministerium spiritus ac vitae, scriptum erit tanta cura et Dei assistentis afflatu, ut non modo verbum, sed ne apex quidem ullus sit, qui non sit a spiritu divino *suppeditatus*.» (1)

Nunc videamus, quomodo intelligendum sit ipsum systema P. Zanecchia. Libenter admitto, omnes causas secundas agere sub praemotione Dei physica intrinsece determinante, ad sensum thomistarum. Cum ipsis thomistis etiam agnosco, causam secundam sub praemotione Dei physica, vera libertate, id est, facultate eligendi gaudere. Jam vero, vel scriptores hagiographi, sub hac physica praemotione, libere elegerunt vocabula in textibus originalibus contenta, vel non: si hoc ultimum dicatur, ergo etiam P. Zanecchia imaginatur, *quod in inspiratione verbali Spiritus Sanctus debuisset inspirare hagiographos suppeditando, suggerendo, dictando eis omnia quae litteris transmittere Ecclesiae volebat*: si primum dicatur, ergo principia S. Thomae optime servantur, afirmando ipsa vocabula et phrases ab ipsis scriptoribus fuisse libere electa et scriptis consignata, quamvis sub praemotione physica, ita ut vere dici possit, in Sacra Scriptura, nihil omnino esse, cujus causa, nempe principalis non sit ipse Deus. Neque dicat P. Zanecchia, hic agi de re supernaturali: nan etiam in ordine supernaturali, homo sub influxu gratiae ab intrinseco efficacis, vera gaudet libertate eligendi, ut causa secunda.

Igitur inspiratio verbalis rejecta fuit, non quia male intelligeretur, ut supponit P. Zanecchia, sed quia rejici debebat ut superflua.

92. Rejectis itaque supradictis sentienciis, nos eam amplectimur quae dicitur *assistentiae positivae* quoad res et sententias, non autem quoad omnia verba. Haec *assistentia* positiva simul complectitur inspirationem *antecedentem, concomitantem* et *consequentem*: nempe, Deus in primis determinat et movet voluntatem scriptoris ad scribendum, ita ut sacer scriptor scribat non quia ipse vult, sed quia Deus vult. Deinde Deus illuminat intellectum scriptoris hagiographi, ipsi proponendo ideas rerum et sententiarum quae scripto consignandae sunt, ita ut hagiographus scribat non quod ipse vult, sed ea quae Deus vult, quaeque ipsi scriptori vel per simplicem inspirationem, vel per revelationem communicat. Et en inspiratio *antecedens*. Deinceps sacer scriptor eligit illa verba, phrases et propositiones, quibus exterius manifestare possit ea quae ipsi a Deo inspirata aut revelata sunt, et Deus vigilat ne

(4) De loc. theol., Lib. II, cap. I7.

sacer scriptor utatur verbis quae non vere et recte exprimant omnia omnino, etiam minima quae ipsi inspirata sunt, ita ut praeservet ab omnino errore, et aliquando etiam ipsa verba communicet hagiographo: en inspiratio *concomitans*. Demum Deus approbat quod scriptum est, hancque approbationem nobis manifestat ope miraculorum et prophetiarum, et testimonio prophetarum in Veteri Testamento, et Ecclesiae catholicae testimonio in Novo. His omnibus suppositis, bene dici potest Deum esse *auctorem* librorum utriusque Testamenti. Caminero, rem hoc exemplo illustrat: «Fingamus, inquit, animo, regem cum suo ministro de re aliqua pertractantem, illi postea imperare ut rem pertractatam scribat, atque ita decretum condant, quod ipse rex inter scribendum inspiciat ne sensus alienus irrepit, ac denique signat, suaeque auctoritate munit. Hoc certe decretum regis est talisque ab hominibus habetur et dicitur, quamvis verborum delectus, periodorum nexus ac styli elegantia non regis sed ministri labor existat.» (1) Hoc ipsum dicendum est de Deo respectu sacrorum librorum, admissa assistentia positiva quatenus a nobis fuit exposita.

Id ipsum systema alio modo et ad sensum P. Zanecchia, sic exponi potest:

Deus, praemotione physica determinat et movet voluntatem hagiographi ad scribendum, et illuminat ipsius intellectum ut scribat tantum ea quae Deus vult: ipse Deus, etiam physica praemotione applicat activitatem scriptoris ad ipsam scriptiorem: sed hagiographus sub illa praemotione eligit verba, et phrases; cum vero etiam illa praemotione supposita, hagiographus in hac electione errari possit, Deus vigilat, id est suum concursum denegat, cum scriptoris errorem praevidet etiam in minimis: et sit hagiographus nihil aliud scribit nisi quod Deus vult, et quod Deus etiam cum ipso scribit ut causa principalis. Deinceps Deus approbat quod scriptum est, hancque approbationem nobis manifestat, modo supradicto. Unde Deus est auctor et causa prima et principalis totius entis in Sacra Scriptura; tamen ipsa verba, phrases etc. non dictavit, nec supeditavit.

93. Nonnumquam ipsa Scripturae verba a Deo inspirata sunt: 1.^o Quando sacer scriptor inter scribendum se exhibet quasi audientem vocem Dei loquentis, ut saepe contingit in

(1) Man. Isag., Sect. IV, Cap. III.

Prophetis, praesertim vero in Apocalypsi («Audiui vocem de coelo, dicentem mihi: Scribe: Beati mortui, qui in Domino moriuntur.» Apoc. XIV, 13): 2.^o In quibusdam vocabulis et propositionibus dogma aliquod continentibus, ut vox *Verbum*, in illo Ioannis *Verbum caro factum est*; et in illa definitione Dei, ab ipso Deo Moysi tradita *Ego sum qui sum*: 3.^o In his locis qui praeter sensum litteralem habent etiam mysticum, puta in voce *Ierusalem* quae simul quamdam Palaestinae urbem, ecclesiam, animam et coelum significat. Ad rem S. Thomas: «Auctor principalis Sacrae Scripturae est Spiritus Sanctus, qui in uno verbo sacrae Scripturae multo plura, quam per expositores, sacrae Scripturae exponantur vel discernantur, intellexit.» (1)

Caput III

94. Adversarii inspirationis. = 95 Ostenditur divina sacrorum librorum inspiratio: 1.^o infallibili auctoritate Ecclesiae catholicae; 2.^o testimoniis desumptis ex Sacra Scriptura; 3.^o ex Traditione; 4.^o sanctitate et sublimitate doctrinae speculativo-practicae quae in ipsis libris sacris continetur; et 5.^o mira conformitate harum doctrinarum cum progressu in scientiis naturalibus.

94. Omnes adversarii inspirationis Sacrae Scripturae ad tres classes revocari possunt: 1.^a Hi qui omnium Sacrorum Librorum divinam inspirationem agnoscunt, eam tamen non ad singulas res et sententias extendunt: tales sunt Erasmus, Grotius, Guizot, et nostris hisce temporibus Parry, Horne et Paley protestantes anglicani orthodoxi, et ipsa Ecclesia Anglicana, quae in quodam conventu habito, anno 1863, solemniter declaravit, sufficere ad fidem ut quis profiteatur omnes libros canonicos, saltem ex aliqua sui parte esse divinitus inspiratos. Sed haec sententia jam refutata manet cap. praecedenti.

2.^a Illi qui non omnes Sacrae Scripturae libros censent fuisse divinitus inspiratos: inter veteres habemus Marcionem et Manichaeos qui Veteris Testamenti inspirationem negarunt: Dosithaeus Prophetarum inspirationem inficiatus est: Ebioni-

(1) Quodl. art. 14 ad 5. = Conf. etiam Groot, Summ. Apolog. Quaest XVI.

tae, omnes Pauli epistolas, ut falsas et Deo indignas rejecerunt: Theodorus Mopsuestanus, libros Job et Salomonis divinitus inspiratos esse negavit. Inter modernos, Protestantes, etiam hi qui orthodoxi appellantur, deuterocanonicorum divinam inspirationem non agnoscunt, sed eos habent ut apocryphos. Hanc sententiam refutabimus in Introductione particulari, cum de cujus libet libri inspiratione tractemus.

3.^a Hi qui omnium omnino Sacrae Scripturae librorum divinam auctoritatem negant, neque historicam seu humanam ipsis auctoritatem concedunt. Tales fere sunt omnes rationalistae ut Toelner, Semler, Straus, Vegscheider, Bauer, Colenso, et generatim Sociniani et Arminiani ex Protestantium castris exhorti.

Nos igitur contra hos postremos divinae inspirationis hostes, ostendemus in hoc capite, divinam inspirationem Sacrae Scripturae universim sumptae, et in sequenti ad nihilum redigemus praecipua rationalistarum fundamenta.

95. *Omnis Sacra Scriptura tum Veteris tum Novi Testamenti divinitus inspirata est.*

Prob. 1.^o auctoritate infallibili Ecclesiae Catholicae: nam Concilium III Carthaginense, Scripturas habet ut *divinas*, dicens: «Item placuit ut praeter Scripturas canonicas nihil in Ecclesia legatur sub nomine *divinarum Scripturarum*»: et adjicit canonem librorum tum proto, tum deuterocanonicorum. Eugenius IV canonem Scripturarum ex fide et auctoritate *Ecclesiae universalis* Jacobitis proponens, dicit: «*Unum atque eundem Deum* Veteris et Novi Testamenti, hoc est Legis et Prophetarum atque Evangelii profitetur *auctorem*, quoniam *eodem Spiritu Sancto inspirante* utriusque Testamenti Sancti locuti sunt.» Quae quidem verba Eugenius IV mutuatus est ex pontificali Romano, ubi episcopus consecrandus interrogatur: «Credis etiam V. et N. Testamenti, hoc est, Legis, Prophetarum et Evangelii, unum atque eundem esse auctorem Deum ac Dominum omnipotentem?» Et consecrandus respondet: Credo. Ut jam diximus Cap. I hujus Tractatus, juxta Concilium Tridentinum et Vaticanum, eatanum Ecclesia omnes et singulos libros S. Scripturae, cum omnibus suis partibus pro sacris et canonicis recipit, quia unum Deum habent auctorem. Et demum, Concilium Vaticanum. Sess. III, definivit: «Si quis libros ipsos, cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica

legi consueverunt, et in veteri Vulgata editione habentur, pro sacris et canonicis non suscepit, aut eos *divinitus inspiratos esse* negaverit, anathema sit.»

In hujusmodi Conciliorum decretis, nulla fit distinctio inter libros proto et deuterocanonicos; ergo infallibili auctoritate Ecclesiae constat, omnes et singulos libros V. et N. Testamenti, esse divinitus inspiratos.

Haec eadem veritas evincitur, 2.^o ex ipsa Sacra Scriptura: plura enim in N. Testamento inveniuntur testimonia, quae divinam Veteris Testamenti inspirationem demonstrant. Certum est judaeos semper Scripturas ut divinitus inspiratas habuisse: jam vero, Christus et Apostoli hanc judaeorum fidem confirmant, cum ipsorum sacros libros tamquam absolute infallibiles habent, quod aliter admitti non potest, nisi eorum divina inspiratione supposita: et quidem; Christus absolute dicit: «Donec transeat coelum et terra jota unum aut unus apex non praeteribit a Lege donec omnia fiant.» (1): ubi nomine legis intelligit totam Scripturam, cum paulo antea dixisset «se non venisse ad solvendam Legem et Prophetas» (2). Hanc ipsam Scripturae infallibilitatem affirmavit etiam his verbis, loquens cum Petro: «Quomodo ergo implebuntur Scripturae, quia sic oportet fieri?» (3) Et apparens discipulis post suam Resurrectionem idem inculcabat dicens: «Quoniam necesse est impleri omnia, quae scripta sunt in Lege Moysi, et Prophetis et Psalmis de me» (4); quae verba omne Vetus Testamentum, juxta divisionem Scripturae communem apud judaeos, complectuntur. Alibi etiam Christus Scripturam exhibet ut infallibile testimonium, dicens: «Scrutamini Scripturas.... et illae sunt quae testimonium perhibent de me.» (5) Similiter loquuntur Apostoli: sic Petrus ait: «Viri fratres, oportet impleri Scripturam, quam praedixit Spiritus Sanctus per os David de Juda etc» et allegat Psal, XL, 10; LXVIII, 26, et CVIII, 8. Et alibi, inquit: «Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia; sed *Spiritu Sancto inspirante*, locuti sunt sancti Dei homines.» (6)

(1) Matth. V, 18.

(2) Ibid. v. 17.

(3) Matth. XXVI. 54.

(4) Luc. XXIV, 44.

(5) Joann. V, 39.

(6) II Pet. I, 21.

Demum Paulus exhortans Timotheum ad perseverandum in lectione et studio librorum Veteris Testamenti, ait: «Omnis Scriptura (nempe V. T.) divinitus inspirata (est et) utilis ad docendum etc, secundum textum graecum, juxta aliquos, quamvis non omnes. (1) Plura alia testimonia pro divina inspiratione V. T. inveniuntur, in N. T., quae tamen omittimus brevitatis gratia.

Sed moderni rationalistae dicunt, testimonia Christi et Apostolorum intelligenda esse juxta communem usum loquendi: cum ergo apud judaeos usus invaluisse libros sacros appellandi divinos ob eorum eminentiam, non vero ob divinam inspirationem, Christus et Apostoli huic modo loquendi se accommodarunt.

Resp. judaeos libros sacros appellasse divinos ob eorum divinam inspirationem, seu quatenus Deo tribuebantur ut auctori supernaturali, ut constat ex illis sacris libris in quibus passim occurrunt hujusmodi phrases: «*Haec dicit Dominus Deus.... Locutus est per os sanctorum.... Multifariam, multisque modis olim loquens Deus Patribus in Prophetis.* Praeterea omnes Scriptores hebraei, libris canonicis divinam atque supernaturalem originem tribuunt; et idcirco, Christus et Apostoli, hoc eodem sensu loquebantur. Unde Apostolus inquit ad Thessalonicenses: «Ideo et nos gratias agimus Deo sine intermissione: quoniam cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed (sicut est vere) verbum Dei, qui operatur in vobis qui credidistis,» (2)

Quoad Novum Testamentum, Petrus laudans epistolas Pauli, eas comparat cum *caeteris Scripturis*, dicens:» Sicut et charissimus frater noster Paulus, *secundum datam sibi sapientiam*, scripsit vobis, sicut eni in omnibus epistolis, loquens in eis de his, in quibus sunt quaedam difficulta intellectu, quae indocti et instabiles depravant, sicut et caeteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem.» (3) Denique plurimi auctores V. T. et etiam auctor Apocalypseos asserunt plura ex Dei mandato scripsisse, ut legenti patet Exodum, XVII, 14; Deut. XXXI, 19; Prophetas et Apocalypsim.

«Indirecte et mediate, ait erud. Caminero, ex N. T. demons-

(1) II Tim. III, 15, 16.

(2) I Thess. II, 13=Conf. *Inst. Apologetico-polem.* P. Fr. Vincent. M. Gatti. O. P. Lib. II, Tract. IV, Cap. I. Art. II.

(3) II Pet. III, 15, 16.

rari Apostolos scriptores infallibiles in scribendo fuisse ex his constat quae de systemate Apostolorum praedicandi et de origine evangeliorum supra diximus. Nulla enim ratione concipitur cur a Jesu Christo adjuti et a Spiritu Sancto fuerunt in praedicanda christiana fide (quod ex multis locis certum est. v. gr. Joan. XIV, 25-26; XVI, 13); non autem in eadem fide litteris tradenda. Igitur saltem Evangelium Matthaei et Joannis, epistolae Petri, Jacobi et Judae atque item Apocalypsis Joannis, ab auctoribus prodierunt, quibus Spiritus Sancti assistentia in proponenda revelatione ac praedicanda Christi doctrina promissa fuerat a Christo Jesu: Paulum vero divinitus suam doctrinam accepisse, atque ministerium apostolicum a Deo fuisse eidem impositum, diversis locis ipse declarat (Gal. II, 7-9; 2 Cor. XIII, 3; coll. Act. IX, 15; XIII, 2). Demum Evangelia Marci et Lucae pari veneratione cum caeteris statim ab omnibus habita sunt; argumento igitur est eorum inspirationem divinam certo apositam fuisse, praesertim approbatione ab Apostolis obtenta.» (1)

3.^o Probatur eadem veritas testimoniis Patrum: S. C.emens Rom. ait: «Scripturas diligenter inspicite, quae Spiritus Sancti vera sunt oracula.» (2) Justinus docet, Scripturas non humano artificio fuisse conditas, his verbis: «Neque enim natura aut humani ingenii acie res tam magnae ac divinae cognosci ab hominibus possunt, sed eo, quod tum in Sanctos homines descendebat dono, quibus quidem nec verborum artificio opus fuit etc.» (3) S. Iraeneus: «Scripturae quidem perfectae sunt, quippe a verbo Dei et spiritu ejus dictae.» (4) Origenes: «Nonne hic aperte etiam caeci videre possunt, quod legem et Evangelia, unus atque idem Spiritus scripsit.» (5) S. Cyprianus: «Loquitur in Scripturis Spiritus Sanctus.» (6) Athenagoras haec scribit: «Non enim vobis ignota esse puto Moysis scripta, aut Isaiae aut Jeremiae, aut aliorum prophetarum, qui mente et animo extra se rapti, impellente Spiritu Sancto, quae ipsis inspirabantur, ea sunt locuti: utente illis Spiritu Sancto velut si tibiam inflet ti-

(1) Man. Isag. Sect. IV, Cap. V.


(2) Epist. I ad Cor. Cap. XLV.

(3) Coh. ad Graec. n. 8, apud Ubaldi.

(4) Haer. Lib. II, Cap. 28, ibid.

(5) Hom. 5.^a in Exod. n. 3, apud Fernandez.

(6) De opere et elem., ibid.



bicem.» (1) S. Isidorus Hisp. ait: «Hae litterae sacrae, hi libri integri numero et auctoritate, aliud cum istis non est comparandum. Quidquid extra hos (nempe libros canonicos) inter haec sancta et divina nullatenus est recipiendum.» (2) Chrysostomus distinguit inter Deum et Moysem dicens: «Deus vult: longe absentibus litteras misit, quas quidem litteras dedit Deus, ad tulit Moyses.» (3) S. Gregorius M. Scripturas vocat «Epistolam omnipotentis Dei ad creaturam suam.» (4) Demum S. Augustinus inquit: «Unde non immerito cum illa scriberent, eis Deum per eos locutum... tot tantique populi crediderunt.» (5) Et in alio libro, Scripturas, quarum catalogum texit, vocat *divinas.*» (6) Id ipsum confirmat praxis Ecclesiae et fidelium, ex. gr. legendi vel audiendi Evangelium flexis genibus, vel stando et discooperto capite, vel etiam consuetudo jurandi extensa manu super sacrum codicem; et demum magna diligentia, qua discernebant libros sacros ab apocryphis quamvis optimis et piissimis.

Judeos vero libros V. T. ut divinos habuisse res evidentissima est legenti Philonem, Josephum et generatim historiam populi judaici.

4.^o Haec ipsa veritas inspirationis sacrorum librorum eruitur ex sanctitate et sublimitate doctrinae speculativo-practicae quae in ipsis libris continetur. Nam si comparatio instituatur inter doctrinam utriusque Testamenti et systemata et theorias et conclusiones philosophorum tum veterum tum recentiorum circa Deum, mundum, hominem et societatem, necesse est agnoscere in sacris libris doctrinam vere divinam et supra humanam intelligentiam positam: et quidem, juxta philosophiam inimicam Fidei, vel Deus non existit, vel est ipsa mundi materia, vel nullam de mundo providentiam habet, ita ut omnes hominum virtutes, et crimina et injustitiae et latrocinia, nullam condignam recipiant mercedem, nullamque vindictam neque in praesenti, neque in futuro saeculo; sed juxta Scripturas Deus existit, spiritualis est et a mundo distinctus, et de omnibus rebus creatis, praesertim vero de homine,

(1) Leg. pro Christ. n. 9.

(2) De Can. n. 14.

(3) Hom. III in Gen.

(4) Lib IV Epistolarum, epist. 31 ad Thed apud Ubaldi.

(5) De Civit Dei, Lib. XVIII, Cap. 41.

(6) De Doct. Christ. Lib. II.

providentiam gerit, estque omnium creator, pater, salvator, auxilium et gloria; quaedam quidem mala in hoc saeculo permittit, quae tamen condignam retributionem recipient in futuro. Juxta praedictam Philosophiam, mundus aeternus est et casu ad actualem statum reductus; omnia fatali necessitate in ipso contingunt, non exceptis actibus hominis, qui idcirco sub necessaria et indeclinabili necessitate, quae ipsius libertatem tollit, semper agit: sed juxta sacros libros, mundus aeternus non est, sed in tempore a Deo conditus ex nihilo: legibus sapientissimis regitur, quae in rebus intelligentia orbatis necessario, juxta earum naturam, adimplentur, sed hominis libertatem minime tollunt. Juxta Philosophiam inimicam Fidei, homo nihil est aliud quam animal quod ab aliis animalibus non nisi figura et majori evolutione earumdem facultatum differt, et ideo. juxta jumentorum *mores* vivere et ut jumenta perire, in vita et ultimus finis hominis, secundum principia philosophiae *civilizationis*! Juxta doctrinam Sacrorum librorum, homo est, animal rationale, substantia spiritali praeditus, qua fit Deo ipsi similis: a caeteris animalibus essentialiter distinguitur; gaudet libertate, capax est virtutis: legem naturalem et evangelicam servare, proximos diligere, inimicis benefacere, mortem non timere, spe gloriae operari, eamque ultimo adipisci: in vita, scopus et finis hominis christiani! Demum juxta Philosophiam inimicam Fidei, societas est congregatio servorum sub imperio tyrannorum, ut ex historia tum antiqua, tum moderna atque contemporanea constat. In hujusmodi societate, potestas est originario et exclusive ab hominibus, qui in favorem alicujus personae suum emittunt suffragium, nomine liberum, re autem coactum: semel auctoritate constituta, haec suis utitur juribus, in sui ipsius lucrum, et in societatis destructionem, contentiones, rixas et inimicitias in urbibus et populis fovendo; quae omnia jeheu! nostris hisce oculis olim perspeximus, et ahuc etiam perspicimus: juxta doctrinam vero sacrorum librorum, omnis potestas a Deo est, saltem primario et originaliter, et societas est congregatio *fratrum* sub directione *patrum*: *libertas* tantum ad verum et bonum, *aequalitas* ante legem, et universalis *fraternitas*; in principia juxta quae hominum societas regi debet, quaeque verae ejus felicitatis, unicae possint esse causae, ut historia luculenter ostendit.

Denique vita Christi Domini, ejus miracula, praedicationes, mors et resurrectio, divinitatem sine dubio demonstrant, non modo sanctissimae personae Christi, sed etiam librorum in

quibus haec omnia consignari voluit (1) Hac ipsissima argumentatione utitur Caminero; sed eam rejicit Ubaldi, vel ad summum concedit, hoc tantum nostram argumentationem probare, nempe, sacros libros res supernaturales et à Deo revelatas continere, non vero libros ipsos *qua tales* divinitus inspiratos esse. (2) Ubaldi consentit P. Petrus Fernández, qui etiam addit nostram argumentationem esse falsissimam et absurdam. (3) Quod ad me attinet, fateor argumentationem propositam non constituere demonstrationem omnino certam seu apodicticam: sed non video quo jure dici possit eam esse falsissimam et absurdam, saltem si omnes rei circumstantiae considerentur. Et quidem; certum est; sacros libros continere res supernaturales, profundissimas atque sublimes in omni ordine tum theologico,

(1) Non omnino incongruum puto hic afferre illud notissimum Rousseau: «Yo confieso que la magestad de la Escritura me asombra: la santidad del Evangelio me habla al corazón. Ved los libros de los filósofos con toda su pompa: ¡cuán pequeños son junto á aquel! ¿Es posible que un libro á la vez tan sublime y tan sencillo sea obra de los hombres? ¿Es posible que aquél de quien se hace la historia no sea más que un hombre? ¿es aquél el tono de un entusiasta ó de un ambicioso sectario? ¡Qué dulzura, qué pureza en sus costumbres! ¡Qué tierna gracia en sus instrucciones! ¡Qué elevación en sus máximas! ¡Qué profunda sabiduría en sus discursos! ¡Qué presencia de ánimo! ¡Qué finura y que exactitud en sus respuestas! ¡Qué imperio sobre sus pasiones! Donde está el hombre, donde está el sabio que sabe proceder, sufrir y morir sin debilidad y sin ostentación?... La muerte de Sócrates filosofando tranquilamente con sus amigos, es la más dulce que se puede desear: la de Jesús expirando en los tormentos, injuriado, ridiculizado, maldecido de todo un pueblo, es la más horrible que se puede temer. Sócrates tomando la copa envenenada bendice al que se la presenta y que llora: Jesús en medio de un suplicio afrentoso ruega por sus verdugos encarnizados. Si; si la vida y la muerte de Sócrates son de un sabio, la vida y la muerte de Jesús son de un Dios. ¿Nos dirán que la historia del Evangelio está inventada á capricho? Amigo mío, no es así lo que se inventa: y los hechos de Sócrates de quien nadie duda, están menos atestiguados que los de Jesucristo. En el fondo, esto es desistir de la dificultad sin destruirla: pero sería más inconcebible que muchos hombres de acuerdo hubiesen hecho ese libro, que no que uno solo haya suministrado el argumento. Nunca los autores judíos hubiesen hallado este tono ni esta moral; y el Evangelio tiene caracteres de verdad tan grandes, tan evidentes, tan perfectamente inimitables que el inventor sería más admirable que el héroe.» Emile, tom. 3.

(2) Ubaldi, Introd. in Sac. Scrip. Introd. Crit. P. II. Sect. I, Cap. II. Art. II.

(2) Curs. Theolog. Introd. in Sac. Script. Tract, II, Cap. III, § I,

tum morali et philosophico, absque ulla erroris mixtione: etiam est certum auctores fere omnes horum librorum fuisse illiteratos: his suppositis, videbitur alicui falsissimum et absurdum asserere, hujusmodi auctores qui tam magna et profunda absque ullo errore scriptis consignarunt, fuisse a Deo inspiratos? Praeterea, Deus jam praeviderat, saltem aliquam revelationis partem scriptis consignandam fore, et judaeos et christianos, tales libros ut divinitus inspiratos habituros esse; cum ergo hoc verissimum sit, est ne falsissimum et absurdum suspicare, et etiam absque ulla dubitatione affirmare, auctores horum librorum fuisse a Deo inspiratos?

Aliquid nobis concedit Ubaldi, his verbis: «Non negamus convenientiam aliquam apparere in hoc, quod libri de rebus tam sanctis ac sublimibus tractantes tanto consensu, tanta styli simplicitate et efficacia, non sine Dei afflatu ac numine conscripti fuerint. Sed *absolute loquendo* hoc exinde demonstrari nequit, sufficiens enim per se fuisset ad haec omnia personalis pietas ac sanctitas scriptorum agiographorum cum debita scientia et diligentia conjuncta.» (1) Unde non *absolute loquendo*, sed *attentis rerum adjunctis*, neque est falsissimum et absurdum, neque improbabile, divinam sacrorum librorum inspirationem ex sanctitate et sublimate doctrinae speculativo-practicae quam continent inferre.

5.^o Demum, aliam demonstrationem, etsi non apodicticam, pro nostra thesi, suppeditat conformitas sacrorum librorum cum progressu in scientis naturalibus. Et revera, cum Physica propie dicta, Palaeontologia, Geologia, Anthropologia, Philologia, aliaeque hujusmodi scientiae adhuc in incunabulis erant, earum investigationes videbantur Sacris libris adversari, quoad ordinem productionis rerum, quoad unitatem specificam hominis, ejus aetatem, aliaeque non minoris momenti. Sed postquam hujusmodi scientiae, continua observatione et studio, ad certum gradum perfectionis evectae sunt, mira apparet conformitas et harmonia, inter ipsas et sacros Libros. Geogonia et Physica hodie demonstrant, primam mundi materiam fuisse informem, lucem ante productionem solis existere potuisse, ut dixit Moyses: Geologia et Palaeontologia exhibent productionem rerum eodem ordine ac Moyses: Anthropogonia, Anthropologia atque

(1) Op. et loc. cit.

Ethnologia, unitatem specificam hominum demonstrant atque aetatem, quam sacri libri humanitati tribuunt, confirmant: ergo vel dicendum, sacros scriptores has omnes scientias calluisse, quod falsissimum est, vel fatendum, eos a Deo inspiratos fuisse. Neque omitti debet, etiam investigationes philologicas, illam Scripturae sententiam «terra autem erat labii unius» confirmare, sicut et inventa archaeologica Assyriae et Aegypti, veritatem historiae biblicae demonstrant.

Sed de his fustius agemus alibi.

Caput IV

96. Capitale principium rationalistarum ut divinam Sacrae Scripturae inspirationem negent. = 97. Quid ordo naturalis et supernaturalis. Hujus postremi ordinis notae characteristicae. = 98. Differentia inter effectum mirabilem et miraculum. Vera miraculi definitio. Conditiones quae ad ipsum requiruntur. Diversae miraculorum species. = 99. Adversarii miraculorum Ostenditur adversus fatalistas possibilitas miraculorum. = 100. Probatur contra Rousseau miraculorum cognoscibilitas. = 101. Demonstratur contra omnes rationalistas, miraculorum realis existentia. = 102. Quaedam objectiones ex fictis gentilium et haeticorum miraculis desumptae, solvuntur.

96. Capitale principium rationalistarum ut divinam Sacrae Scripturae inspirationem rejiciant, est impossibilitas miraculi. Nam rationalistae, vel Deum existere negant, vel Deum mundum gubernare non agnoscunt, vel leges physicas omnino necessarias et immutabiles esse autumant: ad miraculum autem requiritur existentia Dei mundum gubernantis, et insuper contingentia legum physicarum naturae. Cum ergo ipse actus inspirationis sacrorum librorum sit verum miraculum, idcirco rationalistae hanc divinam inspirationem omnino rejiciunt.

Antequam absurdum rationalistarum fundamentum radicitus evellamus, quaedam praenotare oportet.

97. Ut intelligatur quid sit ordo naturalis, in memoriam revocandae sunt notiones naturae et legum physicarum.

Variae sunt acceptiones hujus vocis *naturae*: nam, ut ait sapientissimus Card. Gonzalez, «sumi potest: 1.º pro Deo naturae auctore, qui proinde apud juniores *natura naturans* dici solet: 2.º pro cujusque rei essentia, cum indiscriminatim ac veluti synonyme rei essentiam et naturam dicamus: attamen in

rigore philosophico, *essentia* significat rem, quatenus dicit ordinem ad esse seu existentiam, *natura* vero, quatenus est principium alicujus actus vel operationis: quo sensu solemus dicere naturam angeli esse perfectiorem humana: 3.^o pro universitate seu collectione rerum creatarum; quo sensu dicimus, naturam esse effectum entis intelligentia praediti: 4.^o pro eo ad quod aliquis naturalem ac insitam aptitudinem et inclinationem habet: quo sensu dicimus, peccatum esse contra naturam hominis: 5.^o pro eo quod quis operatur ex necessitate et per determinationem ad unum: quo sensu dicimus, sanguinis circulationem vel nutritionem in homine esse operationem *naturalem*; 6.^o pro eo quod vires et captum humanae rationis superat; quo sensu dicimus, mysteria fidei esse supra naturam humanam sive *super-naturalia*: 7.^o pro nativitate seu conceptione in viventibus: quo sensu primogenitus dicitur praelatus ac superior fratribus ex ipsa natura, et ex Apostolo, nos sumus *natura filii irae*.» (1)

In praesenti quaestione, nomine *naturae* intelligitur; *Ipsa rei essentia vel substantia quatenus est principium propriae operationis*. Quod si de natura universali agatur, sic definiri potest: «*Complexus omnium substantiarum creatarum quatenus idonea sunt principia suarum operationum*.

Lex naturae, est ordo a Deo rebus impositus, vel vis ab essentia rei manans, qua substantia creata similiter operatur in similibus rerum adjunctis; ut ignis ex. gr. semper calefacit, diei nox succedit etc. (2)

Leges physicas naturae existere evidentissimum est. Nam substantiae creatae, constanter determinatos effectus producant in determinatis rerum adjunctis: sic ignis semper calefacit, sol semper illuminat, lapis sibiipsi relictus semper in centrum terrae descendit; successiones annorum, motus astrorum sunt semper uniformes, et sexcenta hujusmodi: jam vero, ut supra dictum est, *lex naturae* nihil est aliud nisi vis determinata, seu ipsa determinatio substantiae creatae, ad similiter agendum in iisdem rerum adjunctis. Praeterea, scientiae physicae nec non hominum consilia, labores et providentia nituntur tum existentiae legum physicarum, tum earum constantiae et immutabilitati: ergo vel dicendum, nullam esse posse scientiam physicam, nu-

(1) Philos. Elemt. Cosmol. Cap. III, Art. II.

(2) Conf. nostrum Compend. Logicae etc. Cosmol. Cap. IV. Art. 1.

illum consilium, providentiam nullam, vel admittendas esse leges physicas naturae.

Neque rationalistae harum legum existentiam negant, sed eas habent ut determinationes fatales et necessarias, absolute et omnino immutabiles.

Hae leges, quae determinatas tantum rerum classes regunt, dicuntur *particulares*, et subjiciuntur aliis amplioribus et universalioribus quae vocantur *generales* et etiam *cosmicae*, et sunt: 1.^a *Lex utilitatis*, quae huic principio nititur: *Natura nihil facit frustra*: 2.^a *Lex continuitatis*, quam S. Thomas sic exprimit: *Supremum intum attingit infimum supremi*: (1) 3.^a *Lex medii ordinarii* quae in hoc consistit quod Deus per se non faciat quae fieri possunt concursu causarum secundarum: 4.^a *Lex unitatis* seu directionis in finem; et demum: 5.^a *Lex constantiae*: Complexus effectuum productorum a causis creatis et etiam a causa prima, juxta praedictas leges generales seu cosmicas et particulares, constituunt *ordinem naturalem*. Ergo si aliquis effectus ab his legibus recedit, neque juxta ipsas fit, pertinet ad ordinem excellentiorem, nempe *supernaturalem*, et dicitur effectus *supernaturalis* seu *miraculum*.

Ergo nota characteristicam ordinis supertanaturalis est miraculum, et etiam prophetia, quamvis haec nihil aliud sit nisi verum miraculum.

98. Miraculum dicitur a *mirando*: haec est tamen differentia inter *miraculum* et *effectum mirabilem*. Effectus mirabilis ille est cujus causa ab aliquo ignoratur: et idcirco, quandoque effectus est mirabilis huic vel illi homini, sed non aliis: sicut eclipsis non videtur mirabilis his qui astrorum leges optime cognoscunt: miraculum vero, quasi *admiratione plenum* est effectus mirabilis omnibus qui ipsum perspiciunt, quatenus ejus causa, nempe Deus, est omnibus occulta, saltem quoad modum agendi in rebus. (2)

Miraculum sic a S. Thoma definitur: «*Id quod fit praeter ordinem communiter servatum in rebus.*» (3) Duo in miraculo considerari possunt, nempe *effectus* productus a causa vires naturae excedente, et *finis* ad quem miraculum ordinatur, scilicet,

(1) Leibnitz hac formula utitur: *Natura non facit saltus*.

(2) Conf. Summ. Theol. S. Thom. P. I. Quaest. CV, Art. VII.

(3) Summ. Cont. Gent. Lib. III, Cap. CI.

manifestatio rei supernaturalis, et quandoque etiam naturalis: sub primo adspectu, miraculum dicitur *virtus*; sub altero appellatur *signum*, et ratione suae excellentiae vocatur *portentum* vel etiam *prodigium* quasi procul aliquid ostendens, ut ait Card. Zigliara. (1)

Conditiones requisitae ad miraculum sunt: 1.^a Ut effectus sit *mirabilis*, non tantum quoad nos, sed etiam in seipso, ex eo quod ejus causa sit omnibus occulta: 2.^a Ut sit *insolitus*, non quia frequenter fieri non possit, sed quia opponitur consueti ordini rerum: sic creatio animae rationalis, procul dubio est effectus mirabilis, non tamen miraculum, quia secundum naturae ordinem fit: nam juxta hunc ordinem, in anima humana, nulla est contraria dispositio ad creationem, nec alia esse potest creationis causa nisi Deus: 3.^a Ut *naturae vires excedat*, ita ut nulla sit causa creata, quae talem effectum producere queat virtute propria, saltem in his rerum adjunctis in quibus a Deo producitur. Quidam addunt hanc conditionem. Ut sit *effectus sensibilis*: cum enim miracula signa sint quae ad aliquid cognoscendum nos ducunt, sensibilia esse oportet, attenta conditione hominis qui a sensibilibus suas ideas abstrahit. Neque tamen haec conditio supponit, miraculum necessario et semper a sensibus percipi debere: Salomon enim optime cognovit, suam scientiam, saltem ratione acquisitionis fuisse miraculosam, neque tamen eam sensibus percepit, cum scientia, ut talis, sit objectum non sensuum sed intellectus.

Triplex est genus miraculorum juxta S. Thomam: «Excedit aliquid, at Angelicus Doctor, facultatem naturae tripliciter: uno modo quantum ad substantiam facti, sicut quod duo corpora sint simul, vel quod sol retrocedat, aut quod corpus humanum glorificetur, quod nullo modo natura facere potest: et ista tenent summum gradum in miraculis. Secundo modo, aliquid excedit facultatem naturae, non quantum ad id quod fit, sed quantum ad id in quo fit, sicut resurrectio mortuorum et illuminatio caecorum et similia. Potest enim natura causare vitam sed non in mortuo, et potest praestare visum sed non caeco: et haec tenent secundum locum in miraculis. Tertio modo excedit aliquid facultatem naturae quantum ad modum et ordinem

(1) Summ. Philos. Cosmol. Lib. III. Cap. II, Art. I; et Propaed. ad Sac. Theol. Lib. II. Cap. X.



faciendi: sicut cum aliquis subito per virtutem divinam a febricitatur, absque curatione et consueto processu naturae in talibus, aut cum aer divina virtute in pluvias densatur, absque naturalibus causis, sicut factum est ad preces Samuelis et Eliae: et hujusmodi tenent infimum locum in miraculis.» (1)

Ergo tria sunt genera miraculorum: 1.^{um} *quoad substantiam* ea nempe in quibus Deus aliquid facit quod natura nullo modo facere potest, ut compenetratio corporum: 2.^{um} *quoad subjectum*, dum Deus aliquid facit quod etiam a natura fieri potest, sed non in tali subjecto, ut mortuorum resurrectio; et demum: 3.^{um} *quoad modum*, illa scilicet, in quibus Deus aliquid facit, quod natura facere potest, sed non tali modo, ut instantanea febris curatio, solo vocis imperio. Angelicus Doctor dividit etiam miracula in *supra, praeter, et contra naturam*. (2) Miracula *supra* et *praeter* naturam, respondent miraculis *quoad substantiam* et *modum*: miraculum *contra naturam* locum habet, quando in re adest contraria dispositio ad ipsum: ex. gr. quod lapis sibi relictus sursum ascendat, aut ignis refrigeret: haec miracula reduci debent ad ea quae dicuntur *quoad subjectum*.

99. Quidam possibilitatem, alii cognoscibilitatem, nonnulli demum realem miraculorum existentiam inficiantur. Athei, deistae, pantheistae, fatalistae et omnes positivistae possibilitatem miraculorum negant: inter ipsos eminent Spinoza, Voltaire, Kant, Wegscheider, Straus, et plures alii; quoad miracula quae in Scripturis, praesertim in Evangeliiis narrantur, aut negant eorum realitatem historicam, vel ea naturaliter explicare contendunt.

Contra hos omnes, sit:

Thesis I *Miracula sunt possibilia*.

Prob. 1.^o Miraculum, saltem juxta nostrum concipiendi modum, consistit in derogatione legum naturae physicae; atqui haec derogatio est possibilis, seu non repugnat neque ex parte ipsarum legum, neque ex parte Dei; ergo miracula in numero possibilium haberi debent.

Prob. Min Non repugnant *ex parte legum*: leges enim naturae sunt contingentes, sicut et res quae ipsis subjiciuntur: neque est contra naturam vel essentiam rei, quod aliquando hujusmodi legibus non subjiciatur; res enim non desinerent

(1) Summ. Theol. P. I. Quaest. CV, Art. VIII.

(2) II Sent. Dist. XVIII, Quaest. I, Art. III.

esse si alio ordine a Deo disponderentur; ergo leges naturae, ut contingentes derogari possunt. (1)

Praeterea Deus hujusmodi legibus derogare potest, seu quod idem est, miraculum non repugnat *ex parte Det.* Nam 1.^o Deus facere potest quidquid non repugnat; sed derogatio legum naturalium non repugnat, ut ostensum est; ergo neque repugnat Deum his legibus derogare: in hac vero derogatione situm est miraculum.

2.^o Deus, sua liberare voluntate, leges naturae constituit; ergo eadem libertate potest has leges mutare; nam, ut ait, S. Thomas: «Ordini causarum secundarum ipse (Deus) non est subjectus, sed talis ordo ei subjicitur, quasi ab eo procedens, non per necessitatem naturae, sed per arbitrium voluntatis; potuisset enim, et alium ordinem rerum instituere. Unde et potest praeter hunc ordinem institutum agere cum voluerit.» (2) Et in eodem Articulo ad 3. ait: «Deus sit rebus certum ordinem indidit, ut tamen sibi reservaret quod ipse aliquando aliter ex causa esset facturus. Unde cum praeter hunc ordinem agit, non mutatur.»

3.^o Deinde lex naturae; vel est norma a Deo libere imposita, vel vis a rei essentia profluens: si primum, mutari a Deo potest; sin alterum, praepediri potest a Deo, ne actu ad agendum prodeat: sic Deus efficere potest quod corpus humanum in igne positum non comburatur, vel substrahendo igni suam cooperationem, sine qua, nulla creatura agere potest; vel communicando corpori proprietatem illam, qua quedam corpora destructivam ignis actionem elidunt.

4.^o «Hisce tribus habitis, ait Angelicus Doctor, scilicet quod Deus sit rebus naturalibus causa essendi, et quod propriam cognitionem et providentiam habeat de unoquoque, et quod non agat ex necessitate naturae; sequitur quod potest praeter cursum naturae aliquid agere in particularibus effectibus, vel quantum ad esse, in quantum aliquam novam formam inducit rebus naturalibus, quam natura inducere non potest, sicut formam gloriae; aut huic materiae, sicut visum caeco; vel quantum ad operationem, in quantum retinet operationes

(1) Quoad contingentiam legum, cons. Urraburu. Inst. Philos. Cosmol. Lib. I. Disp. 4.^a Cap. I.—Etiam Tongiorgi. Inst. Philos. Cosmol. Lib. IV, Cap. I.

(2) Summ. Theol. P. I. Quaest. CV, Art. IV.

rerum naturalium, negando, quo dnatae sunt agere, sicut quod, ignis non comburat, ut patet *Danielis*, cap. III, vel quod aqua non fluat, ut patet de aqua Jordanis; *Yosue*, Cap. V.» (1) Nos verò a theologis et philosophis probata supponimus tria haec, nempe: Deum esse causam essendi omnium rerum, earumque providentiam habere et demum non ex necessitate naturae sed libere agere. (2)

5.º Ipsemet Rousseau, quamvis impius, et miraculorum acerrimus impugnator, interroganti an Deus miracula patrare possit, respondet: «Haec quaestio serio agitata, impia foret, si non esset absurda; et nimium honoris tribueretur ei, qui hanc quaestionem negative resolveret, eum puniendo; melius enim esset vinculis et carceri, eum religari.» (3)

Demum, non est omittendum, hanc quaestionem ad fidem pertinere, et definitam esse a Concilio Vaticano his verbis: «Si quis dixerit, miracula nulla fieri posse, proinde omnes de his narrationes... inter fabulas vel mythos ablegandas esse, anathema sit.» (4)

Sed obijciunt adversarii: 1.º Leges naturae fluunt ab essentiis rerum: atqui rerum essentiae sunt omnino immutabiles; ergo etiam leges.

Resp. Dist. Maj. Leges natura fluunt ex rerum essentiis, *tamquam earum partes essentiales*, Nego; *tamquam proprietates contingentes*, Sub. disting. *dependentem a voluntate Dei*, Conc., *Secus*, Nego.

Utique leges naturae manant ex rerum essentiis, quatenus ipsae essentiae in his vel illis conditionibus a Deo libere constitutae sunt: cum ergo Deus has condiciones possit mutare, potest etiam legibus derogare: sic ignis stupae applicatus ipsam comburit; tamen haec combustio minime locum habebit, si Deus ignem in illis conditionibus constituit in quibus suam activitatem exercere non potest.

2.º Ergo, saltem mediate, leges naturae fluunt a voluntate Dei; atqui voluntas Dei est absolute immutabilis; ergo et leges.

(1) De Potent. Quest. VI, Art. 1.

(2) Hoc argumentum fuse exponit P. Joann. Mir in suo op. *El Milagro*, Lib. I, Cap. III.

(3) Apud P. Gabr. Casanova, *Curs. Philos. Cosmol*, P. I., Cap. II. Art. IV.

(4) De fide, Can. IV.

Resp. Dist. Min. *Quoad actus ipsos voluntatis divinae*, Conc., *quoad terminum actus*, Nego.

In divina voluntate, non sunt plures actus, sed unus tantum simplicissimus et omnino necessarius: sed terminus extrinsecus hujus actus est contigens et mutabilis. Haec enim est differentia inter actum liberum Dei et creaturae; in creaturis enim, cum undequaque sint contingentes, contingentia hujusmodi respicit non modo terminum actus liberi, sed etiam ipsum actum: in Deo autem nihil est contigens, ac proinde ipse actus liber Dei, quoad suum esse est necessarius, et dicitur contigens vel liber, quatenus relationem dicit non necessariam ad creaturas. Ergo quando leges naturae mutantur, voluntas Dei immutabilis manet. Praeterea, Deus ab aeterno, non modo decrevit mundo dare leges, sed etiam quandoque ipsis derogare: ergo mutatio legis, mutationem in Deo non arguit.

100. Rousseau, Hume, alique admissa miraculorum possibilitate, negant tamen miraculi cognoscibilitatem. Contra quos sit:

Thesis II. *Miracula sunt quoad nos cognoscibilia.*

Nam in primis, absurdum est, miraculi possibilitatem agnoscere et ejus cognoscibilitatem negare: cum enim miraculum sit essentialiter signum, si ab hominibus nullo modo cognosci potest erit omnino inutile: inutilia vero sunt impossibilia, quia Deus nihil inutile facere potest: ergo si miraculum juxta Rousseau est possibile, est etiam cognoscibile.

Praeterea ad miraculi cognitionem, duo requiruntur et sufficient: nempe cognitio facti physici, et ejus conformitatis cum lege naturae: atqui utrumque optime cognoscere valemus: et quidem: factum physicum, ex. gr. resurrectionem alicujus mortui, si coram hominibus fiat, ab his ope sensuum externorum, percipi potest. sicut et quodlibet factum physicum praesens: quod si factum praeteritum sit hominum coaevorum auctoritate et testimonio quod infallibile est, certissime constare potest, ut quodlibet aliud factum praeteritum quod ex historia vel traditione constat. Quoad aliud vero, patet; nam experientia jugi ac universali quasdam cognoscimus naturae leges: sic scimus, ignem comburere semper quod combustibile sit; corpus putridum hominis mortui non redire ad vitam: solem ab Oriente ad Occidentalem partem moveri: ergo si facta cognoscimus, ex. gr. resurrectionem mortuorum, etiam cognoscimus haec facta naturae legibus opponi, et ideo esse vera miracula.

Deinde, dantur criteria ad distinguenda vera miracula, tum a falsis, seu hominum fraudibus, tum ab operationibus angelorum:

1.^{um} Si de *facto ipso* miraculoso dubitetur, testimonio hominum seu historia et traditione utendum est: hoc testimonio scimus, miracula quae Salvatori nostro tribuuntur, revera facta fuisse.

2.^{um} Si de *natura facti* agatur, indubium est, miracula saltem *quoad substantiam*, ut stationem solis, non nisi a Deo fieri posse.

3.^{um} Si de miraculis *quoad subjectum* sermo sit, videndum est, num in subjecto, in quo mirus effectus producitur, sit aliqua dispositio, quae ope causae naturalis effectum recipiat: sic, quod visum recipiat ille qui oculis carebat, verum miraculum est, quia nulla adest in subjecto naturalis dispositio ad visum.

4.^{um} Dum agitur de miraculis *quoad modum*, considerandum est, num inter effectum et causam sit aliqua proportio vel non: sic curatio febris ope medicamentorum quae a natura in hunc finem ordinantur, erit profecto, effectus naturalis: sed instantanea febris curatio, imperio tantum vocis, verum miraculum dici potest, cum nulla adsit proportio, inter effectum et causam. Tamen quandoque, haec proportionis carentia, non facile perspicitur, et ideo magna prudentia utendum est in agnoscendo vel negando realem miraculi existentiam:

5.^{um} Si de *causa* effectuum mirabilium sermo sit, haec tria considerare oportet: 1.^{um} Circumstantiam facti: 2.^{um} ejus causam sensibilem; et 3.^{um} finem vel scopum effectus.

1.^{um} Si factum sit inhonestum, veritati ac religioni contrarium, non est miraculum, nec opus Dei, sed diaboli aut hominis perversi.

2.^{um} Si persona quae mirabilia facit sit impia et perversa, ejus opus neque ut divinum neque miraculosum haberi debet: Deus enim, regulariter loquendo, non utitur hujusmodi personis ad miracula patranda.

3.^{um} Si finis operis non sit Dei gloria et confirmatio veritatis, sed e contra opus adhibeatur ut testimonium erroris, non erit opus Dei, nec proinde miraculum. (1)

Objectiones: 1.^a Cum Rousseau: «Saltem nullam certitudinem habere possumus de miraculis, quorum existentia testimonio hominum constat; nam in hoc casu, miraculum vere factum

(1) Plura de his Sanseverino, Elemt. Philos. Christ. Cosmol. Cap. VI, Art. IV et V.

fuisse certitudine tantum morali constat: sed miraculum non contigisse constat certitudine physica, quae in immutabilitate legum naturae fundatur: atqui certitudo physica superat et elidit certitudinem moralem: ergo. (1)

Resp. Neg. Ant.: ad prob. Dist. Maj., Nobis certitudine physica *positiva* constat miracula non extitisse, Nego: Nobis certitudine physica *non constat* miracula illa extitisse, Concedo.

Fundamentum certitudinis physicae est utique constantia et immutabilitas legum naturalium, se *dependenter a testimonio sensuum*: hoc namque testimonio scimus leges physicas naturae non mutari: jam vero, dum de miraculis antiquitatis agitur, nos earum certitudinem physicam non habemus, quia facta ipsa oculis nostris non vidimus: nec talem certitudinem habere fuit nobis possibile, quia hujusmodi certitudo sensibus acquiritur, et nemo sensibus uti potest, dum adhuc non existit.

Unde argumentum propositum est mere negativum, quod sic exprimi posset: *Ego certitudinem physicam de miraculorum existentia non habeo*, seu quod idem est, *Ego miracula antiquitatis non vidi; ergo miracula illa non extiterunt*. Si vero hoc argumentum valeret, omnia omnino facta antiquitatis negari possent.

Nunc autem, certitudo moralis positiva datur de reali existentia miraculorum, nulla vero datur certitudo positiva contraria: ergo miracula extitisse nobis certo constare potest.

2.^a Nemo perspectas habet omnes naturae leges, et idcirco numquam potest asserere factum quod suis oculis perspicit, vel ab aliis fidedignis narratum audit esse verum miraculum, quia fortasse ab ocula ignotaque lege promanat; Quot phaenomena, quae hodie vi caloris, electricitatis aliarumque causarum naturaliter explicantur, videbantur antiquis miraculosa!

Sic huic argumento respondet cl. Tilmannus Pesch: «Similiter posset quis argumentari ita: Ut cognoscerem, actionem

(1) Hume hoc idem argumentum his verbis proponit: «Facilius est mille testes errare aut decipi, quam factum legibus naturalibus repugnans existere: primum moraliter tantum impossibile est et experientiae consonum: secundum vero physice impossibile et experientiae contrarium est. In omni porro miraculo contra unum testem mille insurgunt: sic e. g. si unus testetur mortuum resuscitatum fuisse, milleni testes affirmant mortuos ad vitam haud redire.» Apud Card. Mazzella. *De Relig. et Eccles.* Lisp. I. Art. 10, n. 207.

aliquam revera crimen esse, leges juris civilis ac gentium ad unam omnes scire deberem. Quo certe nihil dici potest ineptius. Itaque ad dijudicandum miraculum satis superque est, si aliquem eventum contra leges naturae certo notas sola Dei invocatione, vel in testimonium alicujus veritatis, quae non sine momento sit, effectum esse videam. Debitis igitur positis conditionibus constare potest, esse miraculum, cum v. c. solo vocis imperio sedatur tempestas, vel subito sanatur qui caecus est genitus, vel cum quis virga elevata mare in aridam quasi mutet.» (1) Ex eo vero quod antiqui quaedam facta naturalia ut miraculosa habuissent, minime infertur *nullum* factum antiquitatis fuisse verum miraculum, sed eos nimis imprudenter egisse.

3.^a Nescimus quo usque se extendant vires angelorum, qui proinde quaedam facere possunt, quae a veris miraculis distinguere impossibile sit.

Resp. Dist. Ant. Ignoramus quousque se extendant angelorum vires *positive*, Concedo: ignoramus quousque aliquando non se extendant, Nego.

Nam quaedam, ut mutua corporum penetratio, praedictio certa futurorum quae a libera hominis voluntate pendent, atque alia hujusmodi, absque dubio superant vires totius naturae creatae, et idcirco soli divinae virtuti tribui possunt ac debent.

Praeterea angeli sive boni, sive mali, quamvis mira et stupenda patrare possint, tamen, si boni sint, nihil mirum facere queunt, nisi in veritatis confirmationem et ad manifestationem gloriae Dei: angeli autem mali, seu daemones, ex divina permissione possunt etiam mira patrare, sed non ita ut nullum adsit signum aut medium, quo optime secernamus effectum diabolicum a vero miraculo: secus homines in errorem necessario inducerentur quod sanctissimae Dei providentiae repugnat.

101. Juxta omnes rationalistas, miraculum adhuc nullum extitit: illa vero quae ut miraculosa habentur, vel sunt mythi et fabulae quae nullam unquam realitatem habuerunt, vel naturaliter explicanda sunt, spoliando facta a circumstantiis supernaturalibus, quae populorum ignorantia et superstitio ipsis factis tribuit. Sic Littre (2), Reimarus, Paulus, Welte, Renan, Strauss etc. Adversus quos sit:

(1) *Inst. Philos. natur.* Lib. IV, Disp. un. Sect. III.

(2) «Hoy día, ait Mr. Littre, que la noción de las ciencias naturales

Thesis III. *Miracula revera dantur.*

Quoad miracula Christi: (a, *miracula in natura*; (b, *in humanitate*: et *in Seipso*. (a, *In natura*. talia fuerunt, pluribus omissis, conversio aquae in vinum in Cana Galilaeae: sedare tempestates solo vocis imperio; super aquas procedere, et hoc ipsum S. Petro concedere: 5000 personarum quinque panibus alere usque ad satietatem etc. (b. *in humanitate*: curavit paralyticum piscinae, caecum a nativitate non semel, quamdam mulierem a fluxu sanguinis, servum centurionis. Daemonia eiecit e quadam muliere et ex homine surdo et muto: ad vitam revocavit filiam Archysynagogi quae adhuc erat in lectulo mortis; filium viduae Nain, qui ferebatur ut eum sepelirent, et Lazarum qui quadriduanus erat in sepulchro. (c. *in Seipso* suam mortem et resurrectionem, atque apostolorum fugam praedixit, quae praedictio completum exitum habuit: et demum propria virtute a mortuis gloriose surrexit, et post resurrectionem suis discipulis apparuit, cum illis conversatus est et manducavit, eos docuit mysteria praecipua fidei, contulit eis potestatem remittendi peccata, et plenus gloria et maiestate ascendit in coelum.

Fuerunt nonnulli rationalistae qui haec omnia negarunt, asserentes historiam Jesu Christi esse ad arbitrium fictam ab aliquo poeta: sed his dicam, historiam huiusmodi fingi non potuisse nisi ab illo qui ipsum Christum superasset, ut optime scribit Rousseau, in illa pulcherrima apologia Christi, quam alibi transcripsimus. Plures rationalistae recentiores, personam Christi ejusque facta realia fuisse admittunt: sed neque in Christi persona, neque in ejusdem factis aliud supernaturale inveniunt, nisi circumstantias, quas pietas, fanatismus et superstitio primorum christianorum personae Christi ejusque factis adjecerunt: his igitur circumstantiis abstractis, hoc involucro sublato, admittenda est Christi persona ejusque facta.

se ha hecho preponderante... echamos fuera el milagro... de aquellas manifestaciones en que parece brillar. Se les dá cabida en aquel terreno especial en que la Medicina se roza con la historia: se las coloca en la categoría de las alteraciones del sistema nervioso, y se las denomina *alucinaciones colectivos* que tienen la nota especial de producir en las muchedumbres fenómenos subjetivos muy semejantes: se les clasifica entre las epidemias mentales, que, lo mismo que las corporales, imprimen en el espíritu el sello de una perturbación informe. Vide Diccion. Apolog. Jaugey, Tom. II. *Milagro.*



Sed si hoc est verum, quomodo explicatur, quod Apostoli qui visa Christi morte omnino defecerant animo, paulo post incredibili animi robore atque fortitudine, in templo, in plateis et in castris praedicarent Christum et hunc crucifixum? Quid Apostoli sperare poterant de hac praedicatione, nisi verbera, carceres et mortem? Quae ergo amentia vel insania Apostolos movere potuit ad haec omnia alacri animo toleranda, si ipsi scivissent Christum non surrexisse, nihilque supernaturale in tota sua vita egisse? Nonne hoc est majus miraculum quam ipsius Christi Domini a mortuis resurrectio?

Et *propagatio* Christianae religionis, omnibus adjunctis perennis, haberi ne debet ut verum miraculum? Utique: nam nova religio est sublimis in doctrina, difficilis quoad virtutes, omnia vitia tunc vigentia damnat, et contra tyrannorum despotismum et multitudinis miseram servitutem, libertatem, aequalitatem et fraternitatem proclamat: in eam insurgunt Imperatores, sacerdotes, philosophi, aristocratia et democratia, et tamen jam Apostolus scribebat ad Rom. (XV, 19) quod repleverit Evangelium Christi ab Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum, et quod Romanorum fides annuntiaretur in universo mundo. De hac universali novae religionis propagatione conqueruntur Plinius et Seneca in suis scriptis; et Tertullianus saeculo III sic alloqui poterat Romanos: «Hesterni sumus, et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castra ipsa, palatium, senatum, forum: sola vobis reliquimus templa.» (1)

Nunc quaeritur, quinam hanc religionem propagaverint, et quae media ad hunc finem habuerint? Propagatores hujus religionis fuerunt, duodecim piscatores, pauperes et illitterati, sine armis, absque pecuniis, omnique humano auxilio destituti: ergo, concludamus cum S. Augustino: vel haec propagatio contigit propter miracula, vel sine miraculis: si primum, religio christiana divina est, et ideo miraculum admitti debet: sin alterum, propagatio hujus religionis est omnium miraculorum maximum. (2)

Sed fortasse, quis dicet, etiam Protestantismum propagatum esse. Respondebo ei nullum in hoc esse miraculum, attenta laxitate doctrinarum Protestantismi et proclivitate hominis in malum. In hac re, miraculum in hoc fuisset, quod Protestan-

(1) Apolog. Cap. 37.

(2) De Civit. Dei. Lib. XXII.

tismus non propagaretur: neque ulla est comparatio inter primas persecutiones Cristianismi et Protestantismi. (1) Aliud miraculum procul dubio est, christianae religionis *conservatio* inter tot adversarios potentes acerrimos, qui religionis christianae etiam nomen abolere conati sunt, ut ex historia patet et hodierna experientia compertum est: et tamen non obstantibus his diabolici laboribus, Ecclesia existit et crescit, et supremum exercet influxum moralem in omnes nationes etiam acatholicas, et suprema rerum moderatores in magnis et difficilimis circumstantiis, tanquam ad fontem lucis accedunt ad Sapientissimum et Sanctissimum Christi Vicarium Leonem XIII.

Demum, ab initio Ecclesiae ad nos usque, plura miracula extitisse sive in martiriis Sanctorum, sive in eorum intercessio-

(1) Ad rem insignis Balmes: «Me dirá V. que el protestantismo cundió y se arraigó á pesar de todos los contratiempos que tuvo que sufrir..... Echemos una ojeada sobre la historia de los primeros tiempos del protestantismo, y veremos que estuvo muy distante de deber sus progresos á las ponderadas persecuciones. En Alemania desde el momento de su aparición, contó de su parte muchos y muy poderosos sostenedores: entre ellos algunos príncipes que lo manifestaron abiertamente, ora protegiendo por varios medios la difusión y arraigo de las nuevas doctrinas, ora apelando á las armas, cuando creyeron llegado el caso de emplear la violencia. Lo que en Alemania, aconteció con poca diferencia en los demás países del continente más ó menos infestados por el protestantismo, sin exceptuar la Francia, donde es bien sabido que á más de los patronos que encontró en las clases elevadas, pudo contar durante mucho tiempo con uno que valia por todos; Enrique IV. No es menester recordar la historia de Enrique VIII de Inglaterra.... A poco de haber nacido el protestantismo ya tenía en su favor grandes ejércitos, poderosos y príncipes, naciones enteras. ¿Qué punto de comparación hay entre la propagación de la llamada reforma y la de la Religión Cristiana? Figurémonos que por espacio de tres siglos hubiera debido luchar con las horribles persecuciones de que fué víctima el cristianismo. ¿Dónde estaría actualmente?... Lo sucedido en España puede darnos idea de la fortaleza del protestantismo para hacer frente á la persecución. Sabido es que á mediados del siglo XVI había alcanzado bastantes prosélitos, siendo tanto más peligrosos, cuanto pertenecían á categorías distintas. La inquisición sostenida y alentada por Felipe II desplegó contra los sectarios el rigor que nadie ignora: al cabo de poco, ya no se hablaba de partidarios de las nuevas doctrinas. ¿Era esta la conducta de los primeros cristianos? ¿Abandonaban tan facilmente el terreno donde habían logrado hacer algunas conquistas? Dígalo el mundo entero: dígalo especialmente esta misma España, regada y fecundada con la sangre de tantos mártires.» *Cartas á un except. Cart. V.*

ne, ex operibus Patrium et historia Ecclesiastica evidenter constat.

Qui miraculorum existentiam negant, videant quomodo Ecclesia procedat in canonizatione et beatificatione sanctorum, et considerent num negari possint miracula quae quotidie et coram pluribus hominibus etiam scientificis et catholicismi hostibus fiunt, ope intercessionis B. M. Virginis de Lourdes.

102. Objiciunt rationalistae plura miracula gentilium et haereticorum: nos de quibusdam tantum agemus; quia de his latius agere ad apologetas pertinet.

Plinius et Herodotus narrant Aristeam jam mortuum de-nuo vixisse: sed Origenes (1) demonstravit falsitatem hujus narrationis, et apud veteres scriptores indicia adsunt ad dubitandum de existentia Aristae: nam secundum diversas opiniones, fuit coaevus Cresso, vel magister Homeri, vel deus Siciliae, vel ipse Apollo etc.

Etiam Plato narrat in sua *Republica*, resurrectionem cujusdam militis qui praelio occisus est: sed tum ipse Plato, tum Plutarcus hanc narrationem fabulosam vocant, et id ipsum ostendit S. Augustinus. (2)

Quoad miracula Mahumetis, haec habet Pascal: «Quilibet homo consequi potest quod consecutus est Mahoma, qui nec prophetias nec miracula fecit... Mahoma fundavit occidendo, Jesus Christus cum suis discipulis moriendo. Denique, ita inter se diversi sunt, ut si Mahoma videbatur humano modo vincere, Christus hoc modo vel sub hac ratione ap pareret victus... Ergo necesse est fateri quod si Mahoma vicit, Christianismus vinci debuit, nisi divina virtus ipsam sustentasset.» (3)

Omnes haeretici, miracula habuisse affirmant, ut montanistae, ariani, monothelitae, lutherani, calvinistae etc; sed hodierna critica jam demonstravit hujusmodi miracula esse falsa. (4) Praeterea, quomodo Deus miracula facere potest in confirmationem doctrinarum haereticarum, quae saepe inter se sunt contrariae?

Constat igitur quod proposuimus, nempe miracula extitisse.

(1) Contra Celsum Lib. II.

(2) De Civit. Dei, Lib. XXII, cap. 18.

(3) Pensées, p. II, art. XIII.

(4) Conf. *El Milagro*. P. Joann. Mir, Lib. III, Cap. VI.

Adhuc plura de his dicturi sumus, cum de systematibus exegeticis rationalistarum sermo sit. (1)

Caput V

103. Quid prophetia. Conditiones ad veram prophetiam. = 104. Num sit verum miraculum. = 105. Utrum solus Deus sit et esse possit ipsius auctor. = 106. Ostenditur possibilitas et existentia prophetiarum. = 107. Quibusdam objectionibus respondetur.

103. Aliud ordinis supernaturalis signum est prophetia, de qua S. Thomas ait: «Dicendum quod prophetia primo et principaliter consistit in cognitione, quia videlicet prophetae cognoscunt ea quae sunt procul et remota ab hominum cognitione.» (2) Igitur prophetia definiri potest: *Praedictio earum quae sunt procul et remota ab hominum cognitione*. Quae definitio videtur valde ambigua, nisi supponatur praedictionem esse *certainam*, remque remotam ab *omnium hominum* cognitione.

Idecirco ad omnem vitandam aequivocationem, sic prophetia definitur: *Praedictio certa et determinata futuri alicujus eventus liberi qui ope causarum naturalium praevideri non potest*. Et ideo, conditiones quae ad prophetiam requiruntur, sunt, 1.^a ut praedictio sit *certa* id est, non dubia, nec conjecturalis: 2.^a Ut sit *determinata*, ita ut non possit cuilibet eventui accommodari, sed e contra, eventus necessario accommodari debeat prophetiae: 3.^a ut sit alicujus eventus *liberi*, qui humanis mediis non nisi conjecturaliter, sed non certo et absque ullo dubio praevideri possit. Quibusdam videtur sufficere, quod futurus eventus sit *contingens*, quamvis non liber: quod tamen, admittendum non esse iudico; nam talis effectus, absolute loquendo, vi causarum naturalium certo praevideri potest. Non tamen nego, quandoque praedictionem hujusmodi eventuum, prophetiam lato sensu dici posse.

104. Prophetia, procul dubio, verum est miraculum, cum sit

(1) Plura de his, op. nuper cit. Lib. I, II et III. = *La Religión vindicada, etc.* P. Mendive, Cap. V. = *Institut. Apologetico-polem.* P. Gatti, Lib. II, Trac. III, Dissert. unica, Cap. III, Art. II, § 1.

(2) Summ. Theol. 2. 2. Quaest CLXXI, Art. 1.

effectus extra ordinem totius naturae creatae positus; et hoc addit miraculo, quod nempe secum affert suae veritatis probationem. Unde Justinus, Irenaeus, Clemens Alex., Origenes, omnesque uno verbo Patres, saepe prophetiis utebantur ad defensionem catholicae doctrinae et ad profligandos gentiles, qui magnam prophetiae vim demonstrativam agnoscebant: ait enim Cicero: «Siquidem ista sic recipiuntur, ut et si divinatio sit, dii sint, et si dii sint, sit divinatio.» (1) et alibi: «Vetus opinio est jam usque ab heroicis ducta temporibus et populi romani et omnium gentium firmata consensu, versari quamdam inter homines divinationem, quam graeci *μαντιαν* appellant, id est praesensionem et scientiam rerum futurarum.» (2) Unde secundum gentiliū opinionem, Tertullianus scribebat: «Idoneum testimonium divinitatis veritas divinationis.» (3) Et Isaias etiam scripserat: «Annuntiate nobis quae ventura sunt in futurum, et sciemus quia dii estis.» (4)

105. Ex dictis jam infertur, auctorem prophetiae esse solum Deum: quam veritatem confirmat cl. Gatti his verbis: «Ac revera, futura cognosci ab hominibus, seposita divina revelatione, possunt vel in suis causis, vel in seipsis: et secundum quod praenosci possunt, possunt etiam praenuntiari. Aut enim effectus futurus procedit necessario ex sua causa; et iste certissime praecognosci et praedici potest a cognoscente causam: sic astronomus legum coelestium motuum gnarus, futuras eclipses praedicit. Aut effectus ex sua causa prodit non quidem ex necessitate et semper, sed in pluribus; ac iste praenosci et praedici potest, et si non omnimode certo, probabiliter tamen et per conjecturas: ita politici aliqua de rerum humanarum eventibus, medici vero de sanitate vel morte praenuntiant. Aut effectus prodit ex causa libera, quae nempe ad utrumlibet se habet, ut est de potentia volitiva: et huiusmodi effectus neque praedici, neque praecognosci potest ex suae causae consideratione. Cum enim istaec inclinationem necessariam ad eum non habeat, praesciri nequit in quamnam partem flexura erit. Itidem nec praedici, nec praecognosci certo potest effectus contingens, qui in paucioribus deficit: licet enim causa, quoad ex se est,

(1) De divin. Lib. I. cap. 5.

(2) Ibid. Lib. I. Cap. 1.

(3) Apolog. cap. 20.

(4) XLI, 23.

necessario eum producat: tamen quia a causa altiori et fortiori, aut a plurium aliarum causarum, etsi inferiorum, concursu multipliciter impediri potest, certitudo de eo erui nequit ex suae causae immediatae contemplatione: valde minus praecognosci potest effectus liber, qui cum sua causa nullam necessariam habet connexionem; quia ipsa ex sui natura se determinat prout vult, sive causae externae, vel internae influant, sive non. Quapropter istiusmodi causae liberae effectus videri nequit ab homine, proinde nec ab ullo intellectu creato, nisi in seipso: unde solummodo cum ipse praesens est, considerari potest; sicut cum quis videt Socratem currere vel ambulare. At cum Deus omne tempus praesens, praeteritum et futurum in sua aeternitate complectatur, ipse videt quae futura sunt, ac si praesentia essent.» (1)

106. Omnes adversarii religionis christianae manibus pedibusque possibilitatem prophetiae evertere conantur. Antiquitus hanc possibilitatem negarunt epicurei et generatim omnes deismi sectatores: recentioribus temporibus Spinoza, sociniani et demum omnes racionalistae; et quamvis aliqui eorum verbo tenus huiusmodi possibilitatem agnoscant, tamen existentiam omnium prophetiarum tum Veteris tum N. Testamenti rejiciunt. Contra quos omnes sint:

Thesis I. *Prophetia est possibilis.*

Nam Deus omnia futura etiam libera cognoscit: primo, quia sua aeternitate praeteritum, praesens et futurum complectitur: secundo, quia ejus intelligentia est infinita, quae non esset si etiam omnia omnino futura non cognosceret. Praeterea omnibus hominibus, qui Dei existentiam agnoscunt, persuasum fuit et est, Deum omnia futura, sive necessaria sive libera cognoscere.

Jam vero, Deus haec futura a se cognita, infinitis modis hominibus manifestare potest: quis enim omnipotentiae ejus limites apponet?

Sed dices: futura libera et contingentia nihil sunt, et idcirco constituere nequeunt objectum divinae cognitionis.—Fateor quidem, huiusmodi futura, nullam in seipsis realitatem habere; sed utique, aliquid sunt ab aeterno in mente divina, in qua omnium omnino rerum ideae continentur.

(1) *Instit. Apologetico-polem.* Lib. II, Tract. III, Dissert. un. Cap. III Art. II. § 2.

Neque dicas cum Epicuro, Socinianis, Wesgscheider aliisque rationalistis, hanc Dei praescientiam, libertatem futurorum tollere. Nam in sententia plurium theologorum, futura non ideo evenient quia a Deo praevisa sunt, sed ideo sunt praevisa et praedicta, quia futura. Juxta alios theologos, nempe thomistas, causa futuritionis omnium futurorum est divina scientia simul cum decreto divinae voluntatis; unde Deus non ideo res novit quia futurae sunt, sed ideo futurae sunt, quia Deus novit. Ad rem S. Augustinus: «Universas creaturas et spirituales et corporales, non quia sunt ideo novit (Deus) sed ideo sunt quia novit.» (1) Et S. Gregorius: «Quaeque sunt, non ab aeternitate ejus (Dei) videntur quia sunt, sed ideo sunt quia videntur.» (2) Haec vero Dei praescientia efficax et causativa futurorum, minime eorum libertatem tollit, sed ipsi se accommodat, ut theologo docent. (3)

Thesis II. *Prophetiae revera dantur.*

Hoc a nemine negatur qui vel leviter legerit Vetus Testamentum, et praesertim libros propheticos. Et quidem; Isaias primis XXXIX capitibus, inter alia, ruinam Israel et captivitatem praedixit, quae praedictio debitum habuit exitum: in secunda parte, nempe a cap. XL ad finem libri, historiam nativitatis Christi ex matre Virgine, ejus passionis et mortis in cruce, ita fidelem texuit, ut merito haec pars prophetiae Isaiae dicatur *Prologus Evangelii* vel etiam *Evangelium anticipatum*. Jeremias diversis in locis sui libri prophetavit ruinam Israel et etiam populorum inimicorum Dei et liberationem a captivitate per Cyrum (XXV); Baruch annuntiavit incarnationem Verbi dicens, (IV, 36-38): «Hic est Deus noster... Post haec in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.» Daniel praedixit (IX) adventum Messiae post septuaginta hebdomadas. Hoc ipsum vaticinati sunt Aghaeus (II, 4) et Malachias (III, 1 et seg.) Plures alias prophetias V. T. brevitatis gratia omittimus.

In Novo Testamento, Christus praedixit se Apostolis ad futurum, ut doctrinam evangelicam stupendis prodigiis confir-

(1) De Trinit., XV, cap. 13.

(2) Lib. XX Moral. cap. 23.

(3) Conf. Billuart, Summ. Sanct. Thom., Tract. de Deo, Dissert. V et VI.

marent, et mira fortitudine et alacri animo ante judaeos et gentiles, ante reges et praesides se offerrent (Marc. XVI, 17; Joann. XIV, 12): vaticinatus est perpetuam Ecclesiae durationem sub regimine successorum Petri, non obstantibus crudelissimis persecutionibus (Matth. XVI, 18; XXIV, 35): annuntiavit etiam excidium Jerosolymae (Matth. XXIII, 36; Marc. XIII, 34) cum omnibus suis adjunctis temporis, personarum, modi atque signorum; quae quidem impleta esse constat ex historia Josephi Flav., Taciti, Plinii et Suetonii. Demum, Christus praedixit, se tertia die ex sepulchro resurrecturum, quae praedictio gloriosum exitum habuit, ut omnibus notum est.

Inter discipulos Christi, varii fuerunt prophetae: sic Agabus praedixit famem magnam futuram in universo orbe terrarum, quae contigit sub Claudio (Act. XI, 28); et etiam alligationem Pauli in Jerusalem (Act. XXI, 10-11): ipse Paulus, cum navigaret in Italiam, praedixit suis comitibus, magna saeviente tempestate, neminem eorum vitam amissurum (Act. XXVII, 22-25) et ita factum est. Joannes in Apocalypsi multa praedixit, quorum nonnulla exitum habuerunt. Ergo realis prophetiarum existentia negari nequit.

107. Objectiones rationalistarum: 1.^a Prophetia in Veteri Testamento fuit ars mere naturalis, ut ex scholis prophetarum patet.

Resp. Fatemur revera in Veteri Testamento scholas prophetarum extitisse, non ad hoc ut artem prophetandi, seu futura praedicendi callerent, sed ut sacros hymnos canerent, novos componerent et ad divini verbi praedicationem instituerentur. Voces enim *propheta* et *prophetare* diversas habent significationes ut alibi ostendemus.

2.^a Omnes prophetiae tum V. tum N. Testamenti, sunt ambiguae, et non determinatae, sicut ad veram prophetiam requiritur.

Resp. Concedimus, quasdam prophetias esse obscuras, et quoad nos quandoque etiam ambiguas, ob specialem formam litterariam prophetiarum, quam non semper bene intelligimus. Sed ex hoc minime sequitur, omnia vaticinia esse obscura et ambigua, sed plura sunt clara et determinata, ut ex exemplis nuper allatis satis apparet.

3.^a Etiam gentiles suos prophetas habuerunt, nempe oracula Jovis in Chaonia, Apollinis in Delo et Delphis, et sibyllae.



Resp. Utique gentiles suos prophetas et oracula habuerunt, sed eorum praedictiones non certae et determinatae, sed conjecturales et ambiguae semper fuerunt, neque eventu confirmatae, nisi casu. Hoc ex ipsis scriptoribus gentilibus constat: sic enim scribit Cicero de celeberrimis oraculis Apollinis: «Sed jam ad te venio sancte Apollo.... tuis enim oraculis Chrysippus totum volumen implevit, partim falsis, ut ego opinor, partim casu veris, ut fit in omni oratione saepissimae, partim flexililoquiis et obscuris, ut interpretes egeat interprete, et sors ipsa referenda sit ad sortes partim ambiguis et quae ad dialecticam deferenda sint.» (1)

De carminibus sibyllarum, sola nobis remanent quae Virgilius recensuit (ecl. IV).

Ultima Cumaei venit jam carminis aetas:
Magnus ab integro saeculorum nascitur ordo.
Jam redit et virgo: redeunt saturnia regna:
Jam nova progenies coelo demittitur alto.

Hic videtur contineri vaticinium de nativitate miraculosa Christi. Quidam Patres putant, Deum aliqua per sibyllas praedixisse, sicut per Balaam et Caiphiam, sed semper in honorem verae religionis. (2)

4.^a cum Rousseau: Ut prophetiae existentiam cognoscamus, tria requiruntur: 1.^{um} ut simus testes oculares prophetiae factae; 2.^{um} ut simus testes oculares adimpletionis prophetiae; et 3.^{um} ut certo sciamus, prophetiam non esse impletam fortuito; atqui haec tria numquam haberi possunt; ergo nullum certum argumentum potest ex prophetia deduci.

Resp. Neg. Maj. Nam ut certi simus de prophetia facta deque ejus impletionem minime est necessarium ut simus testes oculares, cum haec certitudo obtineri possit testimonio aliorum hominum qui vel factam prophetiam, vel ipsius impletionem, vel utrumque suis oculis cognoverunt: secus negandum esset omne testimonium historicum et traditionale, quod purus scepticismus est.

Etiam Neg. Min. argumenti propositi, quia non raro, tres conditiones a Rousseau positae concurrunt: Apostoli enim

(1) De divin. Lib. II, cap. 56.

(2) Cons. Janssens, *Hermeneut. Sacr.* Cap. II.=Perrone, *Prael. Theol. De vera Relig.* Cap. III.

testes oculares tuerunt prophetiae resurrectionis Jesu Christi et etiam impletionis hujus prophetiae: Christum vero fortuito et casu surrexisse nemo sanæ mentis dicet: nam casus et fortuna non nisi in effectibus naturalibus dantur: resurrectio autem Christi effectus fuit supernaturalis. Praeterea, plura vaticinia adeo determinata sunt in praecipuis suis adjunctis, ac ita cum principali objecto connexa, ut omnino repugnet, ea fortuito et casu impleta fuisse: ut est ex. gr. vaticinium Isaiae, circa nativitatem Christi ex matre Virgine, et ejus passionem et mortem in cruce.

Caput VI

108. Ex magnetismi, hypnotismi et spiritismi phaenomenis, potestne aliquid deduci adversum vim demonstrativam et miraculorum et prophetiarum? = 109. Historia magnetismi et hypnotismi. = 110. Diversa phaenomena quæ ope ipsorum obtinentur. = 111. Varia systemata ad ea explicanda. = 112. Nova via quam quidam catholici nostris hisce temporibus inierunt. = 113. De reali existentia phaenomenorum spiritismi. Regulae ad distinguenda vera miracula ab operibus mirabilibus daemonum. = 114. Possessiones diabolicæ et exstases haberi ne debent ut meri morbi naturales? = 115. Prudentia in discernendis miraculis.

108. Omnes impii et rationalistae super tecta praedicant, vim demonstrativam miraculorum et prophetiarum nullam esse, quia hodie hujusmodi effectus obtinentur vi magnetismi, hypnotismi et spiritismi: ergo vel hi effectus sunt etiam miraculosi, vel nullum est miraculum in sensu catholicorum. Nos ostendemus omnia phaenomena magnetismi, hypnotismi et spiritismi intra ambitum naturae creatae contineri, et idcirco nihil commune habere cum miraculis et prophetiis nostrae sacrosantæ Religionis.

109. Antonius Mesmer, medicus et astrologus saeculi XVIII, putavit in mundo existere fluidum quoddam stellare et planetarium, quod sua activitate atque omnia pervadens, omnibus viventibus augmentum et salutem praestat. Anno 1772, P. Hell S. J. et professor astronomiae Universitatis Viennensis, qui magnis rheumae doloribus affligebatur, curationem insperatam obtinuit ope magnetis. Communicavit hujus curarionis notitiam suo amico Mesmer, qui deinceps magnetem adhibuit ad

salutem aegrotis procurandam. Sed cum postea obtinuisset eodem effectus absque magnete, et solummodo contactu manuum, hoc tantum medium in posterum adhibuit. Mesmer magnam nactus est celebritatem, et ex omnibus terrae partibus ad eum confluebant aegroti ad salutem recuperandam: propter quod Mesmer quoddam ingeniosum medium invenit ad plures simul curandos. (1) Multas veras vel fictas curationes fecit, et demum *secretum* suae inventionis vendidit, cuidam societati gallicae, pretio, 400.000 librarum! Hujus laboris continuator fuit marchio de Puysegur, ad quem etiam innumeri aegroti confluebant: unde ad eos facilius curandos, arborem *magnetizavit*, eique alligavit longum funiculum qui secum ferebat *fluidum* marchionis et ad contactum funis omnes statim salutem recuperabant!

Marchio de Puysegur et Faria anno 1815 invenerunt sonambulismum artificialem, et hinc secunda periodus magnetismi, nempe hypnotismus (1), quique definiri potest: «*Ars producendi somnum, et in hoc statu mira phaenomena obtinendi a sonambulo*. Media quibus somnus artificialis producitur diversa sunt: quidam enim adhibent contactus manuum (pases de manos) vel oculorum fixum obtutum: alii ut Puysegur et Faria solo vocis imperio, somnum hypnoticum obtinebant; (2) alii idem

(1) « No pudiendo (Mesmer) por si consagrar sus cuidados á cada cliente en particular, inventó una caja redonda de roble. La caja ó tambor era de bastante magnitud (seis pies de diámetro con uno y medio de alto) y daba lugar á que varias filas de enfermos recibiesen su saludable influjo, porque en la cubierta superior tenia multitud de hierros encorvados y puntiagudos, unos más cortos para que tocasen en ellos los enfermos de primera fila, otros más largos para los de segunda, y si se formaban más filas bastaba que se diesen las manos y pasase por ellos una cuerda, que pasaba también por las dos primeras filas. En la caja y en las garrafas que dentro tenia dispuestas en forma de radios, habia agua *magnetizada*, limaduras de hierro y pedazos de vidrio: con la armadura interior comunicaban los hierros que hacian de conductores, y la cuerda sobredicha... Por un procedimiento complicado *magnetizaba* Mesmer la caja enviándole al centro el fluido que le salia del cuerpo.» P. Mir, *El Milagro*, Lib. III. Cap. X Art. I.

(1) A voce graeca *υπνος*

(2) «El gran secreto del magnetismo era querer. La voluntad del magnetizador estimábase de indispensable necesidad y de prodigiosa eficacia. Sabed querer decia Mesmer á los magnetistas. Y repetia el consejo Puysegur á los suyos. *La voluntad, de vos depende*, clamaba Deleuze, El imperio del magnetizador sobre el magnetizado fué tan absoluto, que el mandato interno, sin expresión externa á veces bastaba » P. Mir. *El Milagro*, loc. cit.

effectum consecuti sunt ope musicae, ut professor Rattone, Donato et qui in Italia praesertim huic arti operam dabant. (1)

110. Phaenomena hypnotismi ad tres classes revocari possunt: 1.^a *physiologica*, ut convulsio et tremor membrorum, catalepsis, insensibilitas, dilatatio et contractio pupillae ac nervorum etc.

2.^a *Cognoscitiva ordinis sensitivi*, ut videre oculis clausis et hoc modo invenire objecta intra arcam ex. gr. recondita: transpositio sensuum, id est, videre ex. gr. per pedes, audire per epigastrium etc.

3.^a *Cognoscitiva ordinis intellectualis*, ut repente loqui variis linguis antea hypnotizato ignotis, cognoscere occulta et absentia, futura contingentia praevidere, non modo *necessaria* sed etiam *libera*: de scientiis et artibus prius ignotis ratiocinari, cogitationes et volitiones aliorum intueri etc.

His addi postest, suggestio ad tempus et in distans; seu impressio, ut ita dicam, voluntatis hypnotizantis in voluntatem hypnotizati, ita ut hypnotizatus necessario voluntatem hypnotizantis agat, vel statim vel tempore designato, et hoc agat sine conscientia vel notitia mandati hypnotizantis.

(1) «Queriendo el distinguido catedrático (Rattone) demostrar los efectos de la música en el hipnotismo, celebró una sesión, no en su casa como de ordinario, sino en la del distinguido maestro Bruto Giannini, con resultados verdaderamente maravillosos. En primer lugar hizo que se sentaran en semicírculo, junto al piano, diez jóvenes vueltos en extremo sensibles por otras pruebas hipnóticas, pero perfectamente sanos y del todo *despiertos*: luego rogó al maestro que tocará una pieza de música patética. A las pocas notas, siete de los diez jóvenes se hallan ya hipnotizados y permanecían allí en las más curiosas y extravagantes actitudes; unos parecían ser presa de gran pesadumbre, otros arrebatados en éxtasis, y los últimos sufriendo tristes y desgarradores pensamientos. En un segundo experimento se tocó música alegre. Los hipnotizados se agitaban convulsos y se retorcían sobre las sillas. Uno de estos á causa de la gran escitación nerviosa se cayó al suelo: Rattone se dió prisa en despertarle por medio del conocido soplo á la cara, pero hasta que el maestro concluyó de tocar estuvo sufriendo las convulsiones hipnóticas.—En el tercer experimento tocó el maestro el *Himno de Garibaldi*. A las primeras notas empezó en la sala una escena de obsesos. Todos estos jóvenes, ya profundamente hipnotizados por aquel himno guerrero, se arrojaban furiosos unos contra otros, estiraban los brazos en ademán de hacer descargas de fusilería... daban puntapiés á diestro y á siniestro contra las piernas de los asistentes; etc.» P. Franco, *El Hipnotismo puesto en moda*. VIII.

III. Varia systemata seu theoriae inventae sunt ad phaenomena praedicta explicanda.

1.º Sunt nonnulli qui realitatem phaenomenorum hypnotismi negant; vel ad summum phaenomena quaedam physiologica ut tremorem membrorum, insensibilitatem et etiam aliqua phaenomena cognoscitiva minoris momenti admittunt: caetera vero, ut praedictionem futurorum, intuitionem internae cogitationis, suggestionem ad tempus et in distans, censent adscribenda esse fraudibus et mendaciis callidorum hominum, qui simplicitate et credulitate stultorum abutuntur. Haec theoria appellatur *negationis*.

2.º Alii realitate phaenomenorum admissa docent eorum causam unicam esse voluntatem hypnotizantis, quae in voluntatem hypnotizati immediate influit.

3.º Alii phaenomena hypnotismi explicare contendunt, ope cujusdam fluidi, quod vel est *electricum*, ut docuit Mesmer, vel *nerveum*, aut juxta alios vitale quod ex corporibus et etiam et anima manat. (1)

4.º Quidam haec phaenomena derivant, vel ab excitatione imagi-

(1) Haec est opinio quam tuetur Rogers ejusque theoriam sic summarit exponit Bizouard cujus verba ita hispanice reddit Card. González: "Este fluido (el *od* ó fluido *odylo*) se desprende de ciertas sustancias y de ciertos lugares, y viene á obrar sobre el sistema nervioso: entre el mundo inorgánico y el organismo humano establece este fluido una simpatía, pero con más facilidad en las personas *sensitivas*: afectadas estas de cierto estado nervioso ejercen una reacción sobre dicho fluido por medio del que se desprende de su centro nervioso. Producense entonces los fenómenos que la religión considera como sobrenaturales; el *od* de las personas sensibles escápase de su cerebro como un dardo, se precipita sobre el *od* del cerebro de otra persona, uniéndose ó combinándose con él. ¿Qué sucede enseguida? El *od* más poderoso domina el alma de aquel cuyo *od* es más débil, se la sujeta magnéticamente, hace ver á esta persona, á pesar de su repugnancia, todo cuanto quiere, le dicta sus voluntades, sus palabras, etc. Esos golpes débiles ó fuertes, que se oyen, esas melodías, esos conciertos que resuenan en una habitación, reconocen por causa este fluido *odylo*, que desprenden los nervios enfermos: el sujeto *sensitivo* lejos de apercibirse de esto, se espanta y atribuye estos fenómenos á los demonios, mientras que la verdadera causa es su propio *od* que se combina con las emanaciones universales ó terrestres. Esta fuerza obra á lo lejos lo mismo que de cerca, es la que hace dar vueltas á una mesa, la suspende en el aire, la pasea en él, apaga las bujías, toca el tambor, veja, hiere, mata, incendia, cura, hace conocer muchas lenguas, etc., Cit. a Card. González, *Philos. Elem. Cosmol.*, Cap. IV, Art. III.

nationis, aut etiam a viribus occultis et latentibus animae humanae.

5.º Theoria *spiritualista* docet, quaedam phaenomena suprasensibilia hypnotismi, ut praedictionem futurorum, et similia non nisi diabolico interventu explicari posse: alia vero simpliciora a causis inferioribus sive externis sive hypnotizato internis posse produci.

Nunc quaeritur quid de hujusmodi theoriis sit dicendum?

Quoad primam, nempe *negationis*, libenter concedimus, non omnia phaenomena quae hypnotismo tribuntur esse vera et realia: et etiam fatemur, maximam fortasse illorum partem, hominum fraudibus esse adscribendam. Tamen temerarium videtur, omnium omnino phaenomenorum majoris momenti existentiam inficiari: cum enim patrata sint coram testibus fide dignis, ipsorum auctoritatem respuere, idem esse ac universali scepticismo viam sternere, nec non ansam praebere hostibus Religionis catholicae, ad miraculorum existentiam negandam, ut diligenter advertit sapientissimus Card. Gonzalez. Unde Debreyne et Perronne, qui theoriae negationis aliquando nomen dederunt, postea re melius perpensa, suam opinionem mutarunt.

Et quidem, plura phaenomena physiologica a medicis in nosocomiis obtineri iisque uti ad operationes chirurgicas, indubium est. (1)

Neque negari potest realia esse plura phaenomena cognoscitiva ordinis sensitivi et intellectualis, quae obtinentur ope suggestionis, qua etiam voluntas hypnotizati necessario subicitur volun-

(1) Inter alia hoc exemplum desumpsi ex P. Conconnier, O. P.: "En el estado del sueño provocado con el fin de obtener lo que yo llamo fenómenos hipnóticos, la vista se hace cada vez más imperfecta, los párpados se cierran, pero conservan durante un periodo de tiempo considerable un *movimiento vibratorio*; en algunos los párpados se cierran con fuerza, como por un espasmo de los músculos orbiculares; los órganos de los sentidos, y sobre todo el olfato, el tacto y el oído, las sensaciones de calor y frío y la sensibilidad en general se exaltan *frecuentemente*: después se embotan hasta tal punto, que van mucho más allá del entorpecimiento del sueño natural: las pupilas se dirigen hacia arriba y hacia dentro: pero al contrario de lo que pasa en el sueño *natural*, están fuertemente *dilatadas* y muy insensibles á la luz: después se contraen, mientras que los ojos permanecen todavía insensibles á la luz: el pulso y la respiración son al principio más lentos que de ordinario, pero en seguida que los músculos se ponen en actividad, se desarrolla una tendencia á la rapidez cataleptiforme, con aceleración del pulso y con una respiración rápida y fatigosa." *El Hipnotismo franco*, por el P. María Tomás Conconnier, O. P., IV.

tanti hypnotizantis (i), ut factis demonstrarunt, coram multis testibus Braid, Donato, Bemhein, Sánchez Herrero alique.

Secunda theoria, quae dicitur voluntatis, etiam rejicienda est: nam etsi non negemus magnam esse vim voluntatis, ad hoc ut in personis huic voluntati moraliter subjectis, phaenomena quaedam appareant quasi involuntaria, tamen nullo modo admittimus influxum immediatum et directum voluntatis unius hominis in voluntatem alterius: hoc solius Dei proprium est. Igitur, voluntas hu-

(1) Ad rem Bellido: "El célebre hipnotista Dr. D. Abdón Sánchez Herrero, consigue en Valladolid de sus clientes catalépticos fenómenos raros de sonambulismo lúcido. Sabemos, con efecto, que en Enero de este año 1888, hizo que su hipnotizado Antonio García Lagar, leyerá correctamente etiquetas farmacéuticas y artículos de la prensa periodista, teniendo los ojos cerrados por completo y hallándose sumido en un sueño profundo. El aludido joven seguía con toda precisión y exactitud las intimaciones de su magnetizador: podía accidentes epilépticos y reumatismo articular, no podía manejar los brazos para ponerse la ropa que vestía, y bastaba, sin embargo, la simple sugestión del Dr. Herrero para que el organismo de Antonio no sufriera dolores en el sueño, y se volviera capaz de llevar á cabo toda clase de actitudes con maravillosa expedición.—El famoso catédrico de Italia, Zanardelli, y el insigne clínico C. Richet, afirman de consuno ser testigos en sus naciones respectivas de que los hipnotizados por ellos leen con facilidad en varias ocasiones, al través de los cuerpos más opacos, y que refieren con prodigiosa maestría los sucesos que durante su catalepsia pasan en países muy distantes." Conf. opus Dr. J. Emman Bellido Carbayo, *Examen del Hipnotismo*, cap. I.—Varia exempla suggestionis affert Dr. Beruheim: "A un enfermo de mi servidumbre que padece una afección cardiaca, digo en su sueño artificial: «Cuando V. despierte, tomará el libro que está sobre la mesa de noche, lo abrirá por la página 56, y encontrará V. en ella su retrato muy bien hecho.» Al despertarse le veo tomar aquel libro. ¿Qué busca V.? le digo.—Una historia que empecé ayer: creo que me quedé en la página 56.—¿Es que hay algo de particular que deba V. encontrar en esa página?—No; la continuación de la historia. Busca la página, y al encontrarla parece que se sorprende ¡Toma! ¿Qué es esto? ¡Pues si es un retrato! Mira algunos instantes, y solamente después se reconoce: Soy yo —A la Sra. G... de mi servidumbre, sugiero en presencia de dos señoras de la ciudad que habían venido á visitar el hospital, que al despertarse no me vería ya, que no me oiría que no estaría yo allí. Despiértase y me busca: inútilmente me pongo ante ella, la grito al oído que estoy allí, y la pellizco la mano, que brusca-mente retira sin averiguar el origen de esta sensación: dicenla las señoras presentes que yo estoy allí, y que la hablo: ella no me ve, y piensa que aquellas señoras intentan burlarse de ella." Vide Diccion. Apolog. Jaugey, *Hipnotismo*. Multa hujusmodi exempla invenies etiam apud P. Concon-
nier, *El Hipnotismo franco*.

mana in subjectum a volente distinctum, non nisi moraliter potest influere: nimirum jussu, consilio aut incitamento: nam ejus operatio est immanens, quae idcirco recipitur in ipso subjecto a quo procedit. Sed influxus moralis exerceri nequit nisi respectu agentis intellectualis, quod alterius jussa et incitamenta percipiat, et sic ad ea implenda se determinet: ergo, saltem cum voluntas hypnotizantis aliquo exteriori signo non manifestatur, inter hypnotizantem et hypnotizatum, datur agens quoddam intellectuale, quod voluntatem hypnotizantis quodammodo penetret, eamque hypnotizato aperiat.

Tertia theoria quae *fluidorum* appellatur, similiter rejici debet, quia est hypothesis prorsus gratuita (1); et insuper, quia repugnat quod fluidum cujuscumque generis sit, phaenomena producat intellectualia et supra sensibilia; hoc enim casu, effectus superaret causam. Non tamen negamus phaenomena quaedam mechanica et etiam physiologica alicui fluido tribui posse.» (2)

Quarta etiam theoria, nempe *imaginationis*, meretur rejici-tur; quia absurdum est imaginationi seu facultati sensitivae tribuere phaenomena cognoscitiva, quae potentiam omnem superant cujuscumque facultatis sensitivae: neque minus ab-

(1) Con. Compend. Theol. Moral. P. Gury. De praecept. Decal. A-ppend. II. De magnetismo.

(2) Contra fluidum Mesmericum sic argumentatur Bellido: «¿Es cierto que el magnetismo produce los efectos maravillosos del sueño cataléptico que Mesmer tenía en sus clientes? Hablando con toda ingenuidad, debemos asegurar al lector, que por más que hemos sometido infinidad de veces á nuestros discípulos de muchos años á la acción de las corrientes magnéticas, nunca hemos observado que aquellos se durmieran por tal procedimiento; antes bien han sentido lijeros hormigueos en las articulaciones huesosas, cuando las corrientes eran débiles, y dolores agudísimos en los nervios sensitivos y conmociones violentas en los músculos, cuando aquellas alcanzaban grande intensidad.... Las mismas experiencias hemos realizado con la botella de Leydem y con el inductor aparato de Mateucci; con las debidas precauciones hemos manejado el carrito Ruhmkorff, experimentando la energía eléctrica de aquel con auxilio de un pequeño modelo, de que disponemos en el gabinete de Física de este Seminario, y nunca hemos observado que de su acción sobre el organismo resulte sueño cata-téptico, antes por el contrario exalta la sensibilidad y contrae tan fuertemente los tejidos, que las personas más hipnóticas lanzan compasivos ayes, y hasta lloran, si pronto no se interrumpe el paso de la corriente al través de su organismo.» Op. cit. Cap. III.



surdum est, in rationali anima vires latentes supponere vi quarum futura praenuntientur, linguae ignotae loquantur, aliaque hujusmodi fiant: haec enim causam et potentiam praeternaturalem exigunt.

Ergo phaenomena supra sensibilia seu cognoscitiva ordinis intellectualis quae hypnotismo vel magnetismo tribuuntur, causa aliqua, supra humanum intellectum posita producuntur. Haec autem causa, vel est 1.º Deus, vel 2.º angeli boni, vel 3.º daemones: atqui 1.º, non est Deus; nam absurdum et blasphemum esset asserere, Deum ad nutum hominis etiam impii, prodigia patrare, quae saepissime passiones pravas accendunt et vitia et errores fovant: 2.º neque sunt angeli boni: hi enim mira et stupenda patrare non possunt nisi ad majorem Dei gloriam et veritatis confirmationem. Ergo phaenomena suprasensibilia hypnotismi daemonibus tribuenda sunt. (1)

Si peritis in arte credendum est, praxis hypnotismi periculis plena est quoad salutem corporalem hominis, quia plerumque laedit organa quae magis necessaria sunt ad vitam hominis; (2) nam quandoque, vel hypnotizatus mortuus est vel magna cum difficultate potuit a somno hypnotico ad statum vigiliae excitari, ut experientia constat.

(1) «Por nuestra parte, ait Bellido, no dudamos en apellidar juego diabólico á las prácticas hipnóticas, porque estamos convencidos de que ellas son el mejor lazo que en la época presente ha podido colocarse á la especie humana para esclavizarla dentro del ambiente mismo que respira pronunciando la palabra libertad » Op. cit. Cap. II.

Huic concordat P. Franco, qui his verbis opus suum absolvit: «Luego la intervención diabólica es la verdadera hipótesis, y más bien el dictamen de la ciencia, que una simple hipótesis, y por lo tanto los sabios cristianos han acertado la ley reguladora del hipnotismo, como los astrónomos acertaron la ley reguladora de la mecánica celeste.» XXXIV, § 3.

(2) Ad rem Bellido: «El profesor Zanardelli, en la página 28 de su obra *La verità sull'ipnotismo*, publicada en Roma el año 1886, se vé en la precisión de confesar, que el hipnotismo origina congestiones sanguíneas en la cabeza y en el corazón, y que produce síncope con ataques convulsivos epilépticos y extingue con frecuencia la voz en los sonámbulos, y trastorna la función respiratoria, y pone en peligro finalmente á las personas de padecer sofocaciones más ó menos lentas. En la pág. 36 de la citada obra asegura el mismo profesor, que estando en Madrid fué llamado á casa del general Echevarria para despertar á una señorita, que se hallaba rígida é inmóvil y con aspecto cadavérico por las maniobras de un magnetizador, que en aquella provocó la hipnosis cataleptica.» Op. cit. Cap. II.

Sed non tantum salus corporis in discrimen committitur, sed etiam et praesertim salus animae, id est aeterna salus; nam si ipsis hypnotizantibus fides adhibenda sit, hypnotizatus caeco et fatali modo facit voluntatem hypnotizantis, sed ita ut sibi imputet actionem etiam perversam, quasi voluntarie a se factam; (1) quod dignitati hominis injuriosissimum est. Praeterea, praxis quae commercium cum diabolo supponit, praxis cujus finis est saepe immoralis et perversus, nequit non esse salutis animae periculis plena. Hinc quod a Sancta Sede, praxis hypnotismi hujus generis damnata sit. (2)

(1) «Se manda al hipnotizado hacer inmediatamente después de despertar, ó bien transcurrido algún tiempo, que se ha prolongado en ocasiones á muchos meses, una acción ridícula ó malvada, y la cumple con toda puntualidad: así es como se ha hecho cometer robos, y aun asesinatos, contra maniquies. El agente obra sin acordarse de que la acción le ha sido sugerida: de ordinario se conduce como un autómatas que procede sin ninguna deliberación; parece que no ve á los testigos que le miran, y que no se hace cargo de lo que su acción contiene de censurable.—He aquí una observación de esta clase referida por M. Liegevis: «Yo debo acusarme de haber intentado hacer matar á M. P..., antiguo magistrado, y esto ¡cosa grave! en presencia del señor comisario central de Nancy, que ha sido testigo del hecho á que quiero referirme. Yo me había provisto de un revolver y de algunos cartuchos. No quería yo que el *sujeto* con quien se venían haciendo experimentos (y al cual tomé á la ventura entre cinco ó seis sonámbulos que se hallaban aquella noche en casa de M. Liebeault) pudiese creer que se trataba de una simple broma. Cargué, pues, uno de los cañones de la pistola y la disparé en el jardín: enseguida volví á entrar, enseñando á los que allí estaban un cartón que la bala acababa de atravesar. En menos de un cuarto de minuto sugiero á la señora G... se dirija hacia M. P. y dispare una vez el revolver. Interrogada inmediatamente por el señor comisario del Centro, confiesa su crimen con entera indiferencia: ha dado muerte al señor P. porque no la agradaba. Puede ser detenida y sabe bien lo que la espera: pero aunque la quiten la vida se irá al otro mundo como su víctima á la cual ve tendida y bañándose en su sangre. Se la pregunta si no he sido yo quien la ha sugerido la idea del homicidio que acaba de efectuar, y afirma que no, que lo ha hecho espontáneamente: que ella es la única culpable, que está resignada con su suerte y sufrirá sin quejarse las consecuencias del acto que ha cometido.» *Diccion. Apolog., Jaugey, Hipnotismo.*

(2) En Decretum Congregationis S. Officii, 28 Julii 1847: «Remoto omni err re, sortilegio, explicita aut implicita daemonis invocatione, usus magnetismi, nempe merus actus adhibendi media physica aliunde licita, non est moraliter vetitus, dummodo non tendant ad finem illicitum aut quomodumque pravam. Applicatio autem principiorum et mediorum pure physicorum ad res et effectus vere supernaturales, ut physice explicentur, non est nisi deceptio omnino illicita ut haereticalis.»

112. P. Maria Thomas Conconnier, O. P., adversus P. Franco aliosque defendit hypnotismum natura sua non esse malum, et praxim hypnotismi aliquando esse licitam, his servatis conditionibus 1.^a Quod nullus adsit interventus diabolicus: 2.^a Quod hypnotizans sit peritus; et 3.^a quod experimentum fiat coram textibus gravibus ad omnem abusum et immoralitatem vitandam.

Quoad aliqua phaenomena, ut transpositionem sensuum, visionem etiam interposito corpore opaco, praevisionem futurorum, intuitionem cogitationis aliorum et alia hujusmodi asserit realitatem horum phaenomenorum adhuc non esse demonstratam; et plures citat auctores. Sed admittit phaenomena suggestionis etiam in distans et ad tempus: narrat innumeras curationes tum corporis tum etiam animae per suggestionem obtentas, ex quibus aliquas ipse Conconnier vidit. Ad hos mirabiles effectus obtinendos suggestionem utuntur etiam medici catholici et piissimii Cum S. Thoma aliisque magnis philosophis examinat naturam somni naturalis, et conditionem sensuum internorum, praesertim vero imaginationis in hoc statu. Nobis in memoriam revocat actus extraordinarios sonambulorum, ut e domo exire, ambulare per plateas, legere scribere et alia hujusmodi quorum realitas omnibus est nota. Statim testimoniis plurium naturalistarum probat, somnum hypnoticum idem esse ac somnum naturalem, et in utroque somno, sensus internos eodem modo se habere: cum ergo somnus hypnoticus producat vi exterioris causae, etiam vi hujus causae influentis in sensus internos, optime concipiuntur ea phaenomena quae ope suggestionis verbalis obtinentur. Et his sententiis concludit suum opus: «*Hipnotismus sincerus* (El hipnotismo franco) *non est ex se diabolicus.--Hypnotismus sincerus non est ex se maleficus.--Hypnotismus sincerus est aliquando licitus.* Hoc opus P. Conconnier in lucem prodiit permissu auctoritatis ecclesiae: et dignum est ut semel atque iterum ab omnibus scientiae amatoribus legatur. (1)

113. Vera ac realis existentia daemonum a nemine catholicorum negari neque in dubium revocari potest, cum sit veritas ad fidem pertinens. Commertium vero extitisse hominum cum daemonibus, nemo ignorat qui Sacram Scripturam praesertim Veteris Testamenti et Historiam Ecclesiasticam legerit. Jam in paradiso daemon locutus est per os serpentis: magi Pharaonis, ut daemonis

(1) Cons. etiam in hac materia, opus cui titulus «*El Hipnotismo á la luz de la Filosofía, de la Fisiología y de la Moral,*» D. Francisci González Herrero.

instrumenta, mira patrarunt coram rege, ut miraculis Moysis vim demonstrativam adimerent. Simonem Magum, ope daemonis fuisse in aera elevatum nemo nescit.

Spiritismus igitur in hoc consistit quod effectus mirabiles obtineantur invocatione malorum spirituum et interventione ipsorum.

Actualis phasis spiritismi initium habuit in Statu New. York, anno 1847, et brevi tempore spiritismus per totam Americam et Europam divulgatus est. (1)

(1) «En Diciembre de 1847, una familia que llevaba por apellido Fox fué á establecerse en el pueblo de Hydesville, en el estado de Nueva York. Algunos días despues de su instalación acontecieron estraños sucesos en la casa que había comprado dicha familia. Sonaban en la pared, sin causa alguna visible, ligeros y vibrantes golpes: mudábanse de su sitio los muebles ó á veces las tres muchachas de la familia sentian el lijero tacto de algo invisible, así como si fuese una mano fria ó un mastin que se restregase contra su cama.—El 31 de Marzo de 1848 por la tarde, la menor de las jóvenes, muchacha de doce años, oyendo aquellos mismos ruidos que ya no la asustaban, hizo castañetear sus dedos y exclamó: *Vamos, Sr. Pezuñas, haced como yo*: instantaneo fué el efecto de sus palabras; el golpeador hizo oir el mismo castañeteo. *Cuenta diez*, le dijo la Sra. Fox: los contó en efecto, y se puso luego á contestar con la más rigurosa exactitud á una porción de preguntas. El golpeador declaró ser Carlos Ryan, asesinado y enterrado en la cueva de aquella casa. Hiciéronse excavaciones, y se encontraron en el sitio indicado algunos huesos y un pedazo de craneo. El espíritu de Carlos Ryan anunció que traía la misión de instruir á los hombres y demostrar la supervivencia del alma despues de la muerte. Se observó que estas manifestaciones iban unidas á la presencia de ciertas personas con quienes tenia gusto en ponerse al habla el espíritu golpeador, y se dió á tales personas el nombre de *mediums*. Despues se dejaron oir aquellos golpes en las mesas. Se observó también que bajo el impulso de varias personas formando cadena, y aun de una persona sola caso de ser esta un buen *medium*, tomaban un movimiento de rotación más ó ménos rápido una mesa, un sombrero, un canastillo, un mueble cualquiera. Otras veces agitábanse los muebles, huían y parecían animados de varias pasiones. Las mesas daban respuestas, ya por medio de golpes en forma convencional, ya por medio de un lapiz unido al pie de las mismas sobre una hoja de papel, y que escribía ó dibujaba segun las peticiones de los asistentes ó los antojos del espíritu.—Mientras que el *medium* está adormecido en una alcoba, vense aparecer cuerpos luminosos, nubecillas, manos que cojen y transportan una flor, una pluma ú otros objetos.—Más aún: los espíritus han aparecido con cuerpo entero envueltos con diversas vestiduras. Han conversado de viva voz con quienes los veían, han permitido á estos que los cogiesen y contasen los movimientos de sus pulsaciones...—Los espíritus que se manifiestan se dan á veces por una persona querida que los presen-

Omnia phaenomena spiritismi, cl. P. Mir ad octo classes revocat.

1.^a Phaenomena contraria *mechanicae*; nempe, mensae que moventur et in aera elewantur absque visibili impulsu.

2.^a Contraria *acusticae*, ut harmoniae, tonitrua absque instrumentis et personis quae ea producant.

3.^a Contraria *meteorologiae*, ut ventus vehemens qui cubiculum invadit, cum extra domum, nullum datur signum perturbationis aeris.

4.^a Contraria *opticae*, ut luminaria, phosphorescentiae, flammae et scintillae, absque mediis ad eorum productionem.

5.^a Contraria *Physiologiae*, sicut repentina refrigeratio et calefactio membrorum absque ulla mutatione temperiei in atmosphaera; somnolentiae obligatae et spontaneae, catalepsis cadaverica, tumores deformes etc. etc. absque proportionali causa; functiones organismi suspensae vel raro modo inversae.

6.^a Contraria *psychologiae*, naturali; ut sonambulismus et exstases magneticae, revelationes rerum procul adstantium, locutio linguarum loquenti ignotarum et discursus scientifici in ore eorum qui harum scientiarum nullam habebant notitiam.

7.^a Contraria *metaphysicae*, ut responsa verbalia data a tabulis, vel scripta ope calami ad pedem mensae ligati.

8.^a Contraria *ordini assueto inter homines*; ut voces quae dicuntur a spiritibus emissae, quaeque accurate interrogationi respondent: phantasmata cum humana figura, quae loquuntur, scribunt, tangunt, osculantur, et repente e medio discedunt, dissipantur ut fumus, denuo apparent etc. (1)

Quoad realitatem horum phaenomenorum, quidam sunt qui omnia fraudibus hominum tribuenda esse putant. Nos ultro fatemur, plura ex his phaenomenis esse exaggerata et etiam omnino falsa. Sed universalis negatio phaenomenorum est, procul dubio, irrationalis; nam quandoque patrata sunt coram testibus fide dignis, nempe hominibus scientificis tum materialistis tum etiam integerrimis catholicis, qui omnes uno ore fatentur, plura phaenomena vera et realia esse. (2)

tes han visto morir, toman su caracter de letra y su lenguaje y muestran hallarse al corriente de cuanto dicha persona ha hecho en vida.» *Diccion. apolog. Jaugey, Espiritismo.*

(1) *El Milagro*, Lib. III, Cap. XI, Art. I.

(2) Ad rem Vacant: «El espiritismo ha sido practicado por muchas

Quoad causam efficientem horum phaenomenorum, materialistae et omnes qui existentiam spirituum negant, omnia spiritismi phaenomena, vi electricae, vel mechanicae vel cuidam fluido, vel demum causae alicui materiali adscribunt: quod quidem admitti nequit, cum causa materialis producere nequeat effectus intellectuales, ut sunt nonnulli effectus spiritismi. Alii putant, causam horum phaenomenorum esse humanam intelligentiam, et praesertim intelligentiam *medii*; sed neque hoc admitti potest, quia plures effectus spiritismi captum humanae intelligentiae superant. Ergo huiusmodi phaenomena tribuenda sunt spiritibus angelicis non bonis sed malis; quia praecipuus finis spiritismi est annihilatio fidei christianae, et in hunc finem generatim ordinantur responsa sive verbalia, sive scripta quae in spiritismo obtinentur. (1)

Quamvis quaedam spiritismi phaenomena stupenda et mirabilia sint, tamen facile a veris miraculis distingui possunt. Nam, in primis, spiritus numquam revocarunt mortuos ad vitam, neque caecis a nativitate visum dederunt. In aliis, non est oblivioni dandum, finem spiritismi esse generatim perversum, et personas quae officio *mediorum* fungunt plerumque esse immorales; quae quidem sufficiunt ut phaenomena spiritismi, quamvis stupenda, cum veris miraculis non confundantur. (2)

personas en América, en Francia, en Alemania y en toda Europa: pero la mayor parte de ellas buscaban en eso la satisfacción de una vana curiosidad, más bien que una nueva religión. A algunos materialistas los ha traído al espiritualismo y algunos sabios distinguidos, como el químico Crookes y el astrónomo Zoellner, han estudiado la mayor parte de los expresados fenómenos de una manera que pone fuera de disputa la realidad de ellos.» *Diccion. apolog. Jaugey. Espiritismo.*

(1) «Nemo sane catholicus, ait Card. Gonzalez, qui vel leviter attigerit responsa doctrinalia et religiosa, sive ope hominum qui *medium* dicuntur, sive per directam scripturam in magnetismo transcendentali habita, vel nimium dubitabit, non angelos, sed daemones adesse ibi, si qui spiritus adsint. Inter plurima haec pauca accipe:—In gravi ephemeride *Le Correspondant* habetur inter alia, ad diem deciman Augusti 1852: «Los espíritus dicen que la Biblia es un tejido de imposturas, que todas las religiones son falsas, que los hombres deben proceder á una partición igual de las propiedades, etc.» In sessione magnetica in Gallia habita anno 1854, spiritus evocatus et interrogatus, huiusmodi responsa dedit:—*El cielo es una cosa imaginaria. = La muerte es nada. = Los malos no serán separados de los buenos. = El alma entra en la inmensidad.*» *Philos. Elemt. Cosmol. Cap. IV.*

(2) Ad rem P. Mir: «Los espiritistas en sus escenas de salón trabajan

114. *Possessio* diabolica in hoc consistit, quod daemon sit revera praesens corpori hominis possessi ipsumque, suo modo, occupet, et imperium habeat super hominem, ita ut daemon sit movens non modo membra corporis sed etiam facultates animae, secundum quod animae facultates a corpore pendent in suis operationibus: et ideo daemon operatur *quasi ab intra*; cum enim tantum agit *ab extra* tentationibus, suggestionibus etc, habetur *obsessio*. Hodierni rationalistae negant omnes possessiones diabolicas, et dicunt eas nihil aliud fuisse, nec esse, nisi morbum quemdam, nempe *neurosym*.

Sed realis existentia harum possessionum constat, in primis, ex Sacra Scriptura praesertim Novi Testamenti, ubi legimus Christum et Apostolos vere et realiter daemonia e corporibus hominum ejecisse. Id ipsum constat ex Patribus primorum saeculorum, quorum catalogum texere res esset interminabilis. (1) Hoc ipsum probant plura decreta Rom. Pontificum, formula exorcismi Ritualis, et unanimis sententia omnium theologorum. Non negamus aliquas possessiones apparentes et falsas extitisse, sed hae regulam confirmant. Hac de causa Ecclesia prudenter se gerit, dum in Rituali ad veram possessionem agnoscendam, varia signa proponit, ut *loqui ignota lingua pluribus verbis: ea quae procul et occulta sunt manifestare* etc. Unde negatio omnium possessionum diabolicarum, negationem involvit non modo Scripturae, sed etiam omnis testimonii historici.

Praeterea medici ipsi fatentur, morbum qui dicitur *neurosys* difficilime et numquam totaliter curari; sed si historiae evangelicae et ecclesiasticae fides adhibenda sit, possessos, a Christo, Apostolis et Sanctis statim, ac solo vocis imperio curabantur, et aegroti sanationem totalem et completam recuperabant.

Quoad *exstases*, rationalistae asserunt, nihil aliud fuisse nec esse nisi effectus cujusdam morbi, nempe *hysteriae*.

por apartar los fieles de la verdadera fé. El fruto de las evocaciones es aconsejar homicidios, enseñar maleficios, sembrar discordias en las familias, causar demencias, esparcir blasfemias contra lo más santo y sagrado. Los medianeros ó son personas de muy dudosa honradez ó tienen por amigos á hombres perversos, ó viven hechizados con la astucia del comun enemigo.» *El Milagro*, Lib. III, Cap. XI.

(1) *El Milagro*, Lib. II, Cap. XI, Art. II.

Mystici triplicem gradum in exstasi distinguunt; in primo gradu, suspenditur exercitium sensuum externorum; in secundo, etiam internorum, non excepta imaginatione; et in tertio, neque ratio agit, sed tantum intelligentia, quae aliquid divinitatis intuitive contemplatur, ita ut exstasticus abstrahatur ab omnibus omnino rebus, et fixus sit in Deo. Hoc privilegium magnam sanctitatem personae supponit, non tamen ex se ipso sufficit, juxta regulas praescriptas a Benedicto XIV sed insuper debent probari alia certa et indubitata miracula. (1)

Praeterea ipse sapientissimus Pontifex, proponit characteres exstasis naturalis et divinae. Nam exstasis dicitur naturalis, cum exstasticus post illum statum paralyticus redditur, magnam membrorum defatigationem sentit, obliviscitur eorum quae in exstasi locum habuerunt, vultus pallescit et animus tristatur, et demum hujusmodi exstases eodem modo contingunt in personis virtuti deditis, quam in caeteris: sed exstasis divina, non nisi personis piis et sanctis conceditur; et post hunc statum, exstasticus gaudet magna laetitia quae in vultu apparet, et novum robur acquirit ad exercitium virtutis.

Certum est, quandoque in personis virtuti et sanctitati addictis, occurrere exstasim naturalem, fortasse ob nimium rigorem in vigiliis ei jejuniis quae organismum debilitant; sed Ecclesia tales exstases non habet ut divinas, neque eas approbant mystici, se corrigendas esse docent earum causas. (2)

115. In miraculis discernendis magna prudentia procedendum est: nam quamvis in quibusdam factis, ut ex. gr. dum ad vocem Christi, Lazarus e sepulchro exivit, existentia miraculi certissima sit, tamen in aliis non ita facile de existentia miraculi judicari potest: igitur omnia perpendenda sunt, nempe conditionem subjecti, causam efficientem ejusque proportionem

(1) De Beatif. et Canon. Lib. III, c. XLIX, n. 5, 7 et 14.

(2) Ad rem S. Teresia, Hispaniae decus atque ornamentum: «Así, aconsejo á las prioras que pongan toda la diligencia posible en quitar estos pasmos tan largos, que no es otra cosa, á mi parecer, sino dar lugar á que se tullan las potencias y sentidos para no hacer lo que su alma les manda; y así la quitan la ganancia que obedeciendo, andando cuidadosos de contentar al Señor, les suelen acarrear. Si atiende que es flaqueza, quitar ayunos y disciplinas (digo los que no son forzosos, y á tiempo puede venir que se puedan todos quitar en buena conciencia), darle oficios para que se distraiga.» *Las Fundaciones*, cap. VI.



cum effectu, causam finalem, media adhibita etc. etc. Haec duo extrema vitanda sunt; scilicet, *nimia credulitas*, quia Religio christiana miraculis falsis non eget; et *exaggerata incredulitas*, quasi nempe Deo laboriosum et difficile sit miracula patrare.



SECTIO III

Hermeneutica.

Caput I.

116. Qui sit Hermeneutica et Exegesis. Necessitas hermeneuticæ ad rectam interpretationem Sacrae Scripturæ sub triplici aspectu quo considerari potest. = 117. Quid sensus. In quo differat a significatione. Quotuplex sit sensus. = 118. Species sensus litteralis. = 119. Num sint loca in Scripturis quæ nullum habent sensum litteralem. = 120. An aliquis Scripturæ locus duplicem habere possit sensum litteralem. = 121. ¿Potestne ex sensu litterali deduci argumentum demonstrativum?

116. *Hermeneutica* et *Exegesis* etymologice idem significant, nempe interpretationem, expositionem seu explicationem alicujus textus vel libri: tamen usus invaluit significandi nomine *exegesis* ipsum opus vel actus interpretandi seu exponendi; et nomine *hermeneuticæ*, complexum regularum et legum quibus subjici et accommodari debet interpres, ut expositio seu interpretatio sit recta et accurata.

Hermeneutica Sacra duo præstare debet, juxta S. Augustinum, scilicet, modum inveniendi quæ intelligenda sunt, et modum proferendi, quæ intellecta sunt. (1)

Sacra Scriptura sub triplici aspectu considerari potest: 1.º Quatenus est liber humana tantum industria conscriptus: 2.º quatenus est liber divinitus inspiratus; et 3.º quatenus ut talis ab Ecclesia proponitur. Sub quolibet aspectu, neccesitas hermeneu-

(1) De Doctrin. Christ., Lib. I, Cap. I.

ticae indubia est. Nam sub primo adspectu, Sacrae Scripturae sunt libri qui facta et mores antiquissimos referunt nationum quae jam non existunt: de regionibus loquuntur quarum physiognomia omnino mutata est, et linguam adhibent mortuam et fere totaliter ignotam; ergo ipse sensus communis postulat, ut interpres illas saltem notitias habeat quas critica exigit ad studium librorum et historiarum antiquarum, atque ideo, se subjiciat quibusdam regulis quae exclusive sumptae, et in ordine ad S. Scripturam constituunt *hermeneutican communem*.

Sub 2.^o adspectu, Sacra Scriptura continet revelationes divinas, plerumque obscurissimas, sive ratione sui, ut mysteria, sive ratione temporis quo futura sunt, ut prophetiae; quae omnia novas et speciales postulant interpretationis regulas, quae simul cum supra dictis regulis constituunt *hermeneuticam protestantium*. Sub 3.^o adspectu, animadvertendum est, Ecclesiam anteriorem esse Scriptura: hanc non integram revelationem continere, et Ecclesiam a Christo constitutam fuisse depositariam, magistram et interpretem totius revelationis; ergo exegeta catholicus, praeter regulas hermeneuticae tum *communis*, tum etiam *protestanticae*, tenetur etiam observare regulas ab Ecclesia Catholica, ad interpretationem Sacrorum Librorum, praescriptas: et haec est *hermeneutica catholica*.

Hermeneuticae necessitatem sic S. Hieronymus ostendit: «Haec a me breviter perstrincta sunt (neque enim epistolaris angustia evagari longius patiebatur) ut intelligeres te Scripturis Sanctis, sine praevio, et monstrante semitam non posse ingredi. Taceo de Grammaticis, Rhetoribus etc. Ad minores artes veniam, et quae non tam lingua quam manu administrantur. Agricolae, cementarii, fabri metallorum, lignorumve caesores, lavarii quoque, et fullones et caeteri, qui variam suppellectilem et vilia opuscula fabricantur, absque doctore esse non possunt quod cupiunt. Quod medicorum est, promittunt medici: tractant fabrilis fabri. Sola Scripturarum ars est, quam sibi omnes passim vindicant. Scribimus indocti doctique poemata passim. Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi praesumunt, lacerant, docent antequam discant. Alii, adducto supercilio, grandia verba trutinantes, inter mulierculas de sacris litteris philosophantur. Alii discunt, pro pudor, a feminis quod viros doceant; et ne parvum hoc sit, quadam facilitate verborum, immo audacia edisserunt aliis, quod ipsi non intelligunt. Taceo de meis similibus: qui

si forte ad Scripturas Sanctas, post saeculares litteras, venerunt; et sermone composito aurem populi mulserint: quidquid dixerint, hoc legem Dei putant: nec scire dignantur, quid Prophetas, quid Apostoli senserint; sed ad sensum suum incongrua aptant testimonia: quasi grande sit et non vitiosissimum docendi genus depravare sententias, et ad voluntatem suam, Scripturam trahere repugnantem.... Puerilia sunt haec, et circulatorum ludo similia, docere quod ignores, immo ut cum stomacho loquar, ne hoc quidem scire quod nescias.» (1)

117. Cum Hermeneuticae scopus sit Scripturarum sensum investigare, idcirco nonnulla dicemus de sensu deque ejus speciebus.

Itaque *sensus* juxta philosophos, est facultas qua anima percipit res corporeas. Quandoque etiam nomine *sensuum* intelligunt ipsa organa sensationis, et sic dicitur *sensus visus, auditus* etc. Juxta ipsos philosophos, saltem aristotelicos, omnis idea efformatur praevia sensatione. Hoc vero est commune sensationi cum idea, quod nempe utraque aliquid designat seu significat: unde nomen *sensus* translatum est etiam ad ipsas ideas, et nihil est aliud quam virtus qua idea aliquid significat. Cum vero ideae exterius verbis praesertim manifestentur, idcirco nomen *sensus* etiam verbis tribuitur.

Attamen, distinguendum est inter *sensum* et *significationem*. Nam *significatio* est aptitudo quam vocabulum ex institutione hominum habet ad unam vel plures ideas et res significandas; sicut vocabulum *pes* aptitudinem habet ad designandum vel quoddam membrum humani corporis, vel etiam quamdam mensuram. *Sensus* vero est id quod vocabulum hic et nunc designat juxta intentionem loquentis vel scribentis.

Ergo *sensus* Sacrae Scripturae est id quod verba scripturaria mediate vel immediate significant juxta intentionem Spiritus Sancti.

Sensus Scripturae dividitur in *litteralem* et *mysticum*. S. Thomas hanc rationem affert hujus divisionis: «Auctor S. Scripturae est Deus, in cujus potestate est, ut non solum voces ad significandum accommodet quod etiam homo facere potest, sed etiam res ipsas. Et ideo, cum in omnibus scientiis voces significant, hoc habet proprium ista scientia quod ipsae res signifi-

(1) Epist. 103 ad Paulin., cap. 6.

catae per voces etiam significant aliquid. Illa ergo prima significatio, qua voces significant res, pertinet ad primum sensum, qui est sensus historicus, vel *litteralis*; illa vero significatio, qua res significatae per voces iterum res alias significant, dicitur sensus *spiritualis* (seu *mysticus*): propter quod sensus spiritualis super litteralem fundatur, et eum supponit.» (1)

Praeter sensum litteralem et mysticum, datur etiam sensus *accommodatitius*, cum nempe verba Scripturae aliis personis vel rebus applicantur: et sensus *consequens*, cum ex aliqua S. Scripturae sententia aliam deducimus. Cum vero hi sensus non semper sint intenti a Spiritu Sancto, ideo, stricte loquendo, dici nequeunt sensus S. Scripturae.

Notissima est illa sensuum enumeratio apud scholasticos:

Littera gesta docet; quid credas *allegoria*;

Moralis quid agas; quo tendas *anagogia*.

Similem enumerationem adhibet S. Augustinus cum dicit, Scripturas exponendas esse «secundum historiam, secundum aitiologiam, secundum analogiam, secundum anagogiam.» (2) Quae verba sic explicat S. Thomas: «Illa tria, historia, aitiologia, analogia, ad unum sensum litteralem pertinent; nam historia est, ut ipse Augustinus exponit, cum simpliciter aliquid exponitur, aitiologia vero, cum dicti causa assignatur, analogia cum veritas unius Scripturae ostenditur veritati alterius non repugnare.» (3)

118. Sensus litteralis, qui etiam dicitur *grammaticus*, et ab aliis *grammatico-historicus*, et a nonnullis *grammatico-logico-historicus*, duplex est, nempe *proprius* et *figuratus* seu *metaphoricus*: «Per voces, ait S. Thomas, significatur aliquid proprie et aliquid figurative. Nec est sensus litteralis ipsa figura, sed id quod est figuratum: non enim cum Scriptura nominat Dei brachium est litteralis sensus quod in Deo sit membrum huiusmodi corporale, sed hic quod per hoc membrum significatur, scilicet virtus operativa.» (4) Ergo sensus litteralis *proprius* habetur, cum verba accipiuntur in sua nativa et ordinaria significatione: cum vero ad aliud significandum ob analogiam aliquam adhibentur, sensus fit *metaphoricus* seu *figuratus*. Sic cum Christus

(1) Summ. Theol. P. I. Quaest. I. art. 10.

(2) De utilit. cred. 3.

(3) Summ. Theol. P. I. Quaest. I. art. 10 ad 2.^{um}

(4) Loc. cit. ad 3.^{um}

de se dicebat «*Ego et Pater unum sumus*,» sensu litterali proprio loquebatur; figurato autem et metaphorico in hoc alio loco: «*Ego sum vitis, vos palmites*.» Ad rem S. Augustinus: «Sciant autem litterati, modis omnibus locutionis, quos grammatici graeco nomine tropos vocant, auctores nostros usos fuisse, et multiplicius atque copiosius, quam possunt existimare et credere, qui nesciunt eos, et in aliis ista didicerunt.» (1)

Sensus litteralis sive proprius sive metaphoricus potest esse, vel propheticus qui vaticinia continet, historicus qui facta refert, tropologicus qui ad mores spectat, allegoricus qui dogmata credenda tradit, et anagogicus qui speranda docet.

119. Quidam scriptores antiqui dixerunt, quaedam esse loca in sacra Scriptura quae nullum habent sensum litteralem. Ita Origenes: «Sic itaque de universa Scriptura statuimus: sensum ubique haberi spiritualem, non autem ubique corporeum.» (2) Praeterea quaedam leguntur in Scriptura quae si ad litteram acciperentur, essent obscena et ridicula: ex. gr. illud Oseae, I, 2: «Dixit Dominus ad Oseae: Vade sume tibi uxorem fornicationum et fac tibi filios fornicationum»: etiam illud Ezcehiel. IV, V, ubi propheta a Deo iubetur certo dierum numero dormire super latus sinistrum, et deinceps super dexterum. Hoc ipsum Cajetanus aliique putarunt de historia formationis primae mulieris et de hujus tentatione per serpentem.

Tamen haec sententia omnino est rejicienda: nam loca Scripturae quae nullum haberent sensum litteralem, neque sensum mysticum habent, nam hic sensus super litteralem fundatur ipsumque supponit, ut ait S. Thomas: ergo admittenda essent loca in Scriptura quae nullum omnino sensum haberent a Spiritu Sancto intentum; quod tum Deo, tum etiam Sacris Scripturis injuriosissimum est.

Nobis consentiunt etiam Patres: ait enim S. Hieronymus: «Spiritualis interpretatio sequi debet ordinem historiae.» (3) S. Augustinus scribit: «Ante omnia tamen hoc in nomine Domini, et admonemus quantum possumus et praecipimus, ut quando auditis exponi sacramentum Scripturae mandantis quae gesta sunt, prius illud factum esse credatis sic gestum

(1) De Doctrin. Christ. Lib. III. Cap. XXIX.

(2) Lib. IV de Principiis 16-19.

(3) Comm. in Cap. XIII, 19, Isa.

quomodo lectum: ne, subtracto fundamento rei gestae, quasi in aere quaeratis aedificare.» (1) Et demum S. Gregorius M. inquit: «In verbis sacri eloquii, fratres charissimi, prius servanda est veritas historiae, postmodum requirenda spiritualis intelligentia allegoriae. Tunc namque allegoriae fructus suaviter capitur cum prius per historiam in veritatis radice solidatur.» (2)

Demum inspiratio non mutat naturam verborum, et auctores inspirati haec verba adhibuerunt, sicut communiter ab hominibus adhiberi solent: sed juxta hunc hominum usum, verba litteraliter accepta semper aliquid significant, nisi homines qui verbis utuntur amentes sint.

Quoad Origenem, dicendum est, ipsum nomine sensus *corporei* intellexisse sensum litteralem *proprium*; et hoc modo verum est ac certum, plura esse S. Scripturae loca quae in hoc sensu accipienda non sunt.

Quoad locum citatum Oseae, dicimus prophetico ac ideo metaphorico sensu accipiendum esse; et etiamsi ad litteram acciperetur, nihil in eo obscenum invenitur; nam propheta a Deo jubetur mulierem peccatricem legitimo matrimonio sibi conjugere, et idcirco a peccati servitute liberare. Quoad illa quae leguntur apud Ezechielem, non desunt qui cum S. Hieronymo existiment, haec non rêvera sed per somnium. et in visione contigisse.

120. Nunc quaeritur, utrum in Sacra Scriptura sint loca quae duplicem vel multiplicem sensum habeant litteralem; affirmativam sententiam tenent Salmeron, Vazquez, Serarius, Bellarminus, Cornélius à Lapide, Sylvius, Bonfrerius, Bannes, Gonet, Billuart, Janssens aliique, quamvis non omnes hanc sententiam ut certam, sed aliqui eam ut probabilem tantum defendant.

Veritatem hujus sententiae probant, 1.^o ex Sacra Scriptura; nam haec verba Psal. II, 7 «*Ego hodie genui te*, triplici sensu litterali ab Apostolo accipiuntur; nam scribens ad Hebr. I, 5, ea intelligit de aeterna Christi generatione; iterum ad Hebr. V, 5, ea interpretatur de aeterno Christi sacerdotio, et demum Act. XII, 22 et seqq. ea applicat resurrectioni Christi. Praeterea ille locus Isaiae LIII, 4; «*Vere languores nostros ipse*

(1) De tentat. Abrah. sermo. 2, n. 7.

(2) Lib. II in Evang. Hom. 40.

tulit, et dolores nostros ipse portavit» Petrus, Epist. I, Cap. II, 24, intelligit de morbis spiritualibus; Matthaeus vero cap. VIII, 16, de morbis corporalibus. Demum illa verba Caiphae, Joan. XI, 50: «Expedi vobis ut unus homo moriatur pro populo» duplicem videntur habere sensum litteralem, alterum a Caipha, alterum a Spiritu Sacto intentum. (1)


2.^o Probatur eadem sententia testimoniis Patrum: S. Hieronymus loquens de Apocalypsi ait: «In singulis verbis multiplices latent intelligentiae.» (2) et alio in loco: «Singuli sermones, syllabae, apices, puncta in divinis scripturis plena sunt sensibus.» (3) Et S. Augustinus: «Ita cum alius dixerit hoc sentit quod ego, et alius immo illud quod ego, religiosius me arbitror dicere: cur non utrumque potius si utrumque verum est? et si quid tertium, et si quid quartum, et si quid omnino aliud verum quisquam in his verbis videt, cur non illa omnia vidisse credatur, per quem unus Deus sacras litteras vera et diversa visuris multorum sensibus temperavit?» (4) Et Angelicus Doctor: «Ne quis ita Scripturam ad unum sensum cogere velit, quod alios sensus, qui in se veritatem continent et possunt, salva circumstantia litterae, Scripturae aptari, penitus excludantur. Hoc enim ad dignitatem divinae Scripturae pertinet, ut sub una littera multos sensus contineat, ut sic et diversis intellectibus hominum conveniat, et unusquisque miretur se in divina Scriptura posse invenire veritatem, quam mente conceperit, et per hoc etiam contra infideles facilius defendatur, dum

(1) Ad rem Jansseus: «Cum porro eadem vox, idem signum duo simul indicare possit, consuetudine humana vocibus et signis quandoque plures significationes tribuente, liquet possibile esse ut eodem in vaticinio, seu in eodem textu duplex detur sensus, et quidem litteralis. Profecto campanae sonitus et hostium adventum, et incendium simul significare potest, si hostes et incendium simul adsunt, quemadmodum vox hebraica *nephilim* quae gigantum et depraedatorem significat, exprimere posset utrumque simul, si gigas simul depraedator esset.—Porro duplicem sensum litteralem quandoque in vaticiniis esse patet, quod prophetae aliquando sensum vaticiniorum a Deo illis inspiratorum haud intellexerint: proinde alia cogitaverint quam Deus intendebat. Deum autem hoc in casu sermonem prophetae tali modo conformasse, ut praeter sensum, quem propheta in mente habebat, alium sublimiorem sensum exprimeret, nemo inficias ibit.» *Hermeut. Sacra*, Cap V, Sect. I, § III.

(2) Epist ad Paulin.

(3) Comm. in Ephes. III, 6.

(4) De Doctr. Christ. Lib. III. Cap. 27.



si aliquid, quod quis ex S. Scriptura velit intelligere, falsaun apparuerit, ad alium ejus sensum possit haberi recursus. Unde non est incredibile, Moysi et aliis S. Scripturae auctoribus hoc divinitus esse concessum, ut diversa vera, quae homines possent intelligere, ipsi cognoscerent, et ea sub una serie litterae designarent, ut sic quilibet eorum sit sensus auctoris. Unde si etiam aliqua vera ab expositoribus S. Scripturae litterae aptentur, quae auctor non intelligit, non est dubium, quin Spiritus Sanctus intellexerit, qui est principalis auctor divinae Scripturae. Unde omnis veritas quae, salva litterae circumstantia, potest divinae Scripturae aptari, est ejus sensus.» (1) Et alibi ipse Angelicus Doctor: «Quia sensus litteralis est, quem auctor intendit, non est inconveniens, ut dicit Augustinus, si etiam secundum litteralem sensum in una littera S. Scripturae plures sint sensus.» (2)

His testimoniis accedit gravissima auctoritas Patrum Conc. Lateran. IV, Cap. *Firmiter* De Summa Trinitate, ubi de creatione mundi sermo est: nam, inquit Cornelius a Lapide: «Concilium ex illo Gen. I: In principio creavit Deus coelum et terram, juxta *duos sensus litterales* duas concludit veritates, scilicet quod mundus incoeperit, quasi *in principio* significet principium temporis, et quod nihil ante mundum sit productus, quasi *in principio* idem sit quod *ante omnia*.»

Haec tamen sententia generatim rejicitur: nam cl. Patrizi ait: «Vocum ac locutionum natura in Scriptura alia non est ac in caeteris libris; quare ergo aut quomodo alia erit in Bibliis natura sensus litteralis, qui ex ipsis dumtaxat vocibus et locutionibus exstat?» (3) Nunc vero juxta communem et ordinarium usum vocabulorum, haec ab hominibus non nisi in uno sensu litterali accipiuntur; secus enim actum esset de humana societate.

Praeterea ut optime argumentatur Cornely, «Regulae hermeneuticae ab omnibus interpretibus et ab ipso S. Augustino eum in finem traduntur ut earum ope genuinus sensus eruatur: jam vero si quis regulis his rite et debito modo adhibitis ad unum sensum certum pervenerit, a regulis ipsis aberrare debe-

(1) De Ponten. Q. IV. art. 1.

(2) Summ. Theol. P. I. Q. 1. art. 10.

(3) Apud Cornely. Introd. Gener. Dissert. III, Sect. I. Cap. I.

ret, si alterum praeter eum investigare vellet. Ad quid igitur regulae illae inserviunt?» (1)

Demum argumenta adversarium nihil evincunt. Nam illa verba *Ego hodie genui te*, Paulus litteraliter accipit cum scribit ad Hebraeos, ut probet excellentiam Christi super Angelos; sed aliis in locis ea accipit non litteraliter sed in sensu consequenti, quatenus Christus ob suam aeternam generationem erat a Patre glorificandus aeterno sacerdotio et gloriosa resurrectione. Idem dicendum de loco Isaiae ab adversariis citato: nam S. Petrus ipsum sumit in sensu litterali, et S. Matthaeus in sensu consequenti: nam sicut peccata nostra in cruce portavit et expiavit, sic consequenter et morbos corporales qui a peccato procedunt. Postremo, verba Caiphae duplicem habent sensum litteralem, sed non utrumque a Spiritu Sancto intentum, de quo tantum est quaestio.

Quoad Patres et Theologos generatim dicendum est, eos loqui de multiplicitate sensus in genere, sed non de multiplicitate sensus litteralis; et hoc verum est, quia unus Scripturae locus duplicem potest habere sensum, alterum litteralem, alterum mysticum.

Quoad S. Augustinum quidam dicunt, ipsum *possibilitatem* multiplicis sensus litteralis admisisse, non autem *realem existentiam*.

Quoad S. Thomam, animadvertendum est, ipsum nomine *sensus litteralis* intelligere *quem auctor intendit*, qua definitione etiam sensus mysticus comprehenditur. (2)

121. Ex sensu litterali argumenta demonstrativa posse deduci nemo negat; nam est sensus fundamentalis: unde S. Augustinus monet, verba Sacrae Scripturae litteraliter accipienda esse, modo nullum sequatur absurdum: quia verba secundum nativam suam significationem accipienda sunt, si non adsit motivum quo ea aliter intelligi debeant.

(1) Loc. cit.

(2) Conf. Ubaldi, Introd. Exeg. P. I, Cap. II, Thes. II.

Caput II

122. Sensus mysticus seu typicus, quid sit. An vere hic sensus detur in Sacris Scripturis. = 123. Utrum in omnibus locis Veteris Testamenti, typi inveniantur. = 124. Quando ex sensu typico possit deduci argumentum demonstrativum. = 125 Utrum Novum Testamentum sensum typicum admittat. = 126. Quid sensus accommodatitius. Duplex accommodationis genus. Textus Scripturae accommodare licet. Cautiones minime negligendae. = 127. Quid sensus consequens. Num detur in Scripturis. Utilitas hujus sensus.

122. Sensus *mysticus* seu *typicus* vel etiam *spiritualis* est qui eruitur non immediate ex verbis Sacrae Scripturae, sed ex rebus. Haec est igitur differentia inter sensum litteralem et mysticum: sensus litteralis immediate a verbis procedit; sensus autem mysticus semper est immediate a rebus, et a verbis non nisi mediate: ex quo infertur, sensum spirituales supponere sensum litteralem ut fundamentum. Personae et res quae alias res et personas significant, dicuntur *exemplaria*, *umbrae*, *allegoriae* et saepius *typi*: personae autem et res significatae vocantur *antitypi*.

Tres distinguuntur typorum classes: nempe, *prophetici* seu *allegorici* qui vel ipsum Messiam, vel res et personas ad regnum Messianicum pertinentes significant: sic Adam, Melchisedech et agnus paschalis sunt typi Christi; arca Noe est typus Ecclesiae: *anagogici* qui vitam futuram designant; sic juxta Cassianum, Jerusalem est typus regni coelestis; et *tropologici*, qui morum regulas indicant.

Quoad existentiam typorum seu sensus typici in Veteri Testamento, antiqui protestantes cum catholicis affirmativam sententiam tenuerunt usque ad saeculum XVIII. Sed ab hac epocha, protestantes omnes qui rationalismi labe infecti sunt, omnes typos et praesertim propheticos negant: inter hos eminent G. L. Bauer. Apud catholicos Galliae saeculi XVIII, nonnulli docuerunt omnia vel fere omnia V. Testamenti loca sensum typicum habere: et hi dicuntur *figuristae*. Ut horum excessibus se opponerent, alii in contrarium extremum descenderunt, dicentes illa tantum V. T. loca sensum typicum habere, quae ut talia ab scriptoribus N. T. proponuntur: et hi vocantur *antifiguristae*.

Nos igitur mediam sequentes viam, dicimus, primo, in Veteri Testamento veros dari typos etiam propheticos, ideoque plurima

hujus Testamenti loca sensum typicum seu mysticum habere. Quae enim sensu litterali dicta sunt de agno paschali (Exod., XII, 46; Num. IX, 2), ea in Christo impleta esse docet Joannes (XIX, 36); juxta Apostolum (Gal., IV, 22, 23) Sara et Agar uxores Abrahami sunt typi duorum Testamentorum: Adam est typus Christi (Rom. V. 14) et etiam Melchisedech et Salomon (Hebr. VII, 3, et I, 5); juxta Petrum (Epist. I, cap. III, 20, 21) aquae diluvii et Arca Noe sunt typi baptismi, juxta S. Matthaeum (II, 15), populus judaeus ex Aegypto rediens, typus est Christi ex Aegypto revertentis.

«Alias Hagiographi, inquit Ubaldi, implicite demonstrant mysticos sensus cum absolute affirmant aliquam rem vel personam N. T. fuisse praedictam in quodam loco V. T. qui tamen locus litteraliter acceptus illam rem vel personam minime respicit. Nisi enim dicere velimus Christum et Apostolos errasse in Scripturis citandis, quod nefas est, tenendum omnino erit in locis illis mystice haec praenuntiata fuisse. En quaedam exempla: Christus Dominus in duplici apparitione quam refert Lucas XXIV, 26 et seqq. diserte affirmat suam passionem et resurrectionem praedictam fuisse in *Lege Moysi, et Prophetis et Psalmis*. Jam vero de Prophetis et Psalmis nulla quaestio esse potest: pleni enim sunt apertissimis et splendidis vaticiniis de Christi passione, morte ac resurrectione juxta litteralem verborum sensum. Sed in *Lege Moysi* ubi, quaeso haec leguntur? nec unum enim verbum in Pentateucho occurrit quod ad Christi passionem et mortem pertineat. Necesse ergo est admittere Moysem secundum mysticum sensum haec praenuntiasse.» (1)

Haec est etiam omnium Patrum sententia. Inter alios S. Augustinus loquens de sacrificio Missae ait: «Hujus veri sacrificii multiplicia variaque signa erant sacrificia prisca sanctorum, dum hoc unum per multa figuraretur, tamquam verbis multis res una diceretur, ut sine fastidio multum commendaretur.» (2) S. Hieronymus multis exemplis typos Veteris Testamenti exponit. (3)

Id ipsum evincit antiqua Synagoga, quae, fatente ipso Bauer, existentiam sensus typici in Veteri T. agnovit: et quidem, non aliter intelligitur quod Evangelistae, ad Christi Messianicam di-

(1) Introd. exeg. P. I., cap. II.

(2) De Civit. Dei, I, X, 20.

(3) Epist. ad Paulin.

gnitatem probandam, tam frequenter typos Veteris Testamenti in medium proferant, nisi admittatur judaeos hujusmodi sensum typicum agnovisse. (1)

123. Nunc quaeritur, utrum omnia Veteris Testamentis loca sensum typicum habeant. Affirmativam tenent sententiam *figuristae*: sed eam S. Augustinus rejicit his verbis: «Mihi autem sicut multum videntur errare, qui nullas res gestas in eo genere litterarum aliquid aliud praeter id quod eo modo gestae sunt, significare arbitrentur, ita multum audere qui prorsus ibi omnia significationibus allegoricis involuta esse contendunt.» (2) Eandem sententiam tuetur S. Hieronymus his verbis: «Qui ex parte typi fuerunt domini Salvatoris non omnia quae fecisse narrantur in typo ejus fuisse credendum est.» (3)

Figuristae ad defendendam suam sententiam, haec loca Scripturae adducunt: «Haec omnia in figura contingebant illis» (I. Cor. X, 1); et «Quoniam necesse est impleri *omnia* quae scripta sunt in Lege Moysi et Prophetis et Psalmis de me.» (Luc. XXIV, 44.)

Sed haec testimonia nihil probant; nam ad primum quod attinet, Apostolus non dicit absolute *omnia* in figuris contingisse, sed *haec omnia*, scilicet ea quae antea commemoraverat. Neque in alio testimonio dicitur *omnia quae in Lege Moysi et Prophetis et Psalmis continentur* de Christo scripta esse; sed *omnia quae de ipso scripta erant*, adimpleri oportere.

Praeterea ut optime argumentatur eruditus Caminero: «Rationi etiam repugnare videtur ut omnia quae in V. T. plurima domestica, politica, bellica, poetica, bene vel male facta ab hebraeis et extraneis, eventus naturales, a Deo auctore SS. Scripturarum directa sint ad aliquid typicum et propheticum significandum; praesertim cum haec significatio nemini pateat, ac nullam proinde utilitatem praeseferat. Denique periculosa sententia haec est, quatenus divinam Scripturam infinitis cavillationibus et deliris interpretationibus exponit, ac neglecto facile sensu litterali, risum et subsannationes incredulorum provocat, dum prophetica mysteria quaerit v. g. in praeceptis decalogi, in puteo Isaaci, in asinis Saulis, in pondere ferri hastae

(1) Plura apud Ubaldi, loc. sup. cit.

(2) De Civit. Dei. I, XVI, 2.

(3) Com. in Os. XI.

Goliath, aut capillorum Absalonis, in cane Tobiae, in Miphibosetho claudicante aliisque sexcentis.» (1)

124. Sensus mysticus seu typicus vim habet demonstrativam modo probetur locum aliquem hoc sensu accipiendum esse: tunc enim sensus est a Spiritu Sancto intentus sicut et sensus litteralis: sic ex. gr. ex Matth. XII, 40, et Joann. III, 14, scimus Jonam et serpentem aeneum repraesentasse Christum; ergo ex locis allegatis Jonae et Numerorum deduci possunt Christi resurrectio et mors in cruce.

Adversarii citant auctoritates S. Hieronymi et S. Thomae, qui tantum ex sensu litterali dicunt deduci posse argumenta demonstrativa. Sed ut jam diximus, hi Patres aliqui, nomine sensus litteralis saepissime intelligunt sensum a Spiritu Sancto intentum, sub quo nomine comprehenditur etiam sensus typicus.

In hac materia non defuerunt theologi, qui sensum mysticum litterali praeferendum esse existimarent, eo quod Patres, non raro, sensum mysticum dicant altiolem, illumque tamquam medullam et fructum cortici et radici litteralis opponant. Hoc tamen absolute dici nequit; sed potius omnibus consideratis, sensui mystico praeferendus est litteralis, tum quia est fundamentum sensus mystici, tum quia ad res fidei demonstrandas revincendosque errores majorem vim habet, tum demum, quia potior Scripturae pars, nempe Novum Testamentum, litterali sensu circa res praestantissimas, sublimissimas et divinisimas versatur, ut dicit Bonfrerius.

125. Nunc quaeritur, utrum etiam Novum Testamentum typos contineat sensumque mysticum admittat. Quidam interpretes negant, quia adveniente Christo, qui finis est Legis, omnes figurae cessarunt. Saltem omnes uno ore fatentur, in N. T. typos messianicos non dari.

Sed plures interpretes, sensum mysticum, saltem commemorativum, tropologicum et anagogicum in N. T. existere probant: 1.^o testimoniis ex ipso N. Testamento: nam baptismus a Christo institutus, non modo internam animae purificationem, sed etiam Christi sepulturam et resurrectionem significat, juxta Apostolum (Rom. VI, 3); et (Petrus Ep. I. Cap. III, 21.) Matrimonium est typus spiritualis connubii Christi cum Ecclesia, juxta Paulum (Ephes. V, 32.)

(1) Man. Isagog. Sect. V, Cap. III.

2.º Ex Patrum testimoniis: ait enim S. Agustinus: «Ea quae fecit Dominus noster Jesus Christus stupenda ac miranda et opera et verba sunt: opera quia facta sunt, verba quia signa sunt: si ergo quid significet hoc quod factum est cogitemus, genus humanum est iste caecus etc.» (1) Etiam S. Gregorius M., Ambrosius, Isidorus Hisp., Beda et recentiores scriptores et theologi in pluribus Scripturae locis rationem typi agnoverunt: sic apud ipsos, navicula Petri est typus Ecclesiae, et fluctus eam hinc et inde jactantes sunt ejus persecutiones: maledictio in ficulneam infructuosam significat futuram synagogae abolitionem et populi judaici reprobationem: duplex Petri piscatio figura est duplicis status Ecclesiae militantis et triumphantis: mulier illa de turba quae Christum acclamavit est typus Ecclesiae, etc. Tamen cavendum est, ne ea quae Christus exemplo suo nobis imitanda proposuit, in typos convertamus, ut notat Cornely: aliud enim est exemplum imitandum esse, aliud esse typum.

126. Sensus habetur *accommodatus* seu *accommodatitius* cum verba Scripturae quibusdam rebus vel personis applicantur, propter similitudinem et analogiam cum illis rebus vel personis quibus in Sacra Scriptura applicata fuere juxta intentionem Spiritus Sancti. Unde hic sensus stricte loquendo, dici nequit *sensus Scripturae* quia non est a Spiritu Sancto intentus. Plura de his accommodationibus habemus exempla in historia: ex. gr. dum Pius V de Joanne Austriaco dixit: «Fuit homo missus a Deo cui nomen erat Joannes»: et, ut dum S. Thomae a Villanova patientia Job tribuitur.

Duplex datur accommodatio, nempe *realis* et *verbalis*: prima locum habet, quando id quod in Scriptura de quibusdam personis vel rebus dicitur, etiam in aliis personis vel rebus adimpletur: sic ea quae in Scripturis leguntur de Patriarchis aliisque sanctis Veteris Testamenti, Ecclesia in officio divino applicat Confessoribus et Martyribus Novi Testamenti.

Secunda accommodationis species habetur, quando similitudo seu analogia non est in rebus, sed in verbis tantum: ita ut verbis tribuatur significatio omnino distincta ab ea quam habent in Scriptura juxta mentem Spiritus Sancti; ut si quis ad aliquem hominem a perversorum hominum consuetudine

(1) Tract. 44 in Joann.

retrahendum, his verbis Psal. XVII, 27, eum moneret: «Cum sancto sanctus eris, et cum perverso perverteris», quae juxta intentionem Spiritus Sancti de Deo dicta sunt.

Accommodationem Sacrae Scripturae licitam esse, ex ipsis sacris libris constat: nam ex. gr. ea quae (Exod. XVI, 18) de Manna dicuntur, ut qui plus collegerat non haberet amplius, et qui minus paraverat non haberet minus, Apostolus (2. Cor. VIII, 15) eleemosynis accommodat. Duae olivae et duo candelabra quae apud Zach. IV, 14, sunt probabiliter Zorobabel dux populi, et Josue summus sacerdos, a S. Joanne (Apoc. XI, 4) accommodantur duobus testibus, qui Antichristo primi resistent. Alia etiam loca Scripturae similiter accipienda sunt nisi ut veram amplectamur opinionem figuristarum.

Etiam Patres aliqui scriptores frequentissime accomodatione hujusmodi utuntur: modo enim debitas adhibeantur cautines, multum confert ad animi pios affectus excitandos, praesertim in praedicatione divini verbi et etiam in confessionali.

Tamen ad rectam S. Scripturae accommodationem quaedam cautiones adhiberi debent. Nam, in primis, textus accommodatus adduci non potest in demonstrationem vel confirmationem dogmatum; quia, ut jam dictum est, sensus accommodatitius non est sensus Spiritus Sancti saltem cumt haec accommodatio a nobis fit.

Deinde reprehendenda est consuetudo eorum qui ad sua systemata defendenda, sacras Scripturas ita ad suos sensus contorquent, ut dicant non quod Spiritus Sanctus vult, sed quod ipsi Scripturis abutentes volunt. Hoc contigit Galilaeo et etiam ejus adversariis.

Demum, cum de accommodatione S. Scripturae agitur numquam oblivioni dandum est, hoc decretum Concilii Tridentinii: «Sancta Synodus.... temeritatem illam reprimere volens, qua ad profana quaeque convertantur et torquentur verba et sententiae S. Scripturae ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones impias et diabolicas incantationes, divinationes, sortes, libellos etiam famosos, mandat et praecipit ad tollendam hujusmodi irreverentiam et contemptum, ne de caetero quisquam quomodolibet verba Scripturae ad haec et similia audeat usurpare, ut omnes hujus



generis homines, temeratores et violatores verbi Dei, juris et arbitrii poenis per episcopos coerceantur.» (1)

127. Sensus *consequens* est ille qui implicite continetur in sensu litterali, ex eoque deduci potest. Hujusmodi sensus *consequens*, dupliciter in sensu litterali contineri potest: vel ut pars in toto, et tunc deducitur per simplicem analysim, vel ut conclusio in praemissis, et tunc infertur per ratiocinium.

Sensum *consequentem* in Sacris Scripturis existere, constat, primo, ex ipsis divinis libris: Apostolus enim ait (II Tim. III, 16): «Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia: hoc vero locum habere non potest, nisi vi ratiocinationis quae sensum consequentem necessario supponit: nam plura loca Scripturae secundum se sumpta, nullam utilitatem praeseferunt. Aliud exemplum habemus in his verbis Psal. CIX, 1, «Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis», ex quibus, ipsemet Christus ratiocinando suam divinitatem deducit.

Id ipsum probatur testimoniis Patrum: inter alios, S. Augustinus, sensum *consequentem* admittit, eumque asserit esse sensum a Spiritu Sancto intentum: ait enim: «Spiritus Dei, qui per scriptorem inspiratum haec verba operatus est, etiam hanc sententiam lectori vel auditori occurruram sine dubitatione praevidit, imo ut occurreret, quia et ipsa veritati sit subnixa providit.» (2)

Praeterea tum Patres, tum theologi, ex Sententiis Sacrae Scripturae plurima consectoria deducunt ad haereses debellandas, et dogmata tuenda et exponenda, ut ex eorum operibus constat.

Demum, sensum *consequentem* postulat ipsa rei natura. Nam *consequens* qui legitime ex principio eruitur, necessario in ipso principio continetur; ergo negari non potest consequens quin negatio haec negationem etiam principii involvat: ideoque, si principium a Deo inspiratum est, etiam a Deo inspiratum esse debet consequens: ex. gr., a Deo inspiratum est, in Christo non esse nisi unam personam; ergo *consequenter* a Deo inspiratum est B. V. Mariam esse matrem Dei.

Ut verus detur sensus consequens, necesse est ut conclu-

(1) Sess. 4. Decret. de edit. et usu Sacr. Script.

(2) De Doctrina christ. Lib. III, cap. 27.

sio legitime, id est secundum regulas rectae ratiocinationis, ex praemissis eruatur, ita ut vera et legitima sit consequentia; secus, nihil aliud haberetur, nisi sophisma vel paralogismus.

Caput III

128. Regulae pro interpretandis Scripturis quatenus ut opus mere humanum considerantur. = 129. Necessitas cognitionis grammaticalis linguarum Scripturae, et modi his linguis utendi in diversis temporibus et a diversis gentibus. Quomodo his loquendi modus cognoscatur. Quid faciendum ab illo qui has Scripturae linguas originarias ignorat. = 130. Tropi, allegoriae, symbola et ejus species, parabolae, fabulae, proverbia, hyperboles et emphases in Scripturis. = 131. Idiotismi praecipui Scripturarum.

128. Si Sacrae Scripturae considerentur ut libri antiquissimi humano modo et industria conscripti, necessario regulis et legibus humanae et communis interpretationis subjici debent: in hujusmodi vero interpretatione requiritur 1.^o cognitio *grammaticalis* linguarum: id est, interpret scire debet diversas significationes vocabulorum linguae qua liber exaratus est. Sed gentes unius ejusdemque linguae, secundum diversitatem temporum et locorum non semper eandem significationem iisdem vocabulis tribunt: ergo hunc diversum modum seu usum loquendi interpret scire debet, seu quod idem est, requiritur cognitio seu scientia historica linguarum: 2.^o vocabula, prout in libris scripta sunt, determinatam habent significationem, quae quidem pendet ab eorum dependentia et nexu cum aliis vocabulis: ergo scientia hujusmodi dependentiae seu *contextus* est etiam necessaria interpreti: demum 3.^o materia circa quam liber versatur, hujus scopus, conditiones internae et externae scriptoris et personarum quae in libro loquuntur, circumstantiae loci, temporis etc veram et determinatam significationem seu sensum vocabulorum saepissime aperiunt, et idcirco ab interprete ignorari non debent.

Hoc capite agemus de scientia grammaticali et historica linguarum.

129. His qui studium Sacrae Scripturae suscipiunt ad ipsorum aliorumque aedificationem spiritualem, sufficit Vulgata latina quae ab Ecclesia declarata est authentica. His autem, qui pro suo munere fungendo, debent Scripturas accurate ex-

ponere, easque a protestantium et incredulorum falsis et impiis doctrinis et systematibus defendere et vindicare, necessaria est etiam scientia linguarum praesertim hebraicae, graecae et chaldaicae: hi enim sunt textus originales sacrorum Librorum.

Talis est sententia et praxis Patrum. Origenes, teste Eusebio, linguam hebraicam studiose didicit, ut ex fragmentis Exaplarum luculenter apparet. S. Hieronymus in pluribus Epistolis et Praefationibus, loquitur de suis laboribus in linguis biblicis addiscendis, et de utilitate quae ex hac scientia interpretes percipere possunt. In Epistola ad Paulam ita hanc rem perstringit: «Deus ipse mihi mercedem restituat in futuro, qui scit me ob hoc in peregrinae linguae (hebraicae) eruditione sudasse, ne Judaei de falsitate Scripturarum Ecclesiis ejus diutius insultarent.» (1) S. Augustinus, hebraicae linguae ignarus et in linguae graecae studio mediocriter versatus, earum tamen notitiam expositoribus necessariam praedicat, dicens: «Contra ignota signa propria, magnum remedium est linguarum cognitio, et latinae quidem homines linguae, quos nunc instruendo suscepimus, duabus aliis ad Scripturarum divinarum cognitionem opus habent, hebraea scilicet et graeca, ut ad exemplaria praecedentia recurratur, si quam dubitationem attulerit latinorum interpretum infinita varietas.» (2)

Id ipsum confirmant Decreta de studiis linguarum hebraicae, chaldaicae et arabicae Romanorum Pontificum, et praesertim Clementis V, Leonis X, Gregorii XIII, Pauli V, Clementis XI, et sapientissimi Leonis XIII qui continuo favet studiis linguarum orientalium, etiam novis scholis ad hoc ab ipso institutis. Fratres Praedicatores, Minores, Patres Societatis juxta suas regulas tenentur linguis originalibus Scripturae operam dare. Etiam in Seminariis Conciliaribus, juxta normam studiorum, juvenes linguam graecam et hebraicam addiscere debent.

Demum studium linguarum, pro his qui Scripturas profunde et intime cognoscere volunt, ipsa rei natura postulat: quaelibet enim lingua suas proprias constructiones habet et phrases quae ad alias linguas fideliter verti ad litteram non possunt. Hoc fatetur S. Hieronymus his verbis: «Multa sunt nomina quae ita leguntur in graeco, ut in hebraico posita sunt, propter inter-

(1) Ad Paulam in transl. Isa., Praef.

(2) De Doctr. Christ. Lib. II, Cap. XI.

pretandi difficultatem et ad comparationem linguae hebraicae tam graeci quam latini sermonis pauperiem.» (1) Et etiam S. Augustinus: «Sunt quaedam verba caeterarum linguarum, quae in usum alterius linguae per interpretationem transire non possunt.» (2) Unde in Vulgata inveniuntur vocabula, phrases et integrae orationes quarum perfectus sensus non aliter adipiscitur nisi scientia linguarum originalium. Sic vocabula *Raca* (Matth. V, 22.) *Gabbata* (Joann. XIX, 13), *Maranatha* (I. Cor. XVI, 22), per textum latinum nullo modo explicantur. In hac oratione «Non est occultatum os meum» (Psal. CXXXVIII, 15) qui linguam hebraicam ignorat, etiam ignorabit an *os* sit *os oris*, vel *os ossis*. Aliae etiam dantur orationes obscurissimae: ex: gr. «Posuerunt signa sua, signa, et non cognoverunt sicut in exitu super summum.» (Psal. LXXIII); «Si dormiatis inter medios cleros, pennae columbae deargentatae, et posteriora dorsi ejus in pallore auri.» (Psal. LXVII); «Quoniam non cognovi litteraturam, introibo in potentias Domini.» (Psal. LXX): ubi non intelligitur ingressum pendere ab ignorantia litteraturae, cum potius ibi de excusatione sermo sit, *quamvis non cognovi litteraturam*.

Quaedam etiam sunt loca, in quibus sacer scriptor ex nominum etymologia rem illustrat et ostendit: unde cum ratio etymologica non sit eadem in lingua latina ac in hebraica et graeca, his linguis ignorantibus illa loca necessario erunt obscura: ex gr.: dicitur Gen. IV, 1, Heva filium suum appellasse *Cain* quia «posse di hominem per Deum;» alium vero filium vocasse *Seth*, quia «posuit mihi Deus semen aliud pro Abel.»

Sed ut supra diximus, praeter cognitionem grammaticalem linguarum originalium S. Scripturae, requiritur etiam earum cognitio seu scientia *historica*, id est, *usus loquendi*. Et quidem, certum est, linguas orientales stabiliores esse quam occidentales: tamen nemo dicere audebit, linguam hebraicam minime esse mutatam a temporibus Moysis usque ad Esdram, et vocabula hebraica omnia in libris Moysis. Davidis, Salomonis et Prophetarum eandem omnino significationem habere. Huic diversae significationi vocabulorum, dedit etiam locum varietas dialectorum in diversis provinciis et regionibus.

(1) In Isa. XL, 14.

(2) De Doctr. Christ. Lib. II. Cap. XI.

Quoad linguam graecam, etiam notandum est, valde diversam esse apud scriptores Veteris et Novi Testamenti: nam graecum V. T. hebraïsmis scatet; latinismis vero idem graecum praesertim Novi Testamenti. Notandum est etiam, linguae graecae varias dialectos fuisse, et graecum Scripturae a graeco classicorum distingui.

Demum non est oblivioni dandum, quamlibet linguam suos continere idiotismos et figuras, et non eandem significationem habere vocabula in vita communi et scientifica, apud rusticos et philosophos, historicos et poetas.

Nunc quaeritur, quomodo hic modus seu usus loquendi cognoscatur.

Respondeo hoc discendum esse: 1.^o ex studio linguarum semiticarum hebraicae affinium, ut Aramaica, Chaldaica, Syriaca, Arabica, Aethiopica, et Phoenicia: nam hae linguae radices simillimas habent, et idcirco earum usu facile hebraica dictio illustrari potest. Tamen huic subsidio non nimis fidendum est, cum non obstante etymologia seu affinitate radicalium, eadem vocabula omnino diversam significationem habeant in diversis linguis semiticis juxta diversas earum dialectos.

Quoad graecum N. T. et versionis Alexandrinae, multum juvant opera Philonis et Flavii Josephi qui libros suos lingua graeca scripserunt; neque minus conferunt scripta Patrum Apostolicorum quae omnia graeca sunt, praesertim ubi sensum vocabulorum N. T. exponunt.

2.^o Ex frequenti sacrorum Librorum lectione: nam sicut modum loquendi alicujus personae facile cognoscimus, si cum ipsa continuam habemus familiaritatem, ita etiam assidua lectio uniuscujusque libri, saepissime verum sensum vocabulorum determinat.

3.^o Ex usu et comparatione antiquarum versionum, ut Theodotionis, Aquilae et Symmachi: nam ut ait S. Augustinus: «Rarissime inveniri potest, ambiguitas in propriis verbis, quam non aut circumstantia ipsa sermonis, qua cognoscitur scriptoris intentio, aut interpretum collatio aut praecedentis linguae solvat inspectio.» (1) Ad hoc etiam multum conferunt Targumim seu Paraphrases Onkelosi et Jonathae, nec non codices Thalmudici et Massorethici.

4.^o Ex studio operum S. S. Patrum: nam continua sacrorum Librorum lectione, suum stylum dictionemque ita ad biblicum

(1) De Doctr. Chris. Lib. II, cap. 14.

loquendi modum efformarunt, ut quandoque figuras et idiotismos linguae hebraicae, ad graecam et latinam, quae eas non patiebantur, transtulissent. Ait enim S. Augustinus: «Nam non solum verba singula, sed etiam locutiones saepe transferuntur, quae omnino in latinae linguae usum, si quis consuetudinem veterum, qui latine locuti sunt tenere voluerit, transire non possunt. Quae aliquando intellectui nihil adimunt, sed offendunt tamen eos qui plus delectantur in rebus, cum etiam in earum signis sua quaedam servatur integritas.» (1)

Inter opera vero Patrum, caeteris praeferenda sunt, eorum commentaria in Libros sacros.

Demum ad verum Scripturarum sensum cognoscendum, plurimum inserviunt *Concordantiae biblicae*, seu collectiones verborum, alphabetico ordine ita dispositae, ut unumquodque vocabulum comitatur textus S. Scripturae in quo invenitur. Qui primus eas adornavit, fuit Card. Hugo a S. Caro O. P. anno 1263. Inter modernas editiones, non absque fructu adhiberi possunt, *Concordantiarum S. Scripturae Manuale* a P.P. de Raze, de Lachaud et Flandrin, S. J. (Barcinone 1864) etc.

Etiam ex grammaticis et lexicis modernis, plura deduci possunt ad textum sacrum illustrandum. (2)

Qui vero linguas originales S. Librorum ignorant, audiant S. Augustinum: «Aut ignotum verbum facit haerere lectorem, aut ignota locutio: Qui si ex alienis linguit veniunt, aut quaerenda sunt ab earum linguarum hominibus, aut eadem linguae, si et otium est et ingenium, addiscendae, aut plurium interpretum consulenda collatio est... Nulla sane sunt magis mandanda memoriae quam illa verborum locutionumque genera, quae ignoramus: ut cum vel peritior occurrerit de quo quaeri possint, vel talis lectio quae vel ex praecedentibus vel consequentibus vel utrisque ostendat quam vim habeat, quidve significet, quod ignoramus, facile, adjuvante memoria, possimus advertere et discere... Plurimum hic quoque juvat interpretum numerositas, collatis codicibus, inspecta atque discussa.» (3)

Ad rem etiam Caminero: «Quid autem facias si praedictas linguas ignores nec tibi sit commodum aut possibile earum

(1) De Doct. Christ., Lib. II, cap. 14.

(2) Cons. Ubaldi, Introd. exeg. P. II, Sect. I, Cap. I, Art. I.

(3) Loc. sup. cit.

studio incumbere? Nequidquam desperandum animo est, sed ad versiones optimas confugiendum, quae linguis modernis factae sunt: ad versiones latinas biblicorum polyglottarum, praesertim Waltonis, quin tamen has versiones omnibus numeris absolutas credas licet satis fideliter textum hebraicum, graecum, chaldaicum, syriacum etc reddant: denique ad praestantissimos Bibliorum expositores, eos praecipue qui, linguis semiticis ac graeca instructi, sensum litteralem investigare conantur.» (1)

130. Sicut et quaelibet alia lingua, etiam hebraica et graeca suos habent tropos et locutiones figuratas, quae non sunt minima causa obscuritatis Scripturarum. De his ergo aliqua breviter dicemus.

Tropus seu metaphora est translatio vocabuli a sua nativa significatione secundum usum communem, ad aliud significandum propter quamdam similitudinem, proportionem vel analogiam. In Sacra Scriptura praesertim Veteris Testamenti plures sunt metaphorae vividissimae et quandoque audacissimae, ob vivacitatem imaginationis orientalium, et conditionem populi judaici, cui etiam spiritualia sub materiali involucro exponere necessarium erat. Sic in V. T. *fermentum* sumitur pro mala doctrina; *panis doloris* pro lacrymis; *sanguis uvae* pro vino; *lucerna domus* pro primogenito: *filia maris* pro insula etc. In N. T. Christus dicitur *via*, *veritas* et *vita*, *agnus*, *pastor*, *petra*, *lapis angularis*, *panis*, *vitis*, *alpha* et *omega* etc.

Metaphora continuata dicitur *allegoria*. Plures sunt in V. Testamento et quidem vehementiores et audaciores quam nostra consuetudo ferre videatur: sic ex. gr. Cant. cap. IV, sponsus ad sponsae pulcritudinem laudandam ait, v. 2: «Dentes tui sicut greges tonsarum, quae ascenderunt de lavacro, omnes gemellis foetibus, et sterilis non est in eis.»: et v. 4: «Sicut turris David collum tuum, quae aedificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.» Et Isaïas describens ultionem a Deo sumendam de Idumaeis aliisque gentibus, hac figura utitur: «Et tabescet omnis militia coelorum, et complicabuntur sicut liber coeli, et omnis militia eorum defluet sicut defluit folium de vinea et ficu.»

Etiam in N. T. dantur allegoriae: notissimae sunt illae: «Vos estis sal terrae; quod si sal evanuerit, in quo salietur? etc.»; et

(1) Man. Isag., Sect. V, cap. VI.

«Vos estis lux mundi: non potest civitas abscondi etc. (Matth. V, 13-14).

Symbolum est res, factum vel ritum adhibitum ad aliquid significandum: quod si adhibeatur ad eventum aliquem in memoriam revocandum vel retinendum, dicitur *historicum*, ut quae leguntur Exod XII, 1-13 sunt symbolum liberationis primogenitorum hebraeorum. Symbolum *religiosum* est quod veritatem aliquam religiosam repraesentat, ut circumcisio in ordine ad Baptismum vel existentiam originalis peccati.

Demum alia dantur symbola quae ad res futuras praenuntiandas ordinantur, ut Isa. XX: Jer. XIII: Ezechi. XX; et Matth. XXI, 18-20, ubi de maledictione arboris ficulneae. Hujusmodi symbola prophetica confundi non debent cum typis: symbola enim nisi ad aliquid praenuntiandum ordinata fuissent, non extitissent: contra vero typi suam existendi rationem in se habent; quod autem praenuntiant est illis superadditum: unde sensus symbolorum non est typicus seu spiritualis, sed litteralis metaphoricus. Ad rem S. Thomas: «Hircus (Dan. III) vel alia hujusmodi, per quae aliae personae a Christo in Scripturis designantur, non fuerunt res aliquae, sed similitudines imaginariae *ad hoc unum* ostensae, ut illae personae significarentur: unde illa significatio, qua per illas similitudines personae illae aut regna designantur non pertinet nisi ad historicum (litteralem) sensum. Sed ad Christum designandum etiam illa, quae in rei veritate contigerunt, ordinantur sicut umbra ad veritatem: et ideo talis significatio, qua per hujusmodi res Christus aut ejus membra significantur, facit alium sensum praeter historicum, scilicet allegoricum (typicum). Si alicubi vero inveniatur, quod Christus significatur per hujusmodi imaginarias similitudines, talis significatio non excedit sensum litteralem.» (1)

Parabolae sunt narrationes verae vel fictae ad aliquam doctrinam audientibus inculcandam. Talis est in V. T. parabola quam Davidi peccatori propheta Nathan proposuit (II Reg. XII, 1-9). In N. T. plurimae sunt parabolae, ut *decem virginum*, *seminantis*, *filii prodigi* etc. Quando in hujusmodi narrationibus loquuntur non modo homines, sed etiam et potius ventia irrationalia, tunc dicuntur *fabulae*, ut illa Judic. IX, 7 et seqq: «Ierunt ligna, ut ungerent super se regem dixeruntque olivae:

(1) Quodl. VII, Q. VI, art. 15 ad 1.



Impera nobis: quae respondit: Numquid possum deserere pinguedinem meam, qua et dii utuntur et homines, et venire ut inter ligna promovear? Dixeruntque ligna ad arborem ficum; veni, et super nos regnum accipe etc.»

Ad intelligendum sensum parabolarum et fabularum, cognoscendus primo est earum finis seu scopus, qui est qui verum sensum continet: caetera omnia ornatus causa adhibentur, et idcirco praedicto fini seu scopo subordinari debent.

Proverbia dicuntur, sententiae breves quae paucis verbis plura significant ad morum honestatem aptissima. (1) Vocantur etiam *gnomae*, *aphorismi* et in Scripturis etiam *parabolae*: hispani proverbialia vocamus *refranes*.

Plura proverbialia inveniuntur in V. T. praesertim in libro Proverbiorum, quamvis non omnes sententiae ibi contentae proverbialia sint. Vera proverbialia sunt ex. gr.: «Cor gaudens exhilarat faciem: in moerore animi dejicitur spiritus.» (Prov. XV, 13): «Melius est sedere in angulo domatis, quam cum muliere litigiosa, et in domo communi» (Ibid. XXV, 24): «Tecta persillantia in die frigoris, et litigiosa mulier comparantur.» (Ibid. XXVII, 15): «Leo rugiens et ursus esuriens, princeps impius super populum pauperem.» (Ibid. XXVIII, 15).

In N. T. notissima sunt illa: «A fructibus eorum cognoscetis eos.» «Non potest arbor bona malos fructus facere.» etc.

Ad intelligentiam proverbiorum haec servari debent: 1.^{um} Ut non ad litteram accipiantur: ait enim S. Hieronymus: «Aliud in medulla habent, aliud in superficie pollicentur, et quasi in terra aurum, et in nuce nucleus, et in hirsutis castanearum operculis absconditus fructus inquiritur, ita in eis divinus sensus est perscrutandus.» (2) 2.^{um} Scriptoris scopum investigare oportet, ut juxta hunc scopum proverbium exponatur: «In pa-

(1) Didimus sic explicat etymologiam *proverbi*: «Proverbialis sermo, alio nomine *Paroemia* vocatur, nam cum initio viae in milliaria, ut Romani appellant, necdum essent distinctae, priscae aetatis homines, per certa itinerum intervalla, signa difigebant, iisdem aliquod apophthegma, vel illustre aliquod dictum adscribi curabant. Faciebant id autem duplici de causa: harum una erat ut viator intelligeret quantum viae spatium emensus esset, altera vero ut hujusmodi sententiam animo versans ejusdemque interpretationi iter proficiscendum, insistens, melior doctiorque evaderet, simulque itineris molestiam falleret.» Cit a Vigouroux, *Man. Bibl. Antiquo Test.* P. II, Cap. IV, Art. I.

(2) In Ecclesiast. XII.

rabilis, inquit Chrysostomus, non oportet nimia in singulis verbis cura perangi: sed cum quid per parabolam intendant didicerimus inde utilitate collecta nihil ulterius anxio est conatu investigandum.» (1.) 3.^{um} Quandoque loca parallela consulantur; et demum 4.^{um} contextum libri minime oblivioni detur.

Hyperboles et emphases dicuntur illae sententiae quae si ad litteram accipiantur, plus significant quam quod auctor intendit. Aliquas sententias esse hyperbolicas vel emphaticas multifarie cognoscitur: et 1.^o quidem, ex contextu, ut in hac exclamatione (Jer. XX, 14, et Job. III, 3) «Maledicta dies in qua natus sum», quae quidem exclamatio saepissime adhibetur ab orientalibus, in magnis calamitatibus, ut ex historia horum populorum apparet. Contextus vero legenti demonstrat, tum Job tum Jeremiam in hujusmodi circumstantiis tali locutione usus fuisse hyperbolico sensu. 2.^o ex aliis rerum adjunctis: sic Paulus (Rom. VI, 17) ait: «Gratias ago Deo, quod fuistis servi peccati», id est, non quia peccatores fuistis, sed quia jam non estis. Hoc etiam sensu Ecclesia canit in officio Sab. Sancti: «Oh, felix culpa, quae talem ac tantum meruit habere Redemptorem»; ubi Ecclesia, non de culpa, sed de glorioso Redemptore laetatur.

131. *Idiotismi* dicuntur *modi peculiares cujuscumque linguae ad determinatas ideas exprimendas*. Cum idiotismi diversissimi sint in diversis linguis, hinc magna difficultas ad eorum rectam interpretationem: nos brevitatis causa, de aliquibus tantum agemus, qui ad rem scripturariam pertinent, et in Vulgata latina inveniuntur. 1.^o Masculino nomini pronomen neutrum additur, (Sap. I, 7): *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc quod continet omnia scientiam habet vocis*: ubi pro *hic* ponitur *hoc*.

2.^o Aliquando nomina geminantur ad designandam multitudinem vel universalitatem, ut «Generatio et generatio laudabit opera tua» (Psal. CXLIV, 4), seu quod idem est, *multae generationes laudabunt opera tua*. 3.^o Quandoque haec repetitio diversitatem vitiosam designat, ut (Psal. XI, 3) «Labia dolosa in corde et corde locuti sunt» id est, in corde duplici et quasi a se diverso: 4.^o Nonnumquam Vulgata utitur *positivo* pro *comparativo*, ut (Psal. CXVII, 9) «Bonum est sperare in

(1) Hom. 65 in Matth.

Domino qua sperare in principibus.» 5.^o Pro nomine adjectivo ponitur substantivum qualitatem designans in casu genitivo: ut *virga directionis* pro *virga recta et aequa* (Psal. XLIV, 7); *homo peccati* (II Thes. II. 3) pro *homine peccatore*. 6.^o Superlativum diversimode exprimitur: aliquando repetito nomine in genitivo plurali, ut ex. gr. *Sanctum Sanctorum* pro *Sanctissimo*, *Coeli coelorum* pro *coelis altissimis*.—Nonnumquam etiam exprimitur adjecto Dei nomine, ut *Montes Dei* (Psal. XXXV, 7) seu *montes altissimi*. 7.^o Cum verbum hebraicum pluribus careat temporibus, non raro unum pro alio ponitur: ex. gr. praeteritum pro praesenti, ut «Beatus vir qui non *abiit* in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit» (Psal. I. 1) pro *abit* et *stat*. 8.^o Aliquando praeteritum sumitur pro futuro: ex. gr. «Emitte lucem tuam et veritatem; ipsa me *deduxerunt* et *adduxerunt* in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.» (Psal. XLII, 3): et etiam futurum pro praeterito vel praesenti: ita Deut. XXXII, 39: «Ego *occidam* et ego vivere *faciam* percutiam et ego sanabo», quae verba non tempus futurum sed praesens designant. Demum 9.^o repetitio verbi in gerundio vel participio cum indicativo, saepe adhibetur ad sensum emphaticum et hyperbolicum producendum: ex. gr. «*Castigans castigavit* me Dominus», id est, fortiter castigavit (Psal. CXVII, 18): «*Plorans ploravit* in nocte» seu multum ploravit. (Thren. I, 2.) (1)

Caput V

132. Quid contextus. Ejus species. = 133. Regulae contextus. Hujus utilitas. = 134. Quid loca parallela. Utilitas parallelismi. Modus inveniendi loca parallela. = 135. Quid parallelismus poeticus et quotuplex.

132. *Contextus* est vocabulorum, orationum et periodorum alicujus libri mutuus nexus et dependentia. *Contestus* est : 1.^o *proximus* vel *remotus*, prout praedicta dependentia invenitur vel in eadem propositione, vel in propositionibus proximioribus vel

(1) Plura de his. apud Ubaldi, *Introd. exeg.* P. II, Sect. I, Cap. I, Art. III. Conf. etiam Schoupe, *Cursus Scrip. Sac.* P. I. Cap. II, Art. IV, Sect. I. Q. 5.

remotioribus ejusdem libri: 2.^o *logicus* cum dependentia existit inter subjectum et predicatum, genus et species, praemissas et consequens, partes et totum, interrogationem et responsum, et inter invicem opposita: 3.^o *psychologicus* seu *opticus*, qui procedit ex sociatione idearum secundum intentionem loquentis: 4.^o *historicus*, cum praecedentia et consequentia libri considerantur habita ratione temporis quo res locum habuerunt; et demum 5.^o *propheticus* si verba vel res aliquid futurum praenuntiant, unde etiam includit contextum *typicum* seu *spirituale*.

133. Ad rectum usum contextus, hae regulae necessario servandae sunt: 1.^a Cum finis seu scopus auctoris cognoscitur, rejicienda est omnino quaelibet interpretatio quae contextui ac idcirco intentioni auctoris repugnet. Nam supponendum est, auctorem libri locutum fuisse secundum logicae regulas, et noluisse sibi ipsi contradicere: sic verba illa Salvatoris (Joan. VI, 64) «Verba quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt» dicta de sua carne manducanda et de suo sanguine bibendo, non metaphorice, ut protestantes dicunt, sed litteraliter accipienda sunt, secundum contextum. Similiter cognita ex contextu intentione Christi maledicentis arborem ficulneam, facile intelligitur quo sensu accipienda sit illa maledictio. 2.^o Quamvis ex contextu determinetur significatio alicujus vocabuli, ex hoc tamen non sequitur vocabulum illud semper secundum eandem significationem intelligendum esse: sic, in his orationibus: «Qui se *exaltat* humiliabitur» (Luc. XIV, 11) et «Sicut Moyses *exaltavit* serpentem in deserto, ita *exaltari* oportuit Filium hominis;» (Joan. III, 14,) verbum *exaltare* diversam omnino habet significationem, quia contextus est etiam diversus. 3.^a Demum considerandum est, quis sit finis seu scopus generalis libri, et qui sint fines particulares capitum, articulorum et periodorum etiam, ut secundum hos fines, sensus omnium quae in libro inveniuntur determinari tuto possit. Magnam esse utilitatem contextus ad S. Scripturae intelligentiam nemo negare potest: et 1.^o *utilitates contextus logici* hae sunt: 1.^a aliquando determinat sensum locutionis vel vocabuli ambigui: sic vox *spiritus*, ambigua est, sed semel stabilita hac propositione *Deus est spiritus*, ex dependentia cum subjecto eruitur vera notio praedicati. Etiam ambiguitas tollitur inspecta propositionum oppositione: sic Apostolus (I Cor. XV, 47) comparans Christum cum Adamo, ait: «Primus homo de terra terrenus, secundus homo de coelo coelestis,» ubi incertus est sensus quo Christus dicatur *coelestis*

sed contextus evincit hic Apostolum agere de qualitatibus gloriosis corporis Christi redivi: 2.^a Determinat etiam extensionem sensus vocabulorum; sic haec verba Apostoli, «In quo *omnes* peccaverunt» (Rom. V, 12), secundum contextum logicum intelligenda sunt de omnibus omnino hominibus: e contra haec alia, «Fames *omnem* terram praemebat.» (Gen. XLIII, 1), intelligenda non sunt de universo orbe terrarum. Denique 3.^a contextus logicus aperit, aliquando verba non esse sumenda in sua communi et ordinaria significatione: sic in his verbis Pauli, «omne quod non est ex fide peccatum est.» (Rom. XIV, 23.) vos *fides*, non virtutem theologicam, nec fiduciam, ut in aliis locis generatim, sed conscientiam significat.

2.^o *Utilitates contextus psychologici*: 1.^a sensum metaphorarum aperit: ita cum Christus ait: «Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me» (Joann. IV, 34), metaphora ex praecedentibus explicatur secundum associationem idearum: paulo enim ante Apostoli Christo ex itinere fatigato cibos obtulerant. Similiter cum Christus dixit Petro, «Tibi dabo claves regni coelorum» (Matth. XVI, 19) tum ex contextu libri, tum etiam ex consuetudine orientalium associandi ideam *potestatis* cum idea *clavium*, infertur, his verbis Christum Petro supremam potestatem spiritualem contulisse: 2.^a explicat interruptionem contextus logici, quae saepissime accidit, praesertim in Psalmis, ubi non raro prima fronte videtur nullum esse nexum nullamque unitatem. Hujusmodi digressiones et interruptiones quae etiam in aliis libris inveniuntur, per associationem idearum explicandae sunt: 3.^a Per contextum *psychologicum opticum* explicatur, cur ea quae longo saeculorum spatio dissita sunt, simul jungantur; sicut Isaias et Jeremias liberationem hebraeorum a captivitate Babylonica, et liberationem humanitatis a peccato per Messiam simul conjungunt. «Quare, inquit Cornely, non inepte vaticinia illa imaginibus depictis comparantur, in quibus scenographiae regulis neglectis ea quae utpote propiora in pictura eminere debuerunt, non magis apparent, quam alia, quae utpote longinquiora recedere debuerunt.» (1)

Contextus historicus, est dependentia praecedentium et subsequentium secundum ordinem temporis quo acciderunt; qui quidem contextus multum juvat ad quaedam loca scriptu-

(1) Op. saepe cit. Introd. gen. Dissert. III, Sect. I, Cap. II.

raria intelligenda: nam saepe res, verba et facta quae simillima imo et identica videntur, optime inter se distinguuntur habita ratione diversitatis temporum. Negligentes hanc conditionem, plures olim crediderunt, et etiam nunc non desunt qui credant, mulierem peccatricem quae lavit pedes Christi fuisse Mariam sororem Lazari.

134. *Parallelismus* est similitudo vel potius identitas existens inter diversa loca Sacrae Scripturae. Hujusmodi loca dicuntur *loca parallela*. Omnia Sacrae Scripturae loca sunt unius auctoris, nempe Dei: tamen diversi libri diversos habent auctores secundarios, et idcirco dici solet, loca parallela esse unius vel plurium auctorum.

Parallelismus potest esse *realis* et *verbalis*: primus habetur cum de eadem re agitur: secundus cum eadem vel simillima verba occurrunt. Sic loca illa Evangeliorum in quibus de Christi passione sermo est, parallela sunt parallelismo reali. Illa vero, ubi Evangelistae et Apostolus agunt de institutione Eucharistiae, sunt parallela parallelismo reali et verbali; non modo enim de una eademque re agunt, sed etiam fere iisdem verbis utuntur.

Parallelismus *realis* subdividitur in *historicum*, *doctrinalem* et *propheticum*, prout de iisdem agitur factis historicis; vel doctrinis sive dogmaticis sive moralibus; vel de rebus futuris.

Utilitas parallelismi evidentissima est: nam frequenter quaedam Scripturae loca obscura, ex aliis locis qui de eadem re agunt facile intelliguntur. Ad rem S. Augustinus: «Magnifice igitur et salubriter Spiritus Sanctus ita Scripturas sanctas modificavit, ut locis apertioribus fami occurrerent, obscurioribus autem fastidia detergat. Nihil enim fere de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissime dictum alibi reperiatur.» (1)

Cum parallelismus adest in uno eodemque libro, vel in diversis libris sed ejusdem auctoris, magnam tunc vim obtinet, quia auctores solent clarius exponere quod fortasse alibi confuse enarrarunt. Cum vero parallelismus datur in libris duorum auctorum, adhuc majori vi donatur, quia, hoc modo, pro veritate rei narratae duo testes adsunt.

Utilitas parallelismi *verbalis* exemplis ostenditur: in hoc vaticinio Isaiae, «Ecce virgo concipiet et pariet filium» (VII, 14) vox hebraica *almah* quam Hieronymus vertit *Virgo*, et plures

(1) De Doctr. Christ. Lib. II, Cap. 6.

judaei et rationalistae *puella*, omissis aliis argumentis et ex solo parallelismo verbali, significat mulierem virginem, et non uxorem quae virginitatem amiserit: nam sexies tantum occurrit in hebraico textu, scilicet, Gen. XXIV, 43; Exod. II, 3; Psol. LXVII, 26; Cant. I, 3 et VI. 8; et Prov. XIII, 19; in his vero omnibus locis, vox *almah* virginem designat sensu exposito. Similiter illa vox *sacerdotes* quae legitur (II. Reg. VIII, 18) significat *primi ad manum* regis juxta locum parallelum (I. Par. XVIII, 17).

Magna etiam et evidens est utilitas *parallelismi historici*; nam relationes historicae quae in aliquo loco non bene intelliguntur, in aliis parallelis clarius exponuntur: quia unus auctor quasdam addit circumstantias ab alio omissas, et plerumque hujusmodi circumstantiae magnam afferunt lucem ad rei intelligentiam: hoc praesertim contingit in libris historicis tum Veteris tum Novi Testamenti: ex. g.; libri Regum non recte interpretari possunt nisi simul conferantur libri Paralipomenon qui eandem historiam breviter repetunt: idem dicendum de duobus libris Machabaeorum, qui mutuo illustrantur, quia partim eandem historiam continent. Hoc ipsum contingit in Evangeliiis: nam unus Evangelista additis quibusdam circumstantiis loci, temporis aliisque, exponit ea quae vel ab alio vel aliis, aut non servato ordine chronologico, aut pluribus omissis narrantur. Hujus parallelismi utilitate permoti S. Augustinus scripsit suum opus *De consensu Evangelistarum*, Tatianus *Diatessaron*, Ammonius *Monotessaron* et Card. Hugo suas *Concordantias*.

Demum parallelismus *doctrinatis* est etiam utilissimus praesertim in N. Testamento: nam cum sacri scriptores non sibi proposuerint doctrinam theologicam et moralem sub forma scientifica proponere ut a theologis fit, hinc quod hujusmodi doctrina clara et completa non habeatur, nisi collatis diversis locis in quibus de ea ex parte tantum et obscure agitur: ex. gr., cum Paulus ait: «Arbitramur hominem justificari per fidem sine operibus legis» (Rom. III, 20) non agit de sola fide justificante et idcirco de exclusionem operum, sed tantum excludit necessitatem operum Veteris Legis, ut constat ex aliis locis ejusdem Apostoli: inquit enim, «Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum» (I. Cor. XIII, 2) ubi necessitatem operum apertissime declarat: et alibi: «Nam in Christo Jesu neque circumcisio aliquid

valet neque praeputium; sed fides quae per charitatem operatur.» (Galat. V. 6) ubi manifestum est, Apostolum excludere opera veteris Legis tantum. Similiter, si illud Malach. (I, 3) «Jacob dilexi, Esau autem odio habui» comparetur cum illo (Sap. XI, 25), «Diligis omnia quae sunt, et nihil odisti eorum quae fecisti», facile infertur, in priori textu non de vero odio sed de minori dilectione agi.

Ad loca parallela invenienda multum conferunt: 1.° Assidua lectio Scripturarum: sic enim plures textus memoriter retinentur, et ex unius recordatione ad sui paralleli vel parallelorum notitiam facile gressus fit.

2.° Concordantiae biblicae; in his enim, semel invento uno vocabulo, simul inveniuntur omnia Scripturae loca parallela in quibus illud vocabulum recurrit.

Eruditissimus Ubaldi indicat diversas Concordantias hebraicas, graecas et latinas. (1)

3.° Editiones Bibliae, etiam recentiores quae in margine textus exhibent vel citant loca parallela, et in fine continent *lexica biblica*, vel *indices rerum biblicarum*, ordine alphabetico adornata.

4.° Studium operum S.S. Patrum, et etiam expositorum et theologorum, ut Sti. Thomae, Suarezii, Cajetani, Cornelii a Lapide, Maldonati, Salmeronis, Soto, Gotti, Alphonsi Mariae Lig., Billuart, Gonet, etc. qui frequenti locorum parallelorum usu, suas demonstrationes illustrarunt.

Animadvertendum est, quaedam loca non esse accipienda ut parallela eo quod sint tantum similia; quia ad parallelismum requiritur identitas locorum.

135. *Parallelismus poeticus* est specialis forma exprimendi sententias ita ut quamdam servant symmetriam. Multiplex est hic parallelismus: nempe, 1.° *synonymus*, dum sententiae quae immediate sequuntur eandem habent significationem et sensum, ut ex. gr. in Psalmo L:

- v. 3. Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam.
Et secundum multitudinem miserationum tuarum debe iniquitatem meam.
- v. 4. Amplius lava me ab iniquitate mea: et a peccato meo munda me.
- v. 7. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum; et in peccatis concepit me mater mea.

(1) Introd. exeg. P. II, Sect. I, Cap. II, Art. III.
VOL. I



- v. 9. Asperges me hyssopo et mundabor;
lavabis me, et super nivem dealbabor.

2.^o *Parallelismus antitheticus*, dum uni sententiae, alia contraria subjicitur; ut Cap. I, Luc.

- v. 52. Deposuit potentes de sede.
et exaltavit humiles.

- v. 53. Esurientes implevit bonis;
Et divites dimisit inanes.

3.^o *Parallelismus analyticus*, dum prima sententia in sequentibus exponitur et quasi per partes explicatur ut ex. gr. in Psal. I, «Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum», ubi in toto psalmo exponuntur quasi per partes conditiones seu virtutes hominis iusti.

4.^o demum *parallelismus comparativus*, cum inter duas sententias comparatio aliqua instituitur, ut ex. gr. in Psal. XLI, 2; «Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum; ita desiderat anima mea ad te Deus.»

Rectus usus parallelismi poetici, magnum exigit litteraturae hebraicae studium, quod quidem hodiernis temporibus admodum difficile et insuper imperfectissimum est.

Caput V

136. Quae, sive in sacris scriptoribus, sive in personis quae in Sacra Scriptura loquuntur scire oporteat, ut eorum verba et sententiae recte et facile intelligi queant. = 137. Conditiones externae et internae, intellectuales et morales personae loquentis et audientis. Natura et indoles personarum et rerum.

136. In sacris Scripturis non modo attendendum est ad ea in quibus ipsi sacri scriptores loquuntur, sed ad ea etiam in quibus tum iudaei, tum gentiles, tum fideles, et Apostoli et ipsemet Christus Dominus interveniunt. Nam similes locutiones in ore rustici et philosophi, christiani et gentilis, Christi et Apostolorum et fidelium non semper eandem habent significationem; unde ad intelligentiam plurium quae in quolibet libro continentur multum juvat historiam vel statum vel alias circumstantias personae loquentis cognoscere (1).

(1) Ad rem sapientissimus Balme: «Antes de leer una historia, es muy importante leer la vida del historiador.—Casi me atrevo á decir que esta

Itaque, agemus 1.º de conditionibus externis et internis personae loquentis; 2.º de iisdem conditionibus personae audientis; et 3.º de natura et indole rerum et personarum de quibus agitur in Scriptura.

137. Et 1.º *Conditiones externae personae loquentis*. Persona loquens in sacris Libris; est ipse sacer scriptor, nisi aliud in libro notetur: ex. gr. cum dicitur: *Respondit Jesus, Dixit Pilatus*, clarum est personam loquentem non esse ipsum scriptorem: sicut etiam quando sufficienter apparet, scriptorem loqui ex aliorum sententia, ut cum Apostolus (I Cor. XV, 32) dicit: «Manducemus et bibamus, cras enim moriemur;» demum, cum sententia de qua agitur est contraria aliis sententiis scriptoris: ex gr. haec sententia (Eccl. III, 19), «Unus est interitus hominis et jumentorum... et nihil habet homo jumento amplius,» non est Salomonis, quia in aliis hujus libri locis Salomon agnoscit vitam futuram.

Conditiones seu circumstantiae *externae* loquentis sunt ejus patria, religio, status civilis, fata factaque, modus vel tonus pronuntiandi aliaque adjuncta quae in loquendi vel scribendi rationem magnum exercent influxum.

Nam inter gentes ejusdem linguae sed diversae patriae vel religionis eadem vocabula et sententiae, diversam quandoque habent significationem: sic in graeco judaeorum alexandrinorum

regla, por lo común tan descuidada, es de las que deben ocupar el lugar más distinguido.... Claro es que no podemos saber qué medios tuvo el historiador para adquirir el conocimiento de lo que narra, ni el concepto que debemos formar de su veracidad, si no sabemos quien era, cual fué su conducta, y demás circunstancias de su vida. En el lugar en que escribió el historiador, en las formas políticas de su patria, en el espíritu de su época, en la naturaleza de ciertos acontecimientos, y no pocas veces en la particular posición del escritor, se encuentra quizás la clave para explicar sus declaraciones sobre tal punto, su silencio ó reserva sobre tal otro: porque pasó sobre este hecho con pincel ligero, porque cargó la mano sobre aquel. —Un historiador del revuelto tiempo de la Liga no escribía de la misma suerte que otro del reinado de Luís XIV; y trasladándonos á épocas más cercanas, las de la revolución, de Napoleón, de la restauración y de la dinastía de Orleans, han debido inspirar al escritor otro estilo y lenguaje.... Pocos son los hombres que se sobreponen completamente á las circunstancias que los rodean: pocos son los que arrostran un gran peligro por la sola causa de la verdad: pocos son los que en situaciones críticas no buscan una transacción entre sus intereses y su conciencia. En atravesándose riesgo de mucha gravedad, el mantenerse fiel á la virtud es heroismo y el heroismo es cosa rara.» *El Criterio* Cap. XI, §. III, Reg. 6,

et palaestinensium, magna datur differentia. Etiam gestus vel tonus pronuntiandi, magnam secum affert diversitatem sensus: sic verba haec a Christo prolata, «Solvite templum hoc etc.» diversum haberent sensum, si Christus manu designasset templum Hierosolymitanum vel proprium corpus. Etiam haec verba Davidis, (Psal. L) «*Tibi soli* peccavi, et malum *coram te* feci,» intelliget proprio ac stricto sensu accipienda esse, qui hanc circumstantiam notet, nempe, peccata adulterii et homicidii ad quae ibi alludit, clam commissa et ab hominum notitia studiose celata fuisse. Demum initium illud epistolae Pauli ad Gal.: «Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum, et Deum Patrem, qui suscitavit eum a mortuis, et qui mecum sunt omnes fratres, ecclesiis Galatiae»; quod videtur superbiam sapere, recte intelliget qui sciat Apostolum a quibusdam falsis praedicatoribus diffamatum fuisse apud Galatas, quasi ejus missio non vere fuisset apostolica et divina: ergo scopus initii praedictae epistolae, secundum intentionem Apostoli, est originem divinam suae missionis defendere.

His omnibus subsidiis seu circumstantis externis personae loquentis, facile cognoscitur, an ejus verba sensu proprio vel metaphorico, latius vel strictius accipienda sint.

2.^o *Conditiones personae audientis.* Ad intelligentiam eorum quae a loquente dicuntur, considerata est etiam conditio audientium; an rudes vel docti, an amici vel inimici, an boni vel mali, eorum opiniones vel errores religiosi, philosophici et morales, etc. Nam evidens est, personam loquentem diversimode uti verbis secundum diversas dispositiones et conditiones audientium ut his se aliquo modo accomodat: sic Apostolus in epistolis ad Titum et Timotheum, qui erant Episcopi, theologice loquitur, id est, scientifico sensu usurpat quaedam vocabula et phrases, quae secundum distinctam et simpliciore significationem ab ipso adhibentur cum fidelibus christianis loquitur: ut hodie etiam fit, vel debet fieri cum de praedicatione divini verbi agitur. Attenta audientium conditione, intelligitur quare Apostolus tam vehementer vitia carnalia insectetur ad Corinthios scribens, quia hoc indigebant Corinthii, inter quos fere omnis caro corruerat viam suam. Similiter scribens ad Galatas, saepissime loquitur de non necessitate rituum Legis Moysi, quia contrariis praejudiciis erant imbuti. Christus Dominus (Matth. XXII, 31 seqq.) futuram corporum resurrectionem hoc argumento probat: «De resurrectione

autem mortuorum non legistis quod dictum est a Deo dicente vobis: Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob? non est Deus mortuorum sed viventium;» quod quidem argumentum videtur non concludere: ex eo enim, nihil aliud nisi immortalitas animae infertur. Tamen argumentum bene concludit, si consideremus ipsum propositum fuisse a Christo adversus Sadducaeos qui eatenus resurrectionem corporum negabant, quia animae spiritualitatem rejiciebant.

3.^o *Natura et indoles personarum et rerum de quibus agitur in Scriptura.* Quia non eodem modo loquimur de hoste et amico, de christiano et impio: neque eodem sensu accipimus verba in philosophicis et in rebus domesticis, ut contingit id his vocibus *substantia, accidens, causa* etc. quae diversissimum habent sensum in sermone philosophico et vulgari; et demum quia plures res de quibus agitur in Scriptura a nostris moribus et cogitandi modo longe discedunt; idcirco haec omnia adhibere oportet ad rectum Scripturae sensum inveniendum, ut exemplis patebit. Inter alia, haec adducit Ubaldi: «Et ut de personis primum dicamus: quod legitur Matth. II, 16-18, de strage puerorum Bethlehemiticorum a nonnullis recentioribus criticis, utpote inverosimile rejicitur: verum etiam critice loquendo factum illud maxime credibile est, considerato Herodis caractere, qui a Josepho Flavio describitur ut maxime crudelitatis, ita ut ambitionis et suspicionis plenus plures ex optimatibus injusta morte mulctaverit, nec ipsi uxori ac filiis pepercerit. Ita quoque ratio agendi Pontii Pilati qui clamoribus populi permisit se ad innocentis Christi supplicium decernendum induci, explicationem accipit ex caractere Tiberii Caesaris, cujus nomine Pilatus Judaeam administrabat, ut alibi animadvertimus. Simile exemplum occurrit Act. XXIV, 25, de Felice praeside: «Disputante autem illo (Paulo) de justitia, et de castitate et de judicio futuro, tremefactus Felix respondit: quod nunc attinet, vade: tempore autem opportuno accersam te.» Cur Paulus de his rebus coram Felice disseruerit, et cur iste tanto terrore perculsus fuerit, clarius intelligitur ex conditione in qua Felix tunc versabatur: de illo enim narrat Tacitus lib. V Hist.: «Antonius Felix per omnem saevitiam et libidinem jus regium servili ingenio exercuit.» (1)

Cognitio etiam *rerum*⁴ id est, morum, rationis domos aedi-

(1) *Introd exeq.*, P. II, Sect. I, Cap. III, Art. I.

ficandi, convivendi, locorum, et uno verbo, Archaeologiae Biblicae multum juvat ad plurium textuum intelligentiam. Sic mirabitur fortasse quis, quod Christus dicat (Matth. X, 27): «Quod in aure auditis praedicatae super tecta»: non autem si cognoverit in domibus hebraeorum, tecta non esse sicut nostra, sed plana, et ad deambulandum et manducandum optime disposita.

Quaedam locutiones metaphoricae non facile intelliguntur, nisi consideratis quibusdam adjunctis: ex. gr. in his Christi verbis (Matth. XVI, 19): «Et tibi dabo claves regni coelorum: et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in coelis, et quodcumque solveris super terram erit solutum et in coelis.» duae metaphorae conjunguntur, quae videntur nullum habere nexum: quia claves non ligant et solvunt, sed aperiunt et claudunt: sed difficultas evanescit cognita forma januarum et serarum apud hebraeos, quam sic describit Ackermann: «Foras claudebantur sera vel vecte, aut etiam repagulo seu pessulo.... sera vero non erat nisi pessulus ligneus volubilis valvae portae affixus, qui ingrediebatur in foramen postis et incisus quibusdam dentibus incidebat in rastrum, quare lorum, aut fortasse duo lora, pessulo adnexa per foramen permeabant, in exteriorem portae faciem, quorum altero attracto, pessulus serae in foramen postis promovebatur, et dentibus in illud rastrum incidebat, ut retrahi non posset».

«Aperiens habebat clavem ligneam satis magnam et instar falcis aduncam, qua per foramen immissa, pessulum ex rastro sublevabat, et altero loco subtrahebat, quod ut facilius perficeret portam ad se attrahebat.» (1) De his aliqua dicemus in Archaeologia.

Conditiones internae loquentis, si bene considerentur, multum Scripturas illustrant: hae vero conditiones sunt *intellectuales*, *morales* et *affectivae*.

Conditiones intellectuales: 1.^o *Scopus loquentis*, seu id ad quod loquens sermonem suum dirigit. Potest esse *generalis* vel *particularis* prout ad totum librum, vel ad majorem saltem ejus partem pertinet; vel tantum ad determinatam partem libri. In Scripturis, *scopus generalis* scriptorum est hominibus tradere veritatem religiosam: *scopus particularis* potest esse distinctus,

(1) Apud Ubaldi, loc. cit.

non tamen contrarius scopo generali. Semel cognito scopo seu fine loquentis, omnia ejus verba sic intelligenda sunt ut huic scopo non contradicant: quia credendum est, loquentem nolle sibi ipsi contradicere. Hic scopus, quandoque ab ipsis scriptoribus aperte declaratur: sic scimus scopum quem sibi proposuit Joannes in suo Evangelio conscribendo, fuisse Christi divinitatem ostendere: ipse enim ait, (XX, 31): «Haec autem scripta sunt ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei.»: ergo in Evangelio Joannis nihil ita intelligendum est ut huic scopo repugnet.

Quando non ita clare apparet scopus loquentis, utendum est aliis subsidiis, inter quae recenseri potest occasio loquendi vel scribendi. Sic Christus ait ad Apostolos (Matth. X, 5) «In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis»: quae sententia videtur contradicere huic alio testimonio ipsius Christi (Marc. XVI, 15): «Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae.» Sed difficultas evanescit, semel cognita occasione prioris illius praecepti. Nam judaei, Samaritanos et gentiles magno prosequabantur odio: unde in exordio praedicationis, prudentia postulabat, ne Apostoli statim ad samaritanos et gentiles diverterent, ad vitandum judaeorum scandalum.

Demum scopus loquentis innotescit ex contextu et substrata materia, et etiam ex traditione. Ad hoc multum etiam juvant praefationes praesertim S. Hieronymi in sacros libros, et ejus opus, cui titulos, *Catalogus Scriptorum Ecclesiasticorum*.

Hoc scopo bene cognito, etiam notum fit, num verba sensu litterali proprio aut metaphorico accipienda sint, quid sit principale et accessorium in libro, quae extensio tribuenda sit verbis et phrasibus etc. Sic ex. gr. haec verba Christi (Matth. V, 34-37): «Ego vero dico vobis non jurare omnino», intelliges non ad juramentum absolute prohibendum, sed ad pharisaeorum astutiam reprimendam ordinari, si legas haec quae habentur (Matth. XXIII, 16-22) «Vae vobis, duces caeci, qui dicitis: Quicumque juraverit per templum, nihil est: qui autem juraverit in auro templi, debet: ¡Stulti et caeci! Quid enim majus est, aurum an templum quod sanctificat aurum?—Et quicumque juraverit in altari, nihil est; qui autem juraverit in dono, quod est super illud, debet.—Caeci! Quid enim majus est, donum, an altare quod sanctificat donum» Non ergo Christus omnino vetat ju-

rare, sed sibi proponit avaritiae phariseorum limites adponere, qui etiam juramentum in negotium et lucrum verterunt.

Scopus scriptoris ostendit etiam quid sit principale et quid accessorium, vel quousque extendenda vel restringenda sit sententia: ex. gr. scopus Matthaei I, 18-23. fuit docere Christum conceptum et natum fuisse ex Maria Virgine, et caetera non curat. Illa autem verba. «Et non cognoscebat eam *donec* peperit filium suum *primogenitum*», non significant, Iosephum cognovisse Mariam post Christi nativitatem; nam vocabulum *donec* idem est ac *numquam*, ut in illo loco Isaiae, XXII, 14: «Et revelata est in auribus meis vox Domini exercituum: Si dimittetur iniquitas haec vobis *donec* moriamini»: ubi vox *donec* significat *numquam* dimittetur vobis. In citato loco Matthaei, vox *primogenitum* non denotat, Mariam post Christum alios habuisse filios: nam apud judaeos, primus filius, quamvis postea alii non fuissent, dicebatur *primogenitus*, quia juxta legem Deo offerendus erat. Idcirco ea quae narrat Matthaeus, praeter factum nativitatis Christi, *quid factum non sit ostendunt*, ut ait S. Hieronymus.

2.^o *Intellectualis cultura seu instructio* loquentis, multum etiam confert ad Scripturarum intelligentiam. Nam indubium est, eadem verba in ore hominis rustici et sapientis, diversam saepe habere significationem. Sic cum mater filiorum Zebedaei peteret a Christo, ut filii sui sederent unus ad dexteram et unus ad sinistram in *regno suo* (Matth. XX) nomine *regni* designabat regnum terrenum et temporale: sed in ore Christi, *vox regnum* aliud omnino significat, nam ipse Dominus dixit (Joann. XVIII, 36) «Regnum meum non est de hoc mundo.»


Etiam inter ipsos sacros scriptores, non eadem proprietate scientifica et litteraria loquuntur in V. T. sapientissimus Salomon, et Amos humilis pastor: neque in N. T. Joannes illiteratus et Lucas medicus, Petrus piscator et Paulus theologus.

Conditiones morales loquentis etiam perpendendae sunt ab exegeta. Nemo negabit veram esse illam sententiam Salvatoris, (Matth. XII, 34): «Ex abundantia cordis, os loquitur.» Sic intelliges sensus illius salutationis Judae proditoris. «Ave Rabbi» (Matth. XXVI, 49); et orationis pharisei et publicani in templo, et demum, exclamationis Principis sacerdotum «Blasphemavit» (Matth. XXVI, 65.)

Denique, inter conditiones internas loquentis, recenseri

etiam debent, illae quae dici possent *affectivae*, nempe animi affectus et character personalis loquentis. Nam ut ex experientia constat, affectus odii, irae, laetitiae, indignationis et alii huiusmodi, non raro modificant sensum verborum: habita ratione horum affectuum, recte intelliguntur haec loca Scripturae: (Job. III, 3) «Maledicta dies in qua natus sum» quae verba Job dixit dum magno afficiebatur dolore et tristitia; et hic alius: (Rom. VI, 17) «Gratias ago Deo, quod fuistis servi peccati»; ubi Paulus magna affectus laetitia, gratias agit Deo, quia sui lectores *jam non sunt* servi peccati. (1)

(1) Ad influxum affectuum in sermonem ostendendum, opportunum mihi videtur hoc exemplum desumptum ex aureo opere insignis philosophi hispani Balmes, cui titulus *El Criterio*: «Un viajero poeta atravesando una soledad oye el tañido de una campana, que le distrae de las meditaciones en que estaba embelesado. En su alma no se alberga la fé, pero no es inaccesible á las inspiraciones religiosas. Aquel sonido piadoso en el corazón del desierto cambia de repente la disposición de su espíritu, y le lleva á saborearse en una melancolía grave y severa. Bien pronto descubre la silenciosa mansión, donde buscan asilo lejos del mundo la inocencia y el arrepentimiento. Llega, apéase, llama, con una mezcla de respeto y curiosidad; y al pisar los umbrales del monasterio se encuentra con un venerable anciano, de semblante sereno, de trato cortés y afable. El viajero es obsequiado con afectuosa cordialidad, es conducido á la iglesia, á los claustros, á la biblioteca, á todos los lugares donde hay algo que admirar ó notar. El anciano monge no se aparta de su lado, sostiene la conversación con discernimiento y buen gusto, se muestra tolerante con las opiniones del recién venido, se presta á cuanto pueda complacerle y no se separa de él sino cuando suena la hora del cumplimiento de sus deberes. El corazón del viajero está dulcemente conmovido: el silencio, interrumpido tan solo por el canto de los salmos: la muchedumbre de objetos religiosos que inspiran recogimiento y piedad, unidos á las estimables cualidades y á la bondad y condescendencia del anciano cenobita, inspiran al corazón del viajero sentimientos de religión, de admiración y gratitud, que señorean vivamente su alma. Despidiéndose de su venerable huésped, se aleja meditabundo, llevándose aquellos gratos recuerdos que no olvidará en mucho tiempo. Si en semejante situación de espíritu le place á nuestro poeta intercalar en sus relaciones de viaje algunas reflexiones sobre los institutos religiosos, ¿qué os parece que dirá? Es bien claro. Para él la institución estará en aquel monasterio, y el monasterio estará personificado en el monge cuya memoria le embelesa. Contad, pues, con un eloquente trozo en favor de los institutos religiosos, un anatema contra los filósofos que los destruyen, una lágrima de dolor sobre las ruinas y las tumbas.—Pero ¡ay del monasterio y de todos los institutos monásticos, si el viajero se hubiese encontrado con un huésped de mal talante, de con-



Character personalis loquentis, multum etiam influit in sensum verborum: experientia enim quotidiana edocemur, eadem verba et phrases in ore hominis characteris vel temperamenti nervosi aliud omnino significare ac in ore hominis temperamenti phlegmatici. Id ipsum contingit cum agitur de homine superbo et humili, de homine recto et venali. Character energicus et promptus Petri, suavissimus S Joannis, superbus et vanus pharisaeorum magnam lucem afferunt, ad eorum dicta proprio sensu intelligenda.

Nunc, quaedam adsunt media, ad hujusmodi conditiones internas loquentis cognoscendas: in primis, continua lectio Scripturarum, vi cujus familiaritatem quamdam contrahimus cum personis quae in Sacra Scriptura loquuntur, et sic optime cognoscimus eorum loquendi modum characteristicum: deinde studium operum Patrum praesertim Apostolicorum: demum, ad id multum etiam juvant opera Philonis et Josephi, sicut et libri apocryphi.

Caput VI

138. Regulae pro interpretandis Scripturis quatenus ut libri divinitus inspirati considerantur. = 139. Num in Scripturis ipsis, vel inter Scripturam et humanam historiam et scientiam vera possit inveniri contradictio. = 140. Causae apparentium contradictionum in Scriptura. = 141. Quid faciendum, quando in ipsa Scriptura vel inter Scripturam et humanam historiam et scientiam videtur contradictionem existere.

138. Consideravimus jam Sacram Scripturam ut librum mere humanum, et propoposuimus regulas criticae communis. Nunc considerata est Scriptura quatenus Deum habet autorem, et

versación seca y desabrida, poco aficionado á bellezas literarias y artísticas, y de humor nada bueno para acompañar curiosos! A los ojos del poeta, el monge desagradable habría sido la personificación del instituto; y en castigo del mal recibimiento, hubiera sido condenado este género de vida, y acusado de abatir el espíritu, estrechar el corazón, apartar del trato de los hombres, formar modales ásperos y groseros, y acarrear innumerables males sin producir ningún bien. Y sin embargo, la realidad de las cosas habría permanecido la misma en uno y otro supuesto: mediando solo la casualidad que deparara al viajero acogida más ó menos halagüeña » Cap. XIX, § X.

hominibus tradita est ad eorum sanctificationem in hoc mundo, et glorificationem in futuro saeculo.

Ex hac consideratione, sequentes regulae inferuntur: 1.^a Scriptura non est legenda vana curiositate, aut ad ingenium exercendum, ad eruditionem antiquitatum, scientiarum cognitionem vel litterariam culturam acquirendam; ad hoc enim non fuit a Deo inspirata et hominibus tradita: igitur legenda est spiritu religioso, ad hoc *ut perfectus sit homo Dei et ad omne opus bonum instructus*, ut ait Apostolus (1) et *ad commemorationem fidei nostrae et ad consolationem spei nostrae et ad exhortationem charitatis nostrae*, ut dicit S. Augustinus. (2) 2.^a Scripturae studio praemittenda est *oratio*, nam ut ait S. Hieronymus, «Semper in exponendis Scripturis Spiritus Sancti indigemus adventu;» (3) cui consentit Augustinus dicens: «Admonendi sunt studiosi venerabilium litterarum, ut in S. Scripturis non solum genera locutionum sciant, et quomodo apud eas aliquid dici soleat vigilanter advertant memoriterque teneant, verunt etiam, quod est praecipuum et maxime necessarium, *orent* ut intelligant.» (4) 3.^a Orationi adjungenda est *humilitas*: scriptum est enim: «Declaratio sermonum tuarum illuminat, et intellectum dat parvulis (id est humilibus)» (5) Et S. Augustinus scribit: «Non aliam ad capessendam et obtinendam veritatem, et sacram sapientiam, viam munias, quam quae munita est ab eo, qui gresuum nostrorum, tamquam Deus, videt infirmitatem. Ea est autem prima humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas: et quoties interrogares, hoc idem dicerem.» (6) 4.^a In dictis auctorum inspiratorum, nulla unquam admittenda est falsitas vel error: secus Deus esset erroris et falsitatis auctor; quod impium atque blasphemum est. Dixi *auctorum inspiratorum*, quia saepissime loquuntur in Scripturis homines a Deo minime inspirati, ut amici Job, Pharisei, Pilatus, Epicuræi alique, qui erronea, perversa atque impia non raro proferrunt. In confirmationem hujus regulae adduci possunt quaedam testimonia Patrum: S. Clemens Rom. ait: «Scripturas diligenter inspicite, quae Spiritus Sancti vera sunt oracula: attendite in

(1) III Tim. 16-17.

(2) Con. Faust. XIII, 18.

(3) In Mich. I.

(4) De Doctr. Christ., Lib. III, cap. 37.

(5) Psal. CXVIII, 130.

(6) Epist. 56 ad Diosc.

illis nihil injustum, nihil perversum scriptum esse.» (1) S. Augustinus inquit: «In Scripturis si quid absurdum moxerit, non licet dicere: auctor hujus libri non tenuit veritatem, sed, aut codex mendosus est, aut interpres erravit, aut tu non intelligis.» (2) Et S. Hieronymus ait: «Nefas est dicere, Scripturam mentiri.» (3)

139. Ex consideratione divinae inspirationis S. Scripturae, hae aliae deducuntur regulae: 1.^a In sacra Scriptura nulla datur contradictio seu pugna, modo agatur de locis et rebus a Deo inspiratis: secus Deus sibi ipsi contradiceret quod omnino impossibile est. Praeterea, ubi nulla datur nec dari potest falsitas vel error, neque inveniri potest contradictio, quia veritas veritati numquam contradicit. Quaedam utique inveniuntur in Scripturis antilogiae seu contradictiones; sed postea videbimus, eas non esse reales, sed tantum apparentes, earumque causas explicabimus.

2.^a Inter Sacram Scripturam recte interpretatam, et humanam historiam et scientiam, nulla dari potest contradictio, dummodo facta humanae historiae vera sint, et conclusiones scientificae sint evidenter demonstratae; quia veritas veritati numquam opponitur, et quod verum est in Sacra Scriptura, nequit esse falsum in legitima historia profana vel in scientia quae vere talis sit.

140. Causae antilogiarum seu apparentium contradictionum quae in Sacra Scriptura inveniuntur, sunt tres generales, ut ait S. Augustinus loco supra citato, nempe; 1.^a *codex mendosus*, nam quandoque scriptores mediati seu amanuenses *fallente oculo, vel aure vel memoria*, ut notat Origenes, vel ob similitudinem anterioris sententiae, aliam posuerunt quam ponere non debuerant. Id contingit praesertim in illis textibus qui numeros exhibent dierum vel annorum, pondera, mensuras et alia hujusmodi: cum enim in lingua hebraica, numeri litteris exprimantur, et plures litterae simillimae sint, hinc quod substitutio unius pro alia, magnam secum differentiam afferat, ut dici potest de praesepibus Salomonis, quae vel sunt 40.000 (III. Reg. IV, 26) vel 4.000 (II Par. IX, 25, juxta textum hebraicum;) idem di-

(1) Epist. I ad Corinth. 45.

(2) Cont. Faust. Lib. II, cap. 2.

(3) In Nah. I, 4.

cendumde magna differentia inter textum hebraicum, samaritanum et graecum circa aetatem mundi, vel potius humanitatis; de pondere caesariei Absalonis deque aliis multis. Absque dubio, *fallente oculo*, sic amanuenses scripserunt v. 8, cap. V. epistolae I Joannis: «Et tres sunt qui testimonium dant in terra; Spiritus et aqua et sanguis: *et hi tres unum sunt.*» ob similitudinem cum praecedenti sententia, cum tamen juxta textum graecum legi debeat «*et hi tres in unum sunt.*»

2.^a *Error interpretis*, seu vitium versionis, quando nempe, aliquis locus textus primigenii non est in alteram linguam fideliter et accurate conversus: sic in hac re, tum in versione graeca LXX, et etiam in versione latina S. Hieronymi multa desiderantur, quamvis non in substantialibus.

3.^a *Ignorantia amanuensis, vel interpretis, aut etiam ignorantia et praejudicia lectoris*. Nam quandoque amanuenses non attente legerunt vel audierunt id quod scripturi erant; vel interpretes non bene intellexerunt quod in aliam linguam erant conversuri; et nonnumquam, magna cum temeritate et audacia, quae generatim comitantur ignorantiam, aliqua ex textu sustulerunt, vel proprio Marte addiderunt aut mutaverunt: vel demum lector in Sacra Scriptura non legit nec intelligit quod Scriptura dicit, sed quod secundum sua praejudicia et opiniones, Scriptura dicere debet: sic haeretici contra catholicos testimoniis Scripturae utuntur: inter catholicos ipsos, diversa systemata theologica vel philosophica, testimoniis Scripturae defenduntur, Ad rem Caminero: «Id fieri solet praesertim cum aliquis suum systema metaphysicum, aut morale, vel etiam scientificum per fas vel nefas in Scripturis fundatum esse asserit. Ita celeberrimo Galilaeo Galilaei contigit, dum systema astronomicum Scriptura Sacra male comprobabat, qui proinde ut temerarius exegeta accusatus fuit, cum violentas ejus et contortas interpretationes parum adhuc adulta scientia necessario non postularet. Sed non minus peccaverunt plurimi inter suos adversarios qui doctrinam Scripturae illo systemate labefactatam dictitabant. Cautè igitur in his rebus procedas, nec ita propriam interpretationem affirmes, quasi unica vera sit, ac fidei objectum.» (1)

Aliae etiam dantur causae particulares harum contradictionum apparentium: 1.^a *diversus narrandi modus*; nam unus

(1) Manual Isag. Sect. V, Cap. VIII.

auctor rem prolixius narrat minoribus etiam circumstantiis additis; alter eandem brevius describit pluribus omissis; vel unus generalioribus verbis quam alter utitur; aut numerum rotundum pro exacto adhibet, vel in computando tempore non eundem morem sequuntur: ex. gr., evangelica historia plura narrat, nempe Magorum adventum, fugam in Aegyptum, infanticidium Bethlehemiticum, colloquium Christi cum Nicodemo et Samaritana, resurrectionem Lazari et alia, quae quamvis non ab omnibus Evangelistis narrentur, non tamen ideo rejicienda sunt, quia nullus Evangelistarum sibi proposuit completam et integram Christi Domini historiam texere. Matthaeus (XXVII, 44) ait: «Idipsum et *latrones*, qui crucifixi erant cum eo, improperebant ei»; sed Lucas (XXIII, 39) inquit: «*Unus* autem de his, qui pendebant, latronibus, blasphemabat eum (Christum).... Respondens autem alter (latro) increpabat eum (latronem)» Sed in his nulla datur contradictio; nam S. Lucas rem accuratius et explicatius tractat, Matthaeus vero generalioribus verbis usus, latrones plurali numero posuit per quamdam extensionem: sic S. Augustinus. Putavit Chrysostomus et cum ipso alii Patres, prius, duos latrones blasphemasse, sed postea, unum ex eis, vi divinae gratiae Christum adorasse ut Deum.

Marcus (XV, 25) scribit: «Erat autem *hora tertia*, et crucifixerunt eum» et Joannes (XIX, 14), «Erat autem Parasceve Paschae, *hora quasi sexta*, et dicit (Pilatus) judaeis: Ecce rex vester.», quae duo loca videntur vere contradictoria: tamen contradictio evanescit, si consideremus, Marcum horas numerasse more hebraeorum, Joannem autem more graecorum et romanorum, ut constat ex cap. I, 39 et IV, 52 ipsius Evangelii.

2.^a *Diversa nomina unius personae*, occasionem etiam dant apparentibus antilogiis; nam quandoque unum, quandoque alterum ponitur in Scriptura; vel unum idemque nomen pluribus personis applicatur, quia ipsis erat commune; unde ea quae de Levi, Simone et Nathanaele dicuntur, intelligi debent respective de Matthaeo, Petro et Bartholomaeo, qui haec duo nomina habebant. Similiter Darius filius Hystaspis vocatur in Scriptura, tum Assuerus, tum etiam Artaxerxes, quia primum nomen erat commune regibus Medorum, alterum Persarum; sed Darius erat rex Medorum et Persarum.

3.^a *Multiplicitas facti similis*: nam in Scripturis, plura facta similia sunt, sed non identica; et idcirco diversitas vel etiam

oppositio circumstantiarum, minime arguit contradictionem scripturariam: quia contradictio est affirmatio et negatio simultanea *unius ac ejusdem rei seu facti*, et sub eodem respectu: sic facta unctionis mulieris peccatricis (Luc. VII, 37), et Mariae sororis Lazari (Joann. XII, 1) similia sunt, sed non identica, juxta plures interpretes. Idem dicendum de parabolis (Matth. XXV, 14-30, et Luc. XIX, 12-27). Quoad V. T. diversimode exponitur magnanimitas Davidis cum Saule; sed nihil mirum si consideres, duabus occasionibus Davidem hanc virtutem exercuisse: altera in spelunca Engaddi, cum praecidit oram chlamydis Saulis (I Reg. XXIV, 5), altera in Gabaa. cum David tulit hastam et scyphum aquae, qui erat ad caput Saulis, (Ibid. XXVI, 12).

4.^a *Diversitas personarum loquentium*; quia non raro, in Scripturis personae ita facta narrant, ut verae narrationi repugnent: sic, legimus (I Reg. XXXI, 4) Saulem in praelio vulneratum, seipsum occidisse ad manus hostium effugiendas; et haec est vera narratio: non vero alia (II Reg. I, 2-10) ubi dicitur Saulem occisum fuisse ab Amalecita; hic enim mentitus est mercedem a Davide sperans.

5.^a *Diversus scopus auctorum*, multum etiam confert ad apparentes contradictiones solvendas; nam ex. gr. Paulus ad Romanos scribens, ita efficaciam fidei urget, ut videatur eam sufficientem facere ad salutem: et e contra Jacobus efficaciam nudae fidei omnino rejicit: neque tamen ulla est contradictio inter duas Epistolas: Apostolus enim sibi proposuerat, Romanis ostendere vitam christianam ex Dei misericordia pendere; finis vero seu scopus Jacobi erat necessitatem bonorum operum ad salutem demonstrare. Etiam haec duo loca (Prov. XXVI, 4) «Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam» et (Ibid. v. 5) «Responde stulto juxta stultitiam suam» apparenter contradictoria sunt, non autem scopo auctoris cognito: nam v. 4, auctor subjungit *ne efficiaris ei similis*; sed v. 5, *ne sibi sapiens esse videatur*.

6.^a Demum *duplex Christi natura* saepe antilogiarum apparentium est causa: nam quandoque dicitur in Scripturis, Christum esse aequalem Patri et etiam minorem Patri; super omnes angelos constitutum et paulo ab ipsis minoratum; modo depingitur ut gloriosus et triumphans, modo ut humilis et victus; sive ipsi tribuuntur honores et attributa divina, sive abjudicantur.

Plures hujusmodi antilogiae sunt in Prophetis, Evangeliiis et Epistolis, quae facile evanescent, si oblivioni non detur, Christum esse verum Deum verumque hominem juxta doctrinam catholicam.

141. Nunc quaeritur: 1.^o quid faciendum sit, quando duo Scripturae loca videntur contradictoria. Ut saepe dictum est, Deus sibi minime contradicit: cum ergo ipse sit totius Scripturae auctor, nulla dari potest contradictio inter loca divinitus inspirata. Igitur omni cura et assiduitate, legendae et perlegendae sunt Scripturae, sicut etiam Patrum opera, praesertim expositoria: quod si his aliisque subsidiis criticis tum internis tum externis adhibitis, difficultas seu contradictio non evanescat, fatendum est, ut ait S. Augustinus, aut codicem quo utimur mendosum esse, aut nos non bene intelligere loca apparenter contradictoria: haec sapientissima regula quotidiana experientia confirmata est. Unde Scripturae interpretes et lectores, hanc divi Thomae sententiam prae oculis habere debent: «Cum Scriptura divina multipliciter exponi possit, nulli expositioni aliquis ita praecise inhaereat, ut si certa ratione constiterit hoc esse falsum quod aliquis sensum Scripturae esse credebat, id nihilominus asserere praesumat, ne Scriptura ex hoc ab infidelibus derideatur, et ne eis via credendi praecludatur.» (1)

2.^o Quid faciendum sit, quando inter Scripturam et historiam profanam et scientias naturales, aliqua apparet contradictio. Inter Scripturam *recte intellectam* et *veram* historiam profanam et *evidentem* conclusionem scientificam, certum est, nullam dari posse contradictionem, quia veritas veritati minime opponitur. Si ergo omnibus subsidiis criticis adhibitis contradictio perseveret, dicendum est, aut codicem Scripturae quo utimur esse corruptum, aut textum a nobis non recte interpretatum, vel historiam profanam esse adulteratam et mendacem, et conclusionem scientificam non esse nisi hypothesim plus vel minus probabilem, sed adhuc non evidenter demonstratam.

Quod attinet ad historiam profanam, notandum est, origines fere omnium antiquorum populorum esse mythologicas et fabulosas: unde, quod Juvenalis dicit de Graecis «Quidquid Graecia mendax audet in historia», id de reliquis gentibus asserere licet, ut alio loco videbimus.

(1) Summ. Theol. P. I. Q. LXVIII, art. 1.

Historici nostri temporis, plura quidem habent media ad antiquorum populorum historiam cognoscendam, ut ex. gr. inscriptiones hieroglyphicae, cuneiformes, et innumera monumenta historica graeca, latina, aegyptiaca, assyriaca, babylonica, persica, punica, moabitica etc. etc. Ope horum documentorum, *pauca* de antiquitatibus historicis *certo* dici possunt: *nonnulla* tantum *probabiliter*, et *plurima* omnino *incerte*. Nam illa quae secundum aliquod systema ut certa habentur, postea, novo aliquo monumento detecto, ut omnino falsa habita sunt. Sic disputatur inter aegyptologos, num triginta Manethonis dinastiae successivae sint, an aliquae simultaneae: explicationes quae de aedificatione turris Babelicae juxta quamdam inscriptionem ab omnibus admittebantur anno 1857, hodie omnino rejiciuntur. Hae differentiae facile concipiuntur, considerando, artem legendi antiquam scripturam adhuc ad suum apicem non pervenisse: et insuper multa documenta esse mutila, et inter illa, quae idem factum referunt, lectiones variantes inveniri. Demum quo magis progreditur archaeologia historica, eo magis apparet concordia historiae profanae cum historia biblica. (1)

(1) Ad rem eruditissimus Valbuena: «Es muy digno de notar, escribe Bichell, que los dos grandes descubrimientos históricos de nuestra época se dan mutuamente la mano para establecer el origen mosaico del Pentateuco. Mientras que la Egiptología nos hace conocer hasta en sus más pequeños detalles el estado del Egipto y atestigua así la autenticidad de este libro, obligando á admitir á un autor que, como Moisés, haya vivido en el valle del Nilo, la Asiriología demuestra la falsedad de la hipótesis fragmentaria y prueba la unidad de este escrito fundamental de la revelación divina.--Poco tiempo ha, dice Neteler, se consideraba como época mítica la en que escribió el profeta Isaías: pero la epigrafía asiria hizola entrar en el cuadro de los tiempos históricos. Parecía que al descubrirse los viejos documentos orientales, había contradicciones insolubles entre los relatos asirios y las relaciones bíblicas; pero eso no era nada.... Aquellos asirios que parecían resuscitar para poner un nuevo cerco á Jerusalém y dar al traste con el canon del Antiguo Testamento, testifican, por el contrario, en favor de los hechos que no se querían admitir por la autoridad de los libros hebreos. Los datos bíblicos y los datos asirios se confirman recíprocamente.—Añadamos el testimonio de Chabas, que no es menos expresivo: Dupuis, dice, después de haber fundado su cronología de 14 ó 15.000 años sobre la base de los zodiacos de Denderah, exclamaba complacido: He arrojado el áncora de la verdad en medio del océano de los tiempos. Y lo que había hecho fué arrojar su áncora en medio de un océano de errores. En el momento en que escribía Dupuis su libro, nacía Champollion en Figeac, y treinta años después descifraba los gero-



Quoad relationes Sacrae Scripturae cum scientiis naturalibus, animadvertendum est, sacros scriptores ab Spiritu Sancto inspiratos, non sibi proposuisse scientifice loqui, sed modo vulgari et juxta scientiae statum in illis temporibus: eorum enim finis praecipuus fuit, ut saepe diximus, hominibus tradere veritatem religiosam. Ex alia parte, notandum est, plures apparentes contradictiones deberi ignorantiae et pertinaciae interpretum, etiam catholicorum, qui ad sua systemata defendenda, Scripturas contorquent, iisque abutuntur. Progressus vero scientificus non raro docet antiquam interpretationem per novam aliam substituendam esse, ut contingit quoad dies genesiacos, universalitatem diluvii etc. Neque tamen ex hoc sequitur, omnes conclusiones modernae scientiae ut totidem theses habendas esse; plerumque enim non aliud sunt nisi

glifcos, que permitían hacer constar que los famosos zodiacos egipcios eran simples zodiacos griegos de la época romana, que por lo mismo no sirvieron para demostrar la falsedad de la cronología bíblica, sino para hacer dar un batacazo cronológico á Dupuis y los que le siguieron en sus entusiasmos.—Para evitar nosotros esas estruendosas caídas, queremos señalar con anticipación el crédito y la autoridad que merecen los nuevos textos sacados de entre las ruinas de antiguas ciudades, ó encontrados en las paredes de los templos y en los sarcófagos de los difuntos.—Notemos ante todo que, por efecto de la polifonia, hay muchos pasajes, aún de los descubiertos y traducidos, acerca de cuyo sentido no se han puesto de acuerdo los sabios: entendiéndolos unos de una manera y otros de otra bien distinta. Ya se vé que estos textos solo pueden producir una opinión más ó menos probable, según que las razones y las autoridades que las alegan sean de mayor ó menor peso: pero no engendran certeza, mientras no se pongan de acuerdo los intérpretes acerca del verdadero sentido del controvertido pasaje. Otros muchos textos se encuentran mutilados por haberse roto las piedras ó ladrillos en que se hallaban escritos: ó porque la acción del tiempo ú otras causas borraron algunos de los caracteres, que es preciso adivinar. Tampoco estos sirven para hacer con ellos una demostración concluyente, toda vez que la mutilación de los originales deja siempre en el ánimo la duda de si se habrán llenado con acierto las lagunas y se habrán suplido sin error las faltas de letras.—Cuando el texto está íntegro y la interpretación de los sabios concorde, la autoridad de los textos egipcios ó asiáticos es de un peso incontrastable, por regla general, sobre todo en los que tienen caracter de oficiales... No por eso se les debe conceder una fé ciega á tales documentos, y bastante será que tengan para nosotros el mismo valor de los relatos oficiales de nuestros tiempos, que tan discordes suelen ser por parte de los bandos beligerantes respecto á un mismo hecho de armas.» *Egipto y Asiria resuscitados*, P. I., Lib. I, Cap. V.

merae hypotheses, quae idcirco nonnumquam Sacrae Scripturae contradicunt; sed cum investigationes scientiarum naturalium ad categoriam conclusionum scientificarum evehuntur, tunc Scripturae doctrinam mirabiliter confirmant atque illustrent, ut postea suo loco videbimus. (1)

Caput VII

142. Hermeneutica catholica. = 143. Regula interpretationis a Concilio Tridentino statuta = 144. Exponitur haec regula, et ejus rationabilitas ostenditur adversus protestantes et incredulos. = 145. Analogia fidei.

142. Huc usque tractavimus de Sacra Scriptura, quatenus est non solum liber humana industria conscriptus, sed etiam quatenus a Deo inspiratus est: huic duplici adspectui respondent, hermeneutica communis seu rationalista et protestantica. Nunc ipsam Scripturam considerabimus, non modo ut librum divinitus inspiratum, sed etiam *ut talem nobis ab Ecclesia catholica propositum*. Hic tertius aspectus, novas regulas interpretationis exigit, quae quidem constituunt *hermeneuticam catholicam*, seu modum interpretandi Scripturas juxta regulas ab Ecclesia catholica statutas.

Primo, trademus fundamentalem regulam ab Ecclesia fidelibus propositam, et postea ipsius rationabilitatem adversus protestantes et incredulos ostendemus.

143. Concilium Tridentinum ad interpretandas Scripturas hanc regulam statuit: «Praeterea ad coercenda petulantia ingenia decernit Sancta Sinodus, ut nemo suae prudentiae innixus, in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum quem tenuit ac tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Sacrarum Scripturarum aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Sacram Scripturam interpretari audeat, etiamsi hujusmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendae forent.» (2)

(1) Conf. Cornely *Introd. Gener. Dissert. III, Sect. I, Cap. II.*

(2) Sess. IV, Decret de Sac. et can. Scrip.

Hoc decretum confirmavit Concilium Vaticanum his verbis: «Quoniam vero quae Sancta Tridentina Synodus de interpretatione divinae Scripturae ad coercenda petulantia ingenia salubriter decrevit, a quibusdam hominibus prave exponuntur, Nos idem decretum renovantes, hanc illius esse mentem declaramus, ut in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, is pro vero sensu Sacrae Scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum Sanctorum, atque ideo nemini licere contra hunc sensum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam Sacram interpretari.» (1)

144. Nemini licet Sacram Scripturam interpretari in rebus fidei et morum 1.^o *contra eum sensum quem tenuit et tenet Ecclesia Catholica.*

Multiplici ratione probari potest, Deum statuisse judicem ac interpretem Sacrae Scripturae, non spiritum privatum seu rationem individualement, ut dicunt protestantes, sed Ecclesiam quam ideo infallibilitate munivit. Probatur ex Sacra Scriptura: quoad V. T. constat magisterium legitimum institutum fuisse ad Legem interpretandam: legitur enim Deuter. XVII, 8 et seqq: Si difficile et ambiguum apud te iudicium perspexeris... et iudicia intra portas tuas videris verba variari surge et ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus: veniesque ad Sacerdotes Levitici generis, et ad iudicem qui fuerit illo tempore; quaeresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicii veritatem. Et facies quodcumque dixerint... et docuerint te juxta legem ejus: sequensque sententiam eorum... qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio... et decreto iudicis, morietur.» Hoc loco, sermo est de sententia ferenda juxta Legem Moysis. Hoc etiam confirmant Esdras et Malachias qui loquuntur de *lege accipienda ab ore sacerdotum.*

Quoad N. T., haec veritas constat ex praxi ipsius Christi, qui in sinagogis exposuit prophetias prius lectas, et discipulis suis explicavit ea quae de ipso scripta erant in Lege, Prophetis et Psalmis, et plura eos docuit de *regno Dei*, illo quadraginta dierum spatio quo jam resuscitatus Apostolis apparuit et cum eis familiariter conversatus est. Hoc vero Christus non

(1) Sess. III, c. 2, De revelat.

faceret, si ad rectam intelligentiam Scripturarum, Spiritus privatus seu ratio individualis sufficeret.

Id ipsum fecerunt Apostoli, quibus Christus *aperuit sensum ut intelligerent Scripturas* (1) et promisit suam assistentiam usque ad consummationem saeculi (2). Ex lectione praesertim Epistolarum abunde constat, Apostolos non modo Vetus Testamentum, sed etiam Novum fidelibus exposuisse. Hoc saepe fecit S. Paulus, cum adjecta secunda Epistola, primam exponebat quia prave intellecta fuerat ab iis ad quos scripta fuit, ut contigit cum I Epist. ad Thessalonicenses. Etiam S. Petrus asserit quaedam esse obscura et difficilia in Epistolis S. Pauli, *quae indocti et instabiles depravant ad suam ipsorum perditionem* (3) Ergo credendum est hujusmodi loca Scripturae ab Apostolis, ad vitandam fidelium perditionem, explicata et exposita fuisse. Nunc vero, si hujusmodi vivum magisterium necessarium fuit primo Ecclesiae saeculo, cum Scriptura Sacra exarata erat lingua omnibus notissima, fatendum est posterioribus temporibus hanc necessitatem majorem procul dubio fuisse, cum versiones, quamvis authenticae, ea loca quae obscura erant in primigeniis textibus, adhuc obscuriora faciant vel reddant.

Haec eadem veritas evincitur auctoritate Sanctorum Patrum: «Ubi charismata Domini posita sunt, inquit S. Irenaeus, ibi discere oportet veritatem, apud quos est ea, quae est ab Apostolis Ecclesiae successio, et id quod est sanum et irreprobabile conservationis, et inadulteratum et incorruptibile sermonis constat. Hi enim et eam, quae est in unum Deum, qui omnia fecit, fidem nostram custodiunt, et eam, quae est in Filium Dei, dilectionem adaugent, et *Scripturas sine periculo nobis exponunt*, neque Deum blasphemantes, neque Patriarchas exhonorantes, neque Prophetas contemnentes.» (4) Et S. Augustinus ait: «Cum verba propria faciunt ambiguum Scripturam, primo videndum est, ne male distinxerimus.... cum ergo adhibita intentio incertum esse perviderit, quomodo distinguendum aut quomodo pronuntiandum sit, consulat regulam fidei quam de Scripturarum planioribus locis et Ecclesiae auctoritate per-

(1) Luc. XXIV, 43.

(2) Matth. XXVIII, 20.

(3) II Pet. III, 16.

(4) Adv. haer. IV, 26, 5.

cepit.» (1) Audiatur demum Vicent. Lirin.: «Hic forsam requirit aliquis; cum sit perfectus Scripturarum canon sibi que ad omnia satis superque sufficiat, quid opus est, ut ei ecclesiasticae intelligentiae jungatur auctoritas? Quia videlicet Scripturam pro ipsa sua altitudine non uno eodemque sensu universi accipiunt, sed ejusdem eloquia aliter atque aliter alius atque alius interpretatur, ut paene quot homines sunt, tot illius sententiae erui posse videantur. Aliter namque illam Novatianus, aliter Sabellius, aliter Donatus, aliter Arius.... aliter postremo Nestorius. Atque idcirco multum necesse est propter tantos tam varii erroris anfractus, ut propheticae et apostolicae interpretationis linea secundum ecclesiastici et catholici sensus normam dirigatur.» (2)

Hanc eandem veritatem probat *praxis Ecclesiae*, quae omnibus temporibus, data occasione, Sacram Scripturam interpretata est, ut constat ex apologiis priorum saeculorum, definitionibus conciliorum, decretis Romanorum Pontificum, commentariis et expositionibus Patrum et Doctorum, damnationibus haereticorum, praedicationibus episcoporum et presbyterorum etc: nunc vero, ut ait S. Augustinus, «Insolentissimae insaniae est, disputare de eo, quod per totum orbem frequentat Ecclesia.» (3)

Demum, probatur thesis *rationis argumento*. Deus plura ad aeternam salutem necessaria consignari voluit in Sacris Libris, et idcirco vult ut ab omnibus eodem modo intelligantur et credantur: cum vero, non pauca ex his valde obscura sint, absque dubio, medium aliquod instituit quod esse fundamentum unitatis fidei et ideo intelligentiae Scripturarum: hoc vero medium nequit esse spiritus privatus seu ratio individualis, quae non unitatem sed multiplicitatem fidei secum fert, ut ex historia Protestantismi abunde constat; ergo iudicem aliquem et interpretem infallibilem Scripturarum Deus constituit, qui omnes lites quaestionesque dirimeret, et verum atque authenticum sensum Scripturarum omnibus christianis proponeret: hic vero iudex et interpret infallibilis est Ecclesia Catholica. Hoc agnoverunt etiam haeretici, qui conveniebant in tuenda, vel saltem

(1) De Doctr. christ. Lib. III. Cap. 2.

(2) Commonit. 2.

(3) Epist. LIV, 6.

non neganda Ecclesiae auctoritate, cum agebatur de damnatione aliorum haereticorum: sic Donatistae ut veras et legitimas habuerunt Ecclesiae definitiones contra Arianos et Manichaeos; similiter Eutichiani contra Nestorianos, et sic de caeteris. Tantummodo, cum ipsorum expositiones scripturariae ab Ecclesia damnabantur, tunc jam nulla erat auctoritas Ecclesiae, neque ad eam pertinebat interpretatio legitima et authentica Scripturarum.

Nunc quaeritur, quomodo dignoscatur *sensus Scripturae quem tenuit et tenet sancta Mater Ecclesia*. Dupliciter potest cognosci: 1.^o *directe* quando adest aliquod solemne decretum vel definitio Ecclesiae: sic Concilium Tridentinum definivit (Sess. V, c. 2. 4) verba Apostoli ad Rom. V, 12, intelligenda esse de peccato originali: (Sess. V, c. 4 et Sess. VII, De Bapt. c. 2) verba Joann. III, 5, de absoluta necessitate Baptismi, et de necessitate etiam aquae naturalis ad Baptismum interpretatum est: (Sess. XIII, c. 2) declaravit, verba consecrationis «*hoc est corpus meum* non metaphorico sed litterali sensu accipienda esse: similiter dum damnavit doctrinam Lutheri de sola fide justificante, docuit illa loca Scripturae quae, prima fronte, solam fidem ad salutem sufficientem declarare videntur, intelligenda esse non de sola fide, sed charitate conjuncta. Itemque Concilium Vaticanum (Const. de Eccles. c. I) definivit verba Matth. XVI, 16 seqq. et Joann. XXI, 15 et seqq. intelligenda esse de primatu jurisdictionis in universam Ecclesiam B. Petro promisso atque collato.

Hic sensus Ecclesiae dignoscitur, 2.^o *indirecte*, ex praxi nempe ipsius Ecclesiae. Sic cultus sanctorum et imaginum docet prohibitionem judaeis factam cessare cum Veteri Lege. Similiter cum Ecclesia in Officio divino canit in honorem B. M. Virginis, «*Post partum Virgo inviolata permansisti*» sufficienter declarat, illa loca Scripturae in quibus sermo est de fratribus Christi, intelligenda non esse de fratribus Christi uterinis, sed de ejus propinquis.

Nemini licet interpretari Sacrum Scripturam, in rebus fidei et morum, 2.^o *contra unanimum consensum Patrum*. Hic, nomine Patrum intelligimus cum Ecclesia, non omnes scriptores ecclesiasticos, sed illos tantum, qui sanctitate, sapientia et antiquitate hoc titulo ab Ecclesia, tacite vel aperte, donati sunt. Quoad *unanimitatem* consensus, omnes fatentur non requiri *unanimitatem absolutam et mathematicam*, ita ut omnes omnino Patres, in inter-

pretando aliquo Scripturae loco convenire debeant; sed sufficit unanimitas *relativa* et *moralis*. Quando autem detur haec *moralis unanimitas*, ex quibusdam adjunctis dignoscitur. Datur, in primis, quando major et illustrior pars sanctorum Patrum in eadem interpretatione convenit. Etiam datur haec unanimitas, quamvis Patres pauci sint qui in eadem interpretatione conveniunt, modo caeteri qui eodem vel posteriori tempore floruerunt, nihil contra hujusmodi interpretationem dicant.

Tamen, ut interpretatio aliqua sit secundum unanimem consensum Patrum, necesse est ut Patres absque ulla haesitatione hanc interpretationem proponant ut omnino certam et ab omnibus necessario tenendam, ita ut Patres loquantur non praecise ut theologi, vel exegetae aut critici, sed reduplicative ut Patres, id est, ut *testes revelationis*: hoc enim casu tantum Patres infallibilitate pollere constat ex Locit Theologicis.

Probatur itaque Thesis: 1.^o Interpretatio quae eruitur ex unanimi consensu Patrum est ipsa interpretatio Ecclesiae, quia Patres semper secuti sunt doctrinam Ecclesiae: «Quod invenerunt in Ecclesia, inquit Augustinus, tenuerunt; quod didicerunt docuerunt: quod a patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt» (1); atqui Ecclesiae interpretatio vera est, quia ad ipsam pertinet judicare de vero sensu Scripturarum; ego etiam Patrum interpretatio vera dici debet: secus, id est, si Patres unanimiter in falsum sensum convenissent, necessario secum in errorem pertraxissent totam Ecclesiam quae Patres uti magistros et duces sequitur in exponendis Scripturis.

2.^o Probatur eadem veritas testimoniis SS. Patrum: S. Hieronymus, qui merito in interpretandis Scripturis, ut Doctor Maximus habetur, inquit in epistola ad Eustochium: «Praestitit ut docerem quae didiceram, non a me ipso, id est, a praesumptione mea, pessimo praeceptore, sed ab illustribus Ecclesiae viris:» et in epistola ad Domnion ait: «Fateor enim, mi Domnion et Rogatione charissimi, numquam me in divinis voluminibus propriis viribus credidisse, nec habuisse opinionem meam, sed ea etiam de quibus scire me arbitrabar interrogare solitum fuisse.»

3.^o Accedit etiam Conciliorum auctoritas: nam etiam exceptis decretis Concilii Tridentini et Vaticani, jam Concilium Trullanum decrevit: «Si ad Scripturam pertinens controversia

(1) Contr. Jul. Lib. II, c. 10.

excitata fuerit, ne eam aliter interpretentur, quam quomodo Ecclesiae luminaria et doctores suis scriptis exposuerunt.» et Concilium Viennense loquens de interpretatione Joann. XIX, 32 seqq. ait: «Nos ad sanctorum patrum et doctorum communem sententiam apostolicae considerationis aciem convertentes... declaramus etc.» Demum Concilium Later V. hoc decrevit pro praedicatoribus Evangelii: «Mandamus omnibus, ut sacram scripturam, juxta interpretationem doctorum, quos Ecclesia vel usus approbavit explanentur.» (1)

Concilium Tridentinum in suo decreto addit haec verba, «*in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium*»; quae quidem verba respiciunt partes Scripturae dogmaticas; non tamen omnes, quia quaedam sunt loca dogmatica, quae nec Ecclesia nec Patres authentice exposuerunt. Unde Pallavicinius aptissime monet interpretes «amplissimum patere campum ad ingenium exercendum in Scripturae commentationibus, tametsi in fidei morumque quaestionibus nefas sit eas desere interpretaciones, quas universa Patrum cohors complexa est, nec quidquam obstare, quominus illis in rebus, quae fidem moresque non tangunt, ut in historicis, physicis aliisque id genus quaestionibus Patrum opiniones relinquantur.» (2) Tamen animadvertendum est, plura esse *historica*, *philosophica* et *physica* quae intimum ac necessarium nexum habent cum rebus dogmaticis: unde in his non datur libertas interpretationis. Si enim liberum esset amplecti opiniones *historicas* Strauss et Renan circa miracula Christi; et *philosophicas* Spinozae circa naturam mundi; et *antropologicas* Darvvin et Haeckel circa primam hominis productionem; et *geologicas* eorum qui aeternitatem materiae praedicant, quid esset de Scriptura? quid de ipsa christiana religione?

Nunc quasdam adversariorum objectiones solvemus:

Dicunt 1.^o hoc decretum esse tyrannicum et libertatem interpretum laedere.

Resp. hoc falsissimum esse: scopus enim hujus decreti est limites apponere, non libertati, sed effrenatae licentiae quorundam interpretum: Concilium enim Tridentinum edidit hoc decretum «ad coercenda *petulantia* ingenia.» Praeterea absoluta

(1) Sess. XI.

(2) Hist. Conc. Trident. VI. 15, n. 3.

et omnimoda libertas neque in philosophicis conceditur, sed in omni scientia quaedam sunt leges et canones a ratione, vel experientia, vel etiam auctoritate scientifica derivatae, quibus subjici tenentur qui hujusmodi scientiis operam dant: unde dubitatio Cartesiana, quamvis theoretice admitti possit, tamen in praxi generatim merito rejicitur, quia pluribus erroribus praebet aditum, ut ex historia philosophiae constat. Hoc a fortiori dicendum est de Sacris Scripturis, ubi plura sive ratione sui sive ratione formae litterariae difficillima sunt, et nonnumquam supra captum humani intellectus posita. Ergo decretum de quo loquimur, libertatem et jura interpretis non laedit, sed ipsum juvat, ut absque erroris periculo verum Scripturarum sensum acquirat.

Dicunt 2.^o hoc decretum intercludere interpretibus omnem progressum hermeneuticum, eorum inertiam fovere et causam esse quare interpretes catholici pauci sint, et protestantibus inferiores.

Resp. falsitatem hujus objectionis ex eo constare, quod decretum non ad omnia se extendat, sed tantum ad res fidei et morum: unde amplum relinquit campum interpretibus ad suas investigationes hermeneuticas faciendas. Praeterea in ipsis locis in quibus agitur de rebus fidei et morum, quaeque vel ab Ecclesia vel a Patribus interpretata sunt, dici nequid nihil esse interpretum ingenio et industriae relictum: interpres enim potest illa loca enucleare, cum aliis comparare, adversus haereticorum cavillationes confirmare, profundius scrutari et ex his aptissimas consequentias deducere, ut faciunt illustriores Theologiae auctores.

Quoad majorem numerum et praestantiam interpretum protestantium, dicendum est, non esse judicandum de interpretum merito ex numero et magnitudine voluminum, neque ex copia eruditionis philologicae et archaeologicae, sed ex veritate, soliditate et etiam quadam pia unctione interpretationum; in hoc autem catholicos interpretes, ut Sanctius, Cornelius a Lapide, Maldonatus, Tostatus, Estius, etc. longue interpretibus protestantibus praestare, negari nequit.

Dicunt 3.^o per hoc decretum, Scripturam ab humana auctoritate pendere.

Resp. hic magnam esse confusionem: nam in primis, auctoritas Ecclesiae nequit proprie dici humana, cum secundum promi-

ssionem Christi infallibilitate gaudeat, supra omnem humanam auctoritatem posita. Deinde, Ecclesiae vel Sanctorum Patrum interpretatio, non est ad vim aliquam *intrinsecam* Scripturis tribuendam, cum hanc veritatis et infallibilitatis vim habeant ab Spiritu Sancto eas dictante: sed tantum ad earum verum atque legitimum sensum fidelibus proponendum: nam ex eo quod Scriptura infallibilis sit, minime sequitur nos etiam infallibiles esse in ejus interpretatione.

Nota, juxta verba Concilii Tridentini, decretum de quo sermo est, editum fuisse, non *ad tempus* sed in *perpetuum*, quia numquam deerunt *petulantia ingenia* quae Scripturas pervertant. (1)

145. *Analogia fidei*, seu interpretatio *analogica ad fidem* illa dicitur quae quamvis non sit vera et propria alicujus loci Sacrae Scripturae interpretatio, tamen doctrinae revelatae minime opponitur. Nam inter omnes veritates quae sive per Traditionem, sive per Scripturam accepimus, necessario datur conformitas et harmonia, quae constituit *analogiam fidei*.

Ex hoc infertur, omnem interpretationem et doctrinam alicui loco Sacrae Scripturae legitime interpretato contrariam, rejiciendam esse: quod si contraria non sit, admitti potest, quamvis non ut propria et vere exegetica: ex. gr.; si quis verba illa Davidis (Psal. XVII, 26) «Cum sancto sanctus eris et cum perverso perverteris», de utilitate vel periculo se associandi amicis bonis vel malis interpretaretur, hujusmodi interpretatio non esset legitima, quia hoc loco David non de hominibus sed de Deo loquitur; tamen esset *analogica ad fidem* quia optime convenit cum aliis Sacrae Scripturae locis.

Haec harmonia inter veritates contentas in Scripturis, dicitur *analogia fidei biblicae*, et hanc solam admittunt protestantes, qui non aliam fidei regulam agnoscunt quam Sacram Scripturam. Sed catholici insuper agnoscimus analogiam seu harmoniam inter omnes veritates quae sive in Scripturis, sive in Traditione et vivo Ecclesiae magisterio habentur: et haec analogia dicitur *fidei catholicae*. Et ratio est, quia Scriptura immerito a protestantibus habetur ut unicus revelationis fons. Idcirco omnis Scripturae interpretatio quae aliquam Sanctorum Patrum vel Ecclesiae doctrinam laedit, omnino rejicienda est. Ex. gr.; quidam lotionem pedum (Joann. XIII, 4-12) interpretantur de

(1) Fuse de his, Ubaldi, *Op. cit.* Introd. exeg. P. II, Sect. II, Art. I

institutione alicujus Sacramenti; sed haec interpretatio rejici debet, quia opponitur certissimae doctrinae Ecclesiae de numero septenario Sacramentorum. Similiter, si quis ex locis illis in quibus agitur de institutione Eucharistiae sub speciebus panis et vini a Christo Domino, et ipsius praecepto *hoc faciendi in suam commemorationem*, inferret necessitatem communicandi sub utraque specie, contra doctrinam et praxim Ecclesiae ageret.

Hanc traditionem et vivum Ecclesiae magisterium supponunt etiam sacri scriptores qui non modo litteris sed etiam verbis fideles docuerunt, eosque monent, ut servant ea quae *audierunt*: ex. gr.; Apostolus (II. Thess. II, 15) scribit. «Itaque fratres, state et tenete *traditiones* quas didicistis sive per *sermonem*, sive per epistolam nostram.» Et Joann (II Epist. v. 12): Plura habens vobis scribere, nolui per chartam et atramentum, spero enim me futurum apud vos *et os ad os loqui*.»

Hanc eandem normam prae oculis semper habuerunt Patres in Scripturis exponendis, ut nempe, «Propheticae et Apostolicae interpretationis linea secundum Ecclesiastici et Catholici sensus normam dirigatur» juxta dictum Vincentii Lirinensis.

Ergo interpretatio *analogica ad fidem*, non modo nititur harmoniae *fidei biblicae*, sed etiam *fidei catholicae*.

Caput VIII

146. Hermeneutica rationalista. = 147. Systemata accommodationis, et interpretationis moralis; systema psychologicum, mythico-legendarium et panharmonicum exponuntur et rejiciuntur. = 148. Celebriores interpretes hispani et exteri catholici et non catholici.

146. Fautores Protestantismi ut Lutherus et Calvinus, eorumque primi discipuli, Sacram Scripturam, non modo divinitus inspiratam esse docuerunt, sed etiam unicam regulam fidei, atque adeo claram ut a quolibet ratione utente facile interpretari posset: sed jam saeculo XVIII, rationalismus et indifferentismus religiosus propagari coeperunt, et anno 1774 H. Samuel Reimarus professor Hamburgensis quaedam scripsit *Fragmenta* quae dicuntur *Wolfenbiittel* quaeque in lucem edidit Lessing ab anno 1774 ad 1777: in his fragmentis aperte negatur divina

inspiratio Sacrarum Scripturarum, et Christus non est nisi purus homo, ejusque facta mirabilia, vel ad nutum inventa sunt vel naturalem explicationem patiuntur; demum scriptores sacri mendacio et fraude arguuntur, neque ab hoc peccato ipse Christus liberatur. Sed, quamvis hujusmodi fragmenta aliquando horrorem et indignationem etiam protestantium excitaverint, sensim sine sensu, a pluribus sine stomacho nec scrupulo acceptari coeperunt, et rationalismi biblici imperium in re exegetica introductum est. Jam vero, juxta rationalismi fundamentalia principia, ordo supernaturalis et idcirco Sacrorum Librorum inspiratio impossibilis est. Igitur nostri libri sacri, sunt libri humana tantum industria exarati, et plura quae continent profanae historiae et actuali progressui scientifico contradicunt: unde non raro deneganda est hujusmodi libris auctoritas etiam humana. Miracula vero quae in Scripturis narrantur totidem sunt mendacia, vel saltem facta quae naturaliter explicari possunt ac debent. (1)

Ad haec autem aliquo modo demonstranda, si tamen error demonstrationis et probationis capax sit, quaedam invenerunt systemata, quae breviter exponemus ac rejiciemus.

147. Joannes Salom. Semler professor Halensis proposuit *systema accommodationis* seu *sensus vulgaris* in opere cui titulus *Apparatus ad liberalem V. et N. T. interpretationem* quod edidit anno 1767. Juxta Semler, Jesus Christus et Apostoli sibi proposuerunt propagare doctrinam evangelicam, quae erat pure rationalis et philosophica quaeque nullam continebat veritatem supra captum humanae intelligentiae positam. Sed haec propagatio erat valde difficilis inter judaeos, eo quod veritates ordinis supernaturalis admitterent, ut doctrinam de peccato originali, de interventu angelorum tum honorum tum malorum in hominum actionibus, de obsessionibus diabolicis, de prophetiis Messiam spectantibus, de resurrectione carnis, de futuro universali judicio etc. Idcirco, Christus et Apostoli, quamvis hujusmodi praejudiciis non essent imbuti, tamen ipsis se accommodarunt fingentes se illis credere.

Priusquam ad falsitatem et absurditatem hujus systematis ostendendam deveniamus, notandum est, diversas esse species acco-

(1) Quoad *Fragmenta* praedicta, cons. Vigouroux, *La Bible et les Decouvertes modern.* tom. I, pag. 18 et seq.

mmodationis: 1.^a *pedagogica*, cum magister se accommodat captui et conditionibus discipulorum: ut cum Dominus dicit suis discipulis (Joann. XVI, 12); «Adhuc multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modo.» Et Apostolus inquit (I Cor. III, 1-2): «Et ego fratres non potui loqui vobis quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis.» 2.^a *Moralis*, quando nempe actio non praescripta ponitur, vel non prohibita omittitur in gratiam alterius ad vitandum scandalum: sic Christus solvit tributum ad quod non tenebatur; et Paulus circumcidit Timotheum; et loquens de distinctione ciborum juxta Legem, ait (I Cor. VIII, 13); «Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in aeternum, ne fratrem meum scandalizem.» 3.^a *Dogmatica*, quae duplex est, *negativa* et *positiva*. Accommodatio *dogmatica negativa* habetur, cum magister prudens tolerat vel non corrigit statim erroneam et falsam opinionem discipulorum: sic Christus non correxit aliquando falsam opinionem judaeorum circa Messiam ejusque regnum. Ut evidens est, praedictae tres species accommodationis licitae sunt. Accommodatio *dogmatica positiva* tunc locum habet, cum magister non modo tolerat et dissimulat, sed etiam laudat, approbat et confirmat praejudicia et errores discipulorum: et hujusmodi accommodatio est illicita. Jam vero, impium et absurdum est asserere eam unquam Christum et Apostolos adhibuisse vel adhibere potuisse. Quod evidenter probatur ex historia evangelica; nam in Christi et Apostolorum praedicationibus nulla apparet simulatio aut studium hominibus placendi, sed magna utique ingenuitas et libertas in veritate et justitia tuenda contra omnes hominum persecutiones: audi Apostolum dicentem (I Thess. II, 4): «Itaque loquimur non sicut hominibus placentes sed Deo, qui probat corda nostra. Neque aliquando fuimus in sermone adulationis sicut scitis: neque in occasione avaritiae: Deus testis est: Neque quaerentes ab hominibus gloriam, neque a vobis neque ab aliis.» Et legimus, Act. IV. 18 et seqq.; Et vocantes eos, denuntiaverunt, ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Jesu. Petrus vero et Joannes respondentes dixerunt ad eos: Si justum est in conspectu Dei, vos potius audire quam Deum, judicate. Non enim possumus quae vidimus et audivimus non loqui.» Ubi est accommodatio? Praeterea judaei credebant Legem Moysis permansuram esse in sempiternum; et tamen Christus hujusmodi Legis cessationem annuntiat his verbis: «Ve-

nit hora quando nec in monte hoc neque in Jerosolymis adorabitis Patrem.» (1) ¿Nonne datur hic accommodatio? Demum Christus increpans pharisaeos ait; «Nunc vos pharisaei quod de foris est calicis et catini mundatis; quod autem intus est vestrum, plenum est rapina et iniquitate.» (2) ¿Ubi est accommodatio? Et ut alia argumenta omittamus, ¿quis, semel cognita Christi passione et morte, asserere audebit, Salvatorem nostrum se accommodasse praejudiciis et erroribus judaeorum?

Adversarii nobis obijciunt historiam paralytici, cui Christus antequam morbum curaret, dixit: «Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.» (3); quibus verbis Christus se accommodavit judaeis qui credebant omnes morbos corporales esse poenas peccatorum vel ipsius aegroti vel parentum ejus.

Respondeo, ex praedictis verbis non legitime inferri, juxta Christi sententiam, morbos corporales esse *semper* poenas peccati, ut apparet ex Joann. IX, 2-3: «Et interrogaverunt eum discipuli ejus: Rabbi quis peccavit, hic, aut parentes ejus ut caecus nasceretur? respondit Jesus: neque hic peccavit, neque parentes ejus; sed ut manifestentur opera Dei in illo.» ergo ex loco ab adversariis proposito tantum sequitur, paralytim in illo particulari casu in poenam peccati homini illi accidisse.

Etiam adducunt adversarii illum Matthaei (XI, 7-15) locum ubi Christus loquens de Joanne Baptista, ait: «Et si vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est»; quibus verbis videtur Christum confirmasse erroneam opinionem judaeorum de adventu Eliae ante Messiam, confundentes ea quae prophetae praedixerunt de primo adventu Messiae ad homines salvandos, et de secundo adventu ad ipsos judicandos.

Respondeo, Christum distinxisse inter Eliam et Joannem Baptistam, ut ex contextu sermonis eruitur: «Et interrogaverunt eum discipuli, dicentes: quid ergo Scribae dicunt quod Eliam oporteat primum venire? at ille respondens ait eis: Elias quidem *venturus est*, et restituet omnia. Dico autem vobis quia Elias *jam venit*, et non cognoverunt eum, sed fecerunt in eo quaecumque voluerunt. Sic et filius hominis passurus est ab

(1) Joann. IV, 21.

(2) Luc. XI, 39.

(3) Matth. IX, 2.

eis. Tunc intellexerunt discipuli, quia de Joanne Baptista dixisset eis.» (1)

Systema *interpretationis moralis* inventum fuit a Kant philosopho Regiomontano. Ut parens Idealismi, omnem objectivam humanarum cognitionum realitatem negavit, et idcirco etiam omnia facta historica, praesertim miraculosa Sacrorum Librorum. Vera religio intra limites rationis purae continetur: haec autem vera religio est religio naturalis, nam quae revelatae dicuntur nihil aliud sunt nisi hominum figmenta: essentiam vero religionis naturalis constituunt tantum praecepta moralia; unde caetera omnia quae in Scripturis continentur, ut historica, dogmatica et prophetica, non sunt intelligenda juxta historicum et grammaticum sensum, neque secundum contextum vel parallelismum, sed *sensu morali*, seu juxta principia moralia rationis purae. Igitur res historicae, dogmaticae et propheticae, tantum admitti possunt, si exercitium virtutis promoveant.

Haec est synthesis systematis Kant, juxta Bauer.

Hoc systema omnino rejiciendum est: nam in primis, contrarium est muneri interpretis: ait enim S. Hieronymus: «Commentatoris officium est, non quid ipse velit, sed quid sentiat ille quem interpretatur, exponere, alioquin si contraria dixerit, non tam interpret erit, quam adversarius ejus, quem nititur explanare.» (2); sed secundum systema Kantianum, teste Bauer discipulo Kantii, «Ut Scriptura sacra, regendis hominum moribus apta reddatur, et ut ubique cum his concordent, quae lex moralis praecipit, non tam inquirendum quem sensum verba per se expectata in eoque quo posita sint nexu fundant, quam qua ratione veris notionibus de Deo praeceptisque moralibus, quae ratio jubet, subjiciantur.» (3)

Praeterea, systema de quo est sermo, supponit: 1.° Sola praecepta moralia religionis essentiam constituere; 2.° plura esse in Sacris Scripturis, quae litterali et historico sensu accepta, cum principiis moralibus conciliari nequeunt; sed utrumque falsum est. Nam primum contradicit his verbis Christi: «Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non credide-

(1) Matth. XVII, 10-13.

(2) Epist. 30 ad Pammach.

(3) Cit a P. Fernandez, *Introd. in Sac. Script.*, Tract. III, Sect. I, Cap. III.

rit condemnabitur.» (1) et huic etiam sententiae Apostoli: «Sine fide impossibile est placere Deo.» (2)

Deinde finis seu scopus religionis est hominem conjungere cum Deo: cum vero homo intelligens et liber sit, haec conjunctio fit, *credendo* veritates quae existentiam Dei, ejus naturam atque attributa respiciunt, et *adimplendo* praecepta moralia a recta ratione vel revelatione proposita.

Dogmata vero Sacrae Scripturae bonis moribus contradicere falsissimum et absurdissimum est; eorum enim puritatem et sanctitatem, etiam ipsi increduli, rei evidentia convicti, fatentur.

Dicunt adversarii, Patres in suis expositionibus biblicis, ubique sensum moralem quaesivisse.

Respondeo, falsum esse Patres *ubique* in Scripturis sensum moralem quae sivisse: quid enim moralitatis erui potest, ex. gr. ex nominibus Apostolorum? Praeterea Patres, semel quaesito sensu morali, non tamen sensum historicum et litteralem proprium vel metaphoricum excluderant.

Systema psychologicum invenit Dr. Paulus Gottlob (1761-1850) professor Hildebergensis, discipulus Kant. Sicut et suus magister, Paulus negavit omnia dogmata; tamen facta historica admittit; cum autem miraculum ab ipso habeatur ut impossibile, idcirco in factis quae miraculosa videntur, distinguendum est inter ipsum factum et judicium de hoc facto. Factum semper est naturale, et juxta causas et leges naturales explicari potest ac debet: judicium vero facti saepe est erroneum, sive ob facilitatem qua antiqui ut miraculosa habebant illa facta quorum causam naturalem nesciebant, sive quia interpretes non attendit ad omnes circumstantias rei narratae, nempe ad tempus, locum et personas: his adhibitis facile quis detegat, rem secundum causas naturales explicandam esse. Unde tota interpretatio fundatur in subjectivo psychologico sensu, et ideo hoc systema dicitur *psychologicum*.

Quibusdam exemplis illustratur: Evangelistae narrant Christum quinque panibus quinque millia hominum satiasset; sed in hoc nullum est miraculum, si res bene perpendatur: nam Christus et Apostoli non dederunt nisi quinque panes quos habebant; sed hac liberalitate permoti alii qui aderant, etiam suos cibos

(1) Marc. XVI, 16.

(2) Hebr. XI, 6.

panesque distribuerunt inter egenos, et sic omnes satiati sunt. Etiam legitur in Evangelio Christum tributum solvisse moneta in ore piscis miraculose inventa: sed miraculum disparet si intelligatur, Petrum piscem a se captum vendidisse, atque pretio obtento tributum solvisse. Demum factum conversionis aquae in vinum in Cana Galilaeae miraculosum non est, quoniam Christus antea convenerat cum matre sua de vino petendo, et cum mensae ministris de vino occulte afferendo. (1)

Sed hoc systema est omnino rejiciendum: 1.º quia est omnino gratuitum et arbitrarium: nam Paulus nullum argumentum

(1) Ad rem Card. Gonzalez: «Así es que, dejando á un lado las ideas exegéticas de Eichhorn, y pasando por encima de sus temores y vacilaciones al aplicar su teoría á los milagros evangélicos, Paulus creyó camino más seguro y aceptable buscar la razón suficiente de lo que se llama y considera ordinariamente sobrenatural en los acontecimientos de la vida de Jesús y sus obras, no en los mismos acontecimientos y obras, no en su naturaleza real, sino en el espíritu ó imaginación de los que narraron y comentaron aquellos sucesos. En su virtud, procede admitir y afirmar que los acontecimientos todos que en la vida de Jesús se presenten como milagrosos, fueron sucesos y efectos naturales, á los cuales dieron visos milagrosos y extraordinarios los que se encargaron de narrarlos y describirlos. En suma: según Eichhorn, las metáforas é hipérboles inherentes á la raza hebrea contienen, explican y reducen á efectos y fenómenos de la naturaleza lo que en el Antiguo Testamento se nos presenta como milagroso y sobrenatural. Según la teoría de Paulus, lo que en el Nuevo Testamento se nos presenta y narra como milagroso y sobrenatural, debe este carácter á ilusiones é imaginaciones, al modo de ver subjetivo de los que tomaron parte en su narración é interpretación.—De conformidad con esta teoría, en el anuncio del nacimiento del Bautista, Paulus no vé más que un anciano que, debilitado por la edad y teniendo la imaginación exaltada por el deseo de tener un hijo, y excitados á la vez sus sentidos por el aroma acre del incienso que le rodea, se figura ver en la semiobscuridad del santuario lleno de humo del incienso, una forma indecisa y vaporosa, semejante, en su imaginación, á un ángel que le anuncia el nacimiento de un hijo. Todo se reduce, pues, á una alucinación imaginaria, provocada por determinados fenómenos externos en relación con determinadas preocupaciones internas ó subjetivas, y con afecciones psicológicas especiales. A este tenor, y con sujeción á estos principios, el autor del *Comentario de los Evangelios* intenta explicar los milagros de Jesucristo, narrados por los cuatro Evangelistas, lo mismo que los que S. Lucas refiere en los Actos de los Apóstoles.—En esta teoría de Paulus no es difícil descubrir una reminiscencia y aplicación de la doctrina de su maestro Kant, acerca de las formas subjetivas *a priori*, y de la distinción fundamental entre el fenómeno y el noumeno, juntamente con su interpretación moral del cristianismo.» *La Biblia y la Ciencia*, tom. I. pág. 105 et seq.

adducit ad ipsum tuendum; et insuper nititur absurdis doctrinis de impossibilitate miraculorum, ordinis supernaturalis, etc. et verum supponit systema idealisticum Kantii, quod quidem falsissimum esse philosophi evidenter ostendunt. 2.^o quoniam munus interpretis est investigare sensum auctoris, non vero immutare verborum sensum, et contextui vim inferre: hoc autem faciendum praecipit Paulus, et reipsa facit in exemplis adductis, quaedam mutando, alia addendo, nonnulla omittendo ad libitum, absque ulla ratione et fundamento, atque contra verum sensum auctoris.

Neque pluribus rationalistis placet hoc systema: inter alios ait Strauss in sua *Vita Jesu*: «Aut Evangelia sunt vere historica, et tunc miracula non possunt non admitti in vita Jesu: aut miraculum cum historia consistere nequit et tunc Evangelia non possunt dici documenta historica.» Renan hoc systema vocat *obtusum* (grosero.)

Strauss et Renan aliud systema invenerunt quod cici potest *mythico-legendarium*. Juxta hoc systema, tum miracula tum prophetiae sive Veteris sive Novi Testamenti sunt totidem mythi et legendae. *Mythus* est alicujus facti vel doctrinae expositio sub forma historica ex parte vel ex toto falsa. Dividunt mythos in *historicos* qui dicuntur etiam *legendae* (leyendas,) quique sunt narrationes factorum realium, in quibus miscentur supernaturalia cum naturalibus: tales sunt, juxta rationalistas, in Veteri Testamento, historia creationis primorum parentum, plagarum Aegypti, transitus maris Rubri etc.

Mythus philosophicus est qui sub involucri historico continet aliquam doctrinam aut sententiam religiosam vel moralem: ut ex. gr. in poesi profana *mirmidones*, incolae Egeniae, quos Jupiter rogatus a Baccho in formicas transformavit, significant laboriositatem illorum hominum. Similiter in Veteri Testamento Sanson, Dalila, Job, Tobias et Joseph diversas virtutes et vitia repraesentant. Mythi *poetici* dicuntur, qui poeticis formis et figmentis ornati sunt, ut illi qui apud prophetas leguntur. Demum vocant mythos *mistos*, illos qui de duabus prioribus speciebus, aut de omnibus simul participant.

His praemissis, sic Strauss et Renan explicant mythos in Novo Testamento, Judaei expectabant Messiam in Veteri Testamento praefiguratum et a prophetis nuntiatum. Cum Jesus quaedam fecisset in quibus suis discipulis videbatur aliquid messianicum

adesse, ex inde Christum ut verum Messiam habuerunt, et idcirco ipsi, omnia illa quae de Messia a prophetis dicta fuerunt, tribuerunt: unde secundum imaginarias illusiones eorum, Christus erat filius David, natus ex virgine in Bethlehem, nuntiatus ab stella Balaam, et thaumaturgus ab Isaia celebratus, sanator caecorum et claudorum; qui gloriose resurrexit ex mortuis et ascendit in coelum. Igitur juxta hoc systema, Christus fuit purus homo atque natus est sicut caeteri homines: nihil operatus est, quod naturalem explicationem non patiatur; et ea quae miraculosa videntur, quandoque non sunt nisi fraudes, et semper effectus naturales: sic exempli gratia, Christus convenit cum Lazaro ut mortuum se fingeret, ut postea videretur suscitari a Christo; et id ipsum fecit aliis etiam occasionibus. Demum cum pharisaei et doctiores judaei nullam messianicam notam viderent in Christo, et praeterea hic saepe eos reprehenderet, eum cruci affixerunt et mortuus est, neque surrexit nisi in faeblicitanti imaginatione Magdalenae aliorumque imbecillum. Tamen facta haec extraordinaria et miraculosa, scriptis consignata sunt saeculo II, et generatim admissa. (1)

(1) Sic sapientissimus Card. Gonzalez exponit hoc systema: «Las últimas palabras de este pasaje contienen el fondo y la substancia de la teoría de Strauss, teoría que puede resumirse y condensarse en las siguientes afirmaciones:—1.^a La época en que apareció el cristianismo, lo mismo que las épocas en que aparecieron las demás religiones que se dividen la humanidad, fué una época de crisis y de imaginación. Gracias á las conquistas de Alejandro y de los romanos, las ideas morales, filosóficas y religiosas de la mayor parte de los pueblos arios y semitas, chocaban en confusa amalgama y fermentaban por todas partes, pero principalmente en Alejandría.—2.^a Resultado y manifestación de este choque de ideas, era la expectación general de un Mesias, expectación que entre los judíos había adquirido á la sazón tintas enérgicas á causa de los anuncios proféticos referentes, ora á la pérdida del cetro en la casa de Judá, verificada con el reinado de Herodes, ora á otras circunstancias indicadas en las profecías antiguas.—3.^a En estas circunstancias aparece en la Judea Jesús de Nazaret, hombre extraordinario en obras, en palabras y en doctrinas, lo cual, unido á las recomendaciones y alabanzas del Bautista, quien gozaba de grande prestigio entre sus compatriotas, fué causa de que muchos judíos, principalmente del pueblo, le tuvieran por el Mesias anunciado por los profetas antiguos, declarándose algunos como sus especiales discípulos.—4.^a Llevado á la Cruz por la razón política, á la vez que por el odio y la envidia de los príncipes y fariseos, los discípulos de Jesús, arrastrados por su imaginación, á la cual, solicitada por un corazón emocionado, les representó como vuelto á la vida al Maestro, que no podían resolverse á considerar muerto», comunicaron esta creencia á sus convecinos y antiguos compañeros, durante la

Systema hocce gratuitum omnino, atque falsissimum et absurdum est

Nam, in primis, sine ulla ratione nec fundamento, supponit prophetias et miracula esse impossibilia, quod tamen non sufficit affirmare, sed debet probari, quod numquam faciunt nec facient rationalistae.

Praeterea, argumenta quae pro tuendo systemate adducunt,

vida y predicaciones de Jesús. Esta creencia, difundida primero por los pueblos y aldeas de la Palestina, y llevada después á los demás pueblos y naciones por los Apóstoles, vino á ser como la base de la auréola divina que se concedió á Jesús, y la base también de los relatos milagrosos de su vida y obras que hallamos en los Evangelios.—5.^a Porque una vez persuadidos los que recibieron la enseñanza de los Apóstoles y sus sucesores de que Jesucristo era el Mesías anunciado y esperado por los hebreos, fué natural y consiguiente que aplicaran á la persona de Jesús todas las profecías mesianicas. Así, por ejemplo, Jesús debió dar vista á los ciegos, movimiento á los paralíticos, oído á los sordos y obrar otras curas milagrosas, toda vez que Isaías atribuye todas estas cosas al futuro Mesías ó libertador de Israel. Puesto que Miqueas había anunciado que este libertador había de salir de Belén, el nacimiento de Jesús debió verificarse aquí, siendo por lo mismo preciso relacionar este nacimiento con el censo romano.—6.^a A este tenor, los cristianos de los primeros siglos fueron aplicando á Jesús todas las circunstancias profetizadas con relación al Mesías; pero esta aplicación no se realizó ni en un solo lugar ni en una época, ni ménos por uno ó pocos hombres. Las aplicaciones mesianicas y las leyendas para su aplicación á Jesús se verificaron en diferentes años, por diversos sujetos, en distintos lugares, de una manera parcial, sucesiva, inconsciente, espontánea y anónima por decirlo así.—7.^a Cuando todas esas leyendas mesianicas, exornadas con circunstancias maravillosas y aplicadas á Jesús, estuvieron formadas, y pasaban de boca en boca entre los cristianos de los primeros siglos de la Iglesia, un escritor desconocido las reunió y consignó por escrito, y este escrito es lo que llamamos Evangelio. Las diferencias y oposición entre estos proceden de que los autores ó recopiladores de su contenido no pertenecen á la misma época, ni escribieron en el mismo lugar, y las leyendas que se aplicaban á Jesús no eran enteramente idénticas en todas partes.—8.^a Estas leyendas, elaboradas de una manera anónima é insensible, como dejámcas apuntado, en la conciencia y por la conciencia de las primeras comunidades cristianas y las que las sucedieron, no eran puras leyendas históricas, sino leyendas que encerraban alguna verdad moral, algún dogma ó alguna idea religiosa. En este sentido reciben el nombre de mitos, en boca de Strauss; el cual enseña también que los redactores de los Evangelios, al consignar en estos aquellos mitos, procedieron de buena fé, abrigando la convicción de que eran la expresión de la verdad y de la realidad de los acontecimientos.» *La Biblia y la Ciencia*, tom. I. pág. 118 et seq.

nullam habent vim demonstrativam. Et quidem, prima apparens ratio est analogia historiae Sacrae cum profana: jam vero, in profana historia observamus origines omnium antiquorum populorum esse mythologicas, eorumque fundatores esse *semi-deos*, ut contigit in historia Graeciae, Aegypti, etc.

Sed ex hoc ad summum infertum, secundum leges rectae rationationis, in Sacris Libris *posse* mythos dari, sed non probatur hujusmodi mythos *de facto* et reipsa inveniri.

Praeterea non datur talis analogia historica, 1.^o respectu Novi Testamenti: nam origines Christianismi constituendae non sunt temporibus fabulosis: aetate enim Christi, judaei suos scriptores historicos habebant; igitur, si fides adhibenda est scriptoribus graecis et romanis coaevs, quare deneganda erit scriptoribus judaeis?

Etiamsi admitteretur origines Christianismi consignatas non fuisse a scriptoribus coaevs, sed postea, nempe medio saeculo secundo elicitum ne foret rationalistis ex hoc inferre, Evangelium mythos continere? Minime gentium. Tum Strauss tum Renan fatentur Christum Apostolos elegisse, ut Ecclesiis ab ipsis fundandis nuntiarent, quod ipsi viderant et audiverant: nunc autem, verisimile est, medio saeculo II, id est transactis tantum quinquaginta annis a morte postremi Apostolorum, fideles accepisse ut doctrinam ab Apostolis traditam, illam, quae II saeculo inventa est, et omnino contradicebat illi doctrinae quam Apostoli ipsis tradiderunt, quaeque adhuc non poterat esse oblivioni data? et quis credet, inventores harum falsitatum, pro tuenda *earum veritate* alacri animo mortem subiisse, ut fecerunt martyres priorum saeculorum Ecclesiae? Haec utique sunt vera miracula critica et historica, quae tamen rationalistae, sibi ipsis non consentientes, absque ullo scrupulo admittunt.

Verum est quidem, primis Ecclesiae temporibus, quaedam falsa circa Christum, quamvis ad ipsum magis honorandum, propagata fuisse, ut constat ex Evangelii apocryphis; sed non minus verum atque certum est, hujusmodi Evangelia ab Ecclesia recepta non fuisse.

Demum eatenus Strauss et Renan, facta supernaturalia Christi, et idcirco, hujus divinitatem negant, quia ut sectatores *Scholae Hegelianae* vel *Empirico sentimentalis*, realitatem Dei objectivam negant: nam ut cum doctissimo Car. Zigliara loquar, «scriptores praefati de Deo loquuntur, etiam sub appa-

renti pietatis specie, et atheismi notam, tanquam injuriam a se propulsant. At (si ex eis unum aut alterum excipias, qui criticismi principia amplectitur, et necessarias eorum illationes recusat) nomine Dei intelligunt *το fieri* hegelianum, vel nescio quod *ideale*, cujus objectiva realitas est in sola humana conscientia. Ad summum, nonnulli, ut, post Kant, Renan, Deum videntur admittere ut supremum *Noumenon*, hoc est, supremum intelligibile, cujus existentia est problematica, et quod proinde, ut Fichte concludit, extra scientiam nostram collocandum est, et á nobis habendum tamquam si non existeret.» (1) Nunc vero, si Deus vere et objective extra nos non existit, ergo Christus non est Deus neque ejus miracula aliud sunt nisi mythi et fabulae; ergo sistema quod refutamus vere atheum est.

Etiám V. T. narrationes omnino distinguuntur a mythis et fabulis et legendis gentilium, si auctores, argumentum et ejus formam consideramus. Nam Graeci ex. gr. sua habuerunt tempora mythologica, quia eorum historia multo posterior est historiae judaeorum: primus enim scriptor historicus graecorum fuit Homerus (saec. X, ant J. C.) qui poetice traditiones orales sui populi scriptis consignavit: sed ipsi scriptores graeci posteriores, hujusmodi narrationes historicas ut fabulosas rejiciunt. Moyses autem non fuit poeta sed scriptor historicus; majorem partem eorum quae in Pentateucho narrat ipsemet vidit, et quoad ea quae in Genesi continentur, non longa sed certissima traditione scire potuit. ¿Quis mythos admittet in Tucididis historia (saec. V. ant. J. C.)? ¿Qua ergo ratione admittendi sunt in historia Moysis? (2)

(1) *Propaedeut. ad Sacr. Theol.*, Lib. III, cap. XIV.

(2) Eloquentemente P. Liçordaire refutat systema de quo est sermo, his verbis: "¿Negaré la existencia de los mitos? No; el mito me parece históricamente la cosa más verdadera del mundo. Admito que el hombre, abandonado á la tradición por espacio de muchos siglos, no discierna bien al fin el lugar y el texto primitivo de los acontecimientos. Como un cuadro ante el cual retrocede siempre el espectador, el género humano retrocede ante lo pasado, y por bien que lo mire, llega un momento en que su vista se enturbia. Sin embargo, trabajando la imaginación sobre ese espectáculo ya lejano, le añade nuevos paisajes: la idea domina al hecho, y se produce cierta cosa que no es ya una historia ni una fábula, sino que la llamamos un mito. La Mitología es el conjunto de todas las creaciones del entendimiento humano entre la sombra y la luz de la antigüedad. Porque, notadlo:

Demum Frid. Heur. Germar Augustenburgensis invenit *systema interpretationis panharmonicae*, ad discordias inter sectas protestantes removendas. Summa hujus systematis haec

¿cual es el teatro de los mitos? Es la antigüedad, ó más bien la tradición, abandonada sola á la corriente de la humanidad, que la lleva avanzando y empujándola. La tradición pura es el lugar del mito.—Pero allí donde se levanta la Escritura, donde aparece la relación inmovilizada, donde el bronce escritural está puesto en frente de las generaciones, se desvanece al punto el poder mítico del hombre. Porque entonces queda ante sus ojos el hecho en todas sus proporciones verídicas; queda dominando á su imaginación, y contra él no pueden mil años ni un día. ¿Desde Herodes á Tácito, habeis visto nunca mitos en la historia? ¿Carlo Magno se ha convertido en mito al cabo de mil años? Augusto, Cesar, al hundirse en la profundidad de lo pasado, ¿han tomado alguna apariencia mítica? No, el punto más lejano donde el historiador moderno procura descubrir el mito es, por ejemplo, el principio de Roma, Rómulo y Remo. ¿Por qué? Porque aunque se estaba cerca de la escritura, aunque preexistía anteriormente en otros países, no había recibido aun la guarda de la historia romana. Pero una vez viva la escritura, una vez que se ha apoderado de la trama general de la historia, queda roto al instante el molde mítico.—Ahora bien. Jesucristo no pertenece al reinado de la tradición, sino al reinado de la escritura. Nació en plena escritura, en un terreno donde es imposible que el mito se arraigue y desenvuelva. La Providencia lo había previsto y preparado todo de lejos, y si os habeis preguntado alguna vez por qué vino Jesucristo tan tarde, ya veis ahora una de las razones. Vino tan tarde para no estar en la antigüedad, para estar en el centro de la escritura: porque El no es la primera escritura, y se guardó bien de serlo, sinó la escritura después de mil quinientos años; y si no quereis contar más que desde Herodoto, es todavía la escritura después de quinientos años. Es, por consiguiente, moderno, y aun cuando el mundo durara siglos sin cuento, como por medio de la escritura todo está presente, porque de una mirada y con la rapidez del relámpago recorreremos toda la cadena de la historia, Jesucristo es para siempre nuevo, está sentado en la plena realidad de los acontecimientos que forman la vida conocida y cierta del género humano. Pudiera detenerme aquí, porque ya veis que la máquina mítica está por tierra, puesto que falta en Jesucristo la condición fundamental del mito, que es la ausencia de la escritura. El mismo doctor Strauss confiesa expresamente que el mito no es posible habiendo escritura, y por eso procura despojar á Jesucristo del carácter escritural, retrasando cuanto le es posible la publicación de los Evangelios. Presto veremos la flaqueza de este recurso, si me permitis seguir paso á paso la huella de su argumentación. La analogía, dice, está contra Jesucristo, puesto que el mito es la base de todas las religiones conocidas. Falso. El mito es la base de las religiones de la antigüedad, menos el mosaismo; porque todos esos cultos tenían hondas raíces en una tradición cuyas sombras y extravíos no había atajado ni precavido la escritura. Pero llegada la escritura, hasta los falsos cultos,

est. Ad rectam Scripturae interpretationem, in primis coordinanda sunt omnia dogmata clare revelata, et seponendae disputationes domesticae ad veritatis unitatem deveniendum, sal-

como el de Mahoma, han tomado una consistencia histórica, que los separa manifestamente de los sacerdocios y cultos corrompidos de la antigüedad. La diferencia salta á la vista. Por esto, ni á nosotros los cristianos, ni á vosotros los que combatis el Cristianismo, nos ocurrirá siquiera combatir á Mahoma transformando su persona en un mito y al Corán en una edición mítica. La fuerza de la escritura bajo cuyo imperio vivió, nos veda hasta el pensamiento de tan quimérica temeridad. Nos es forzoso reconocer que es un personaje real, que escribió ó dictó el Corán, que organizó el islamismo, y nuestro único recurso contra sus pretensiones sobre nosotros el tratarle de impostor, decirle enérgicamente: mentiste. Pero esto es más difícil en nuestro caso, y el éxito mucho más costoso, y por eso el racionalismo disputa tan artificiosamente á Jesucristo su poderosa realidad. Sea de esto lo que fuere, la analogía que se invoca para extender hasta sobre él la obscuridad del mito, es una analogía sin fundamento.... Verdad es que se niega á Jesucristo su carácter escritural; pero, ¿cómo? Porque es imposible, dicen, probar que la publicación de los Evangelios se verificase antes del año 150 de la Era, de donde se sigue que el tipo de Cristo fluctuó por espacio de más de un siglo á merced de la tradición.—Aun cuando yo lo concediera, aun cuando yo concediera que nuestros Evangelios no se publicaron antes del año 150, ¿qué se ganaría con ello? Nada. Antes del año 150 existía la escritura fuera de la escuela cristiana; existía entre los judíos, los griegos, los romanos, en todo el teatro donde se debatía la cuestión del Cristianismo: la historia estaba fundada por la publicidad é inmutabilidad de los monumentos. Antes del año 150, se anunciaba á Jesucristo, muerto y resucitado, en todas las sinagogas que cubrían, y aún más allá, la superficie del mundo romano: se le anunciaba públicamente en el palacio de los Césares y en el pretorio de todos los procónsules. Antes del año 150, Tácito y Plinio el Joven, á quienes he citado, atestiguan que sucedía así. Estas predicaciones, estos testimonios, estas discusiones, esta lucha, esta sangre, todo era público, estaba escrito: no era una sucesión muerta, abandonada á los azares del tiempo y de la imaginación durante mil años de indiferencia y de paz. El cristiano daba al mismo tiempo su palabra y su vida, y tres sociedades juntas, sobradamente interesadas en lo que pasaba, la sociedad cristiana, la judía y la romana, se reunían en el campo de batalla, cuyo limite tradicional circunscribís vosotros mismos á poco más de un siglo. ¡Cómo! Aquellos judíos á quienes se decía: «Habeis muerto á Jesucristo»; aquellos príncipes y presidentes, cuyas órdenes eran menospreciadas en nombre de Jesucristo: ¿ni uno de ellos siquiera echó de ver que se trataba de un mito en el estado de formación! No, todo el mundo estaba en la sangre, y, por consiguiente, en la realidad; todo el mundo estaba en la discusión, y, por consiguiente, en la fuerza y la gloria de la publicidad, que es el fundamento de toda la historia. Poco importa, pues, la fecha de los Evangelios. Si no aparecieron hasta ciento veinte años después de Je-



tem quoad veritates fundamentales: hae vero sunt quae Deum, animam et officia moralia respiciunt: reliqua vero omnia, in recta interpretatione huic unitati fundamentali convenire debent.

Hoc systema admitti sine dubio posset, admissa etiam infallibili auctoritate a Christo instituta; secus, defectus hujus systematis est defectus radicalis protestantismi. Et revera, quis inter protestantes auctoritative declarabit, quatenam sint dogmata clare revelata, quaeque unitatem illam fundamentalem constituunt? Lutherani, an Calvinistae, an Methodistæ vel Anabaptistæ? Quod si infallibilis interpretativa aliqua auctoritas admittatur; quae differentia inter Protestantismum et Catholicismum? Et quid esset de libera et independenti spiritus privati interpretatione?

148. Catalogum interpretum hispanorum, nemo melius tenuit quam eruditissimus Caminero: ad litteram sic transcribo: «Sunt autem, (inter valde conspicuos), C. V. Aquilinus Juvencus, *Historia evangelica* carmine heroico digesta, quibus evangelia fere descripsit (saec. IV).—Prudentius *Exaëmeron*, ut etiam Dracontius (saec. IV et V).—S. Justus urgeltanus, *Enarratio super Cantica Canticorum* (saec. VI).—S. Leander *Super Psalmos*, varia opuscula (eod. saec.).—S. Isidorus

sucristo, vivían en la boca de los Apóstoles, en la sangre de los mártires en el odio [del mundo, en el pecho de millones de hombres que confesaban á Jesucristo muerto y resucitado. ¡Qué miseria, señores, qué debilidad! ¡Comparar una religión, cuyos orígenes son tan públicos y militantes, y á cuya escritura sólo veinte años precedió la tradición; compararla á esos cultos sin historia, sumergidos por espacio de dos mil años en las aguas inciertas de una tradición que á nadie se había confiado, y por la cual nun-se vertió una gota de sangre!.... En vano para rechazar á Jesucristo más allá de su tiempo se llama en su auxilio la idea mesiánica que había preparado su venida. Porque, en primer lugar, la idea mesiánica no era un mito, sino que pertenece á un pueblo escritural, á un pueblo escritor y escrito, y ella misma era parte de su escritura. Era una idea fija y un hecho fijo. Pero aun cuando el mesianismo hubiera sido primitivamente un mito, no puede ya guardar ese carácter en su aplicación á Jesucristo. Porque esta aplicación á Jesucristo era moderna; se verificaba en una época completamente escritural y pública, y, por consiguiente, el mito, aun dado que hubiera existido en lo pasado, desaparecía á la gran claridad de Jesucristo y de su siglo. La cuestión real ahogaba la cuestión quimérica.»

Non absque fructu leges in hac materia *Vitam Jesu* a P. P. M. Mir et Didon hispanice et gallice conscriptam; et etiam opus Franc. Caminero, cui titulus: «*La Divinidad de Jesucristo según las escuelas racionalistas*».

Prooemia in singulos SS. Libros; Brevis expositio in V. T.; Liber allegoriarum quarundam SS. = S. Julianus Ἀντίλογος, seu *Antilogiarum SS. conciliatio.* = S. Beatus presb. liebanensis, *Commentarium in Apocal.* (omnes saec. VII). = S. Martinus, abbas legion. *Comm in Apc. et epistolas catholicas* (saec. XII). = S. Antonius patavinus, *Interpretatio mystica in SS. ae Concordantiae morales SS.* (eod. saec.) = Aldephonsus X Castellae rex, *Biblia hispanice versa* ejus jussu (saec. XIII). = Pontius Carbonell, *Comm in universam Bibliam* in forma catenae dispositum (eod. saec.) = Arnardus de Villanova *Expositio super Apoc* (saec. XIV). = Paulus Burgensis *Additiones ad postillas N. de Lyra*, (saec. XV.) = Plures rabbini his temporibus multa ac praeclara opera ediderunt, in quibus eminent Aber-Ezra, Moseh ben Maiiemon (Maimonides) Abarbanel (ulisiponensis), Isaac Caro, Abraham Sabah, Joseph Caro ben Ephraim (castellanus,) denique, aliis omissis, Paulus Coronel, Didacus complutensis, et Aldephonsus Zamorensis, qui in polyglottis complutensibus multum laboraverunt. = Alphonsus Madrigal (el Tostado 1455-1500) *Commentaria* in omnes pene libros SS. historicos, quae complent 21 vol. in folio, itemque alia minora scripta. = Joann. a Turre Cremata, *Expositio brevis et utilis super Psalmos* (Romae 1476), *Quaestiones spirituales super Evangelia totius anni* (Brixiae 1498) = Jacobus Perez de Valentia, *In 150 ps. expositiones* (Valentiae 1486), *In Cant. Cant.* (Lugduni) = Ximenes de Cisneros *Biblia polyglotta complutensis* (Compluti 1514-1517) = Melchior Cano *De locis theologicis* (Salmant, 1562) = Cyprianus de la Huerga *Plura commentaria et Isagogem* manuscriptam in totam SS. (pleraque Salmant. 1555) = Petrus Antonius Beuter *Annotationes X ad SS.* (fere manuale isagog. completum, Valentiae 1547) = Franciscus de Toledo *Comm. cum annot. in Evang. Joannis* (Romae 1588; cum aliis pluribus, et in correctione Vulgatae laboravit) = Hieronymus de Prado simul cum Villalpando, *In Ezechielem* (Romae 1596) = Emmanuel Sa, *Notationes in SS.* (Antuerpiae 1598) = Fr. Ludovicus Legionensis *Interpretatio et commentarium in Job, in Cant. Cant., in plures Psalmos et proph.* (omnio fere Salmant. 1580) = Arias Montanus, *Polyglotta antuerpiensia, Apparatus ad ea, In omnes fere N. T.*

elucidationes, Antiquitatum judaicarum Libri IX etc. etc. adeo ut vere eum diceres scripturariorum principem et ingenii ac doctrinae *miraculum* (pleraque Antuerpiae, Biblia 1569-73)=Hector Pinto, *In Isaiam com.* Antuerpiae 1561), *In Ezechielem* (ib. 1570) *In Daniele* (Conimbricae 1582) *In Lament et Nahum* (ib. 1574)=Pereyra, *Com in Dan., proph. libri XVI* (Romae 1586)=Salmeron, *Prolegomena in Scripturam universam*, item *in Epistolas Pauli, Comment. in pluris SS. libros*, (Matriti, 1597...) =Rivera, *Comm. in 12 proph.* (Romae 1590) *In Apoc* (Lugd. 1592) *In Joannem* (ib. 1623)=Maldonatus *In evangelia commentarium* egregium, *ac plurima in V. T.* (a 1595 ad 1611)=Mariana *Scholia in SS. et pro editione Vulgata* († 1624)=Gaspar Sanchez, *Commentaria*, in omne fere V. T. excepto Pentat. (a 1615 ad 1618)=Pineda *Com. in Job* (Matriti 1597-1608), *Salomon praevius* lib. VIII (Lugduni 1609), *Instrumentum domus sapientiae* (seu Isagoge ms. et alia plura)=Malvenda, *Annotationes et castigationes locorum depravatorum edit. Vulg., Com. in Ps., in libros Samuelis*, et innumera opuscula minora, vir mirabilis eruditionis, *Comm in SS. una cum nova de verbo ad verbum ex hebr. translatione* (Lugduni 1650, tantum pervenit ad caput XIV Ezechielis.=Ludov. Tena *Isagoge in totam SS.* (Barcinone 1620)=Pinto Ramirez, *In Cant. Cant* (Lugd. 1642), *Sacrae Scripturae selecta* (ib. 1648) etc.=Did. Celada, *Com. in Judith, De benedictionibus Patriarcharum, in Tobiam, in Ruth, in Susannam Danielis* (Lugd. 1637, 41, 44, 51 et 56)=E saeculo XVIII laudari dignus est Franc. Perez Bayer, praecipue propter grammaticam hebraicam (ms.) et librum *De nummis hebraeo-samaritanis* (Valentiae 1781), demum La Cunza *La venida del Mesias en gloria y majestad* (in indicem libr. prohib. relatus, quia Clementi XIV offensus ob dissolutionem S. J. Romae Apocalypsim male applicare ausus est, et regnum millenarium admisit: editum sub pseudonymo *Aben-Ezra*). Nostro saeculo nullum cognoscimus opus mentione dignum, post *Versiones Bibliorum hispanas* Philip. Scio (1793-94) et Torres Amat (1824), quam popularem et praestantissimam quidem *Historiam religionis* Jac. Josephi Garcia Mazo.» (1)

His adjungi possunt sequentes interpretes hispani: S. Dominicus Fund. qui *Epistolas Paulinas* exposuit coram Pontifice; et ex hoc tempore Magist. Sacri Palat. semper est Ord. Praed.;=Martin. Raymundus († 1284) *Summa contra Alcoranum* (arabice) *Pugio fidei christianae*.=Dominicus Soto († 1560) *Comment. in Epist. Pauli ad Rom.*, *De ratione promulgandi Evangelium*, et *In Evang. Matth. Comm.*=Petrus Soto († 1563) *Defensio catholicae confessionis*.=Didacus de Astudillo († 1535) *De modo intelligendi Scripturam Sanctom Tractatus: Super Evang. Matth. et super Epist. ad Rom. et ad Hebr. Comment.*; *id. super Sapientiam*.=Didacus de Deza († 1523) *Monotessaron, hoc est; ex quatuor Evangeliiis unum: Comment. in Apoc.*=Antonius Caceres et Sotomayor († 1615) *Explicación de los Salmos de Davit, reducidos al phrasis y modos de hablar de la lengua Española* (1)=Saeculo XIX floruerunt, Card. Gonzalez O. P. *La Biblia y la Ciencia* (Sevilla, 1892)=*La Creacion, la Redención y la Iglesia ante la ciencia* etc. (Madrid, 1892) a Ilmo D. R. Martinez Vigil, Episc. Ovet.=Franc. X. Caminero, episc. elect. *Manuale Isagogicum in Sacra Biblia* (Luci Augusti 1868) *La divinidad de Jesucristo* (Madrid 1878), *Estudios criticos sobre el N. Testamento* (Madrid 1882)=P. Joann. Mir. S. J. *La Creación, El Milagro* (Madrid 1895)=P. Petrus Fernandez et Fernandez, O. S. Aug. *Cursus theologicus* (Matriti, 1891)=Mich. Mir, *Historia de la Pasión*.=P. Joann. Gonzalez Arintero O. P. *El diluvio universal* (Vergara 1891)=Ilmo. P. Thom. Camara *Contestación á la historia del conflicto entre la Religión y la ciencia* etc.=P. Joc Mendive *La Religión vindicada* (Madrid 1897)=J. Valbuena, *Egipto y Asiria resucitados* (Toledo, 1895)=Ant. Martinez Sacristan *El Antecristo y el fin del mundo* (Astorga 1890)=Orti y Lara, *La Ciencia y la divina revelación*=Rubió y Ors, *Supuestos conflictos entre la Religión y la Ciencia*=Perujo y Angulo *Diccionario de ciencias Ecclesiasticas* (Barcelona 1883) M. de la Peña *Manual de arqueologia prehistorica*; Roman Torío, presb. palent. *Estudios biblicos, El culto de Baal* (Valladolid 1900).

(1) Hi omnes sunt Ord. Praed.

Interpretes catholici non hispani. Praeter Patres Apostolicos, ut Clem. Rom., Papiam, S. Barnabam, recenceri debent S. Justinus M. et S. Irenaeus saeculi II.

Jam saeculo III Patres *orientales*, Scripturas Sacras commentariis et explicationibus illustrare coeperunt, sed ita ut, quidam allegoricum sensum litterali praeferrent, ut Patres scholae *Alexandrinae*, alii vero litterali sensui magis insisterent, ut Patres scholae *Antiochenae*.

Praecipui interpretes *scholae Alexandrinae* sunt: S. Panthaenus, Alexandrinae scholae fundator: S. Clemens Alex. qui plures libros utriusque Testamenti exposuit in octo libris *Hypotyposeon*: Origenes sapientissimus vir cujus labores scripturarii notissimi sunt: S. Gregorius Thaumaturgus, cujus ex stat *Metaphrasis in Ecclesiastem*: S. Basilius M. qui novem homilias scripsit in *Hexameron*: SS. Greg. Nazianz. et Nyss., et Didymus Alex. qui fere infinita scripsit circa Scripturas teste S. Hieronymo: S. Athanasius qui Psalmos exposuit: S. Dionysius Alex., cujus operum exegeticorum quaedam tantum fragmenta supersunt (Romae, editio Simonis de Magistris 1796): S. Cyrillus Alex. qui plures libros, praesertim propheticos exposuit; et demum S. Epiphanius qui in suis *Commentariis in Cant*, allegoricum amplectitur sensum.

Schola Antiochena nomen accepit a florentissima urbe Antiochiae, quae erat caput totius Syriae Occidentalis, et ubi primum catholici, *Christiani* dicti sunt. Ex hac schola prodierunt: S. Joannes Chrysot., qui fere omnes libros utriusque Testamenti in pluribus exposuit Homiliis: S. Isidorus Pelusiota, qui plures exegeticas epistolas scripsit; et Theodoretus Cyri, qui interpretatus est fere omne Vetus Testamentum et Epistolas S. Pauli.

Omnes Patres hucusque recensiti, scholae tum Alexandrinae tum Antiochenae, sunt generatim saeculi III et IV.

Patres et interpretes *Occidentales*.

Praecipui sunt: S. Ambrosius († 397) qui totam fere Scripturam exposuit, sed generatim sensum allegoricum praeferens: ejus opera utilissima sunt, praesertim concionatoribus et animarum pastoribus: S. Hieronymus *Doctor maximus in Scripturis exponendis* († 420) cujus opera notissima sunt, pro eorum insuperabili merito et frequenti usu: S. Augustinus († 430 qui multis et optimis laboribus Scripturas illustravit:

Cassiodorus († 562) qui praeter libros *De Inst. divin. litterarum*, quaedam commentaria in *Psalmos*, *Cant. Cant.*, *Epistolas*, *Acta Apostolorum* et *Apocalypsim* scripsit: S. Gregorius M. († 604) cujus sunt *Libri XXXV Moraliū in Job*, *Homiliae XXII in Ezechielem*, et *Homiliae XL in Evangelia*: S. Beda, benedictinus, varios libros tum Veteris tum Novi Testamenti exposuit.

Interpretes medii aevi. Opera interpretum hujus epochae vocantur *Catenae*, *Glossae* et *Postillae*, et demum *Commentaria* proprie dicta. *Catenae* dicebantur expositiones Scripturae compositae ex textibus veterum Patrum et Doctorum. *Glossae* vocabantur breviores expositiones Vulgatae Latinae; et erat duplex, nempe *ordinaria* et *interlinearis*. Prima sic dicta est ob generalem ejus usum in scholis, et scribebatur in margine; altera, quae erat brevissima, scribi solebat inter lineas, et non se extendebat nisi ad quaedam loca obscura. *Postillae* sic dicebantur, quia narratis verbis Scripturae, *post illa verba* quasdam notas continebant. *Adnotationes* sunt additiones ad postillas, factae ab hispano Paulo Burgensi († 1435), *Postillae* editae fuerunt a Nicholao Lyrano († 1340). *Commentaria* proprie dicta sunt uberiores alicujus, vel plurium, vel omnium librorum Sacrae Scripturae expositiones.

Inter scriptores medii aevi recenseri merentur, ex graecis Oecumenius Tricensis Episcopus (saec. X) qui commentaria reliquit in *Actus Apostolorum*, et *Epistolas Paulinas et Catholicas*: Theophylactus Archidensis Bulgarorum Archiepiscopus († 1107) qui commentaria scripsit in *Prophetas minores*, et *Libros omnes Novi Testamenti*.

Ex latinis celebriores sunt: Alcuinus († 804) scholae palatinae Caroli Magni magister, qui circa plures libros tum Veteris tum Novi Testamenti interpretationes edidit ad mentem SS. Hieronymi, Ambrosii, Augustini, Gregorii M. Bedae et aliorum.

Jam a saeculo XII, doctores scholastici proprie dicti, non modo Philosophiae et Theologiae operam dederunt, sed etiam utilissimis commentariis Scripturas illustrarunt. Praecipui interpretes hujus temporis sunt: S. Bernardus Claravalensis Abbas († 1157) qui *Cant. Cant.*, *Evangelia* et alios libros exposuit. Petrus Lombardus († 1164) *Glossas in Psalmos* et *Collectarea in Epistolas Pauli*, scripsit: B. Albertus M. († 1280) edidit *Comment. in Psalmos*, in *Lament Jeremiae*, in *Baruch*, in *Danielem*

in duodecim prophetas minores, in quator Evangelia et Apocalypsim: S. Thomas Aquinas: († 1274) Doctor Angelicus, scripsit Comment in Job, in Psalm., in Cant. Cant., in Isaiam, in Jeremiam et Threnos, et Matth. et Joann; Cantena aurea ex partibus contexta in quatuor Evangelia, Comment. in omnes S. Pauli Epistolas, et sermones de Tempore: S. Bonaventura († 1274) Doctor Seraphicus, sequentia exegetica opera reliquit: Expos. in Exameron, in Psalmos, in Ecclesiastem, in Sapientiam, in Lamentationes Jeremiae, in Cap. VI Matthaei, in Evangelium Lucae, et postillam in Evangelium Joannis,

Inter recentiores interpretes catholicos non hispanos, recenseri debent: Card. Cajetanus († 1535) qui *Comment*, scripsit in omnes libros utriusque Testamenti exceptis Prophetis et Apocalypsi. Hic celeberrimus scriptor, non raro discedit a recepta Patrum sententia et a lectione latinae Vulgatae; unde ejus opera scripturaria parvae sunt auctoritatis: Erasmus, († 1536) scripsit *Adnotationes et Paraphrases in Novum Testamentum*. Hic autem valde proclivis est in opiniones non semper orthodoxas.: Sixtus Senensis († 1569) O. P. cujus *Bibliotheca Sancta* studiis biblicis quam maxime profuit: Cornelius Janse-
nius, Gandavensis Episcopus (1576) cujus sunt, *Comment. in Proverb., Ecclesiastem, Sapient., et Psal., Concordia Evangelica et Comment, in Corcordiam Evangelicam: Jacobus Tirinus* († 1636) breviores adnotationes in totam S. Scripturam edidit: Guillelmus Estius (1613) scripsit *Comment, in Epistolas Paulinas et septem catholicas, et Adnotationes in difficiliora loca S. Scripturae: Card. Bellarminus S. J. (1621) reliquit Comment in Psalmos: Cornelius a Lapide, S. J. († 1637) Comment. in totam S. Scripturam utriusque Testamenti, exceptis libris Job et Psalmorum: haec commentaria in magno pretio habentur: Jacobus Bonfrerius S. J. (1642) celeberrima *Praeloquia et Comment. scripsit in Pentateuchu, Jos., Judic., Ruth et in alios libros; magnae sunt auctoritatis, propter auctoris eruditionem: Joann. Baptista Du Hamel († 1706) presbiter Oratorii, praeter Comment. in Psalmos, et Adnotationes in libros Salomonis et Ecclesiasticum, edidit suum praecipuum opus, cui titulus: Biblia Sacra Vulgatae editionis... una cum selectis adnotationibus ex optimis quibusque interpretibus excerptis, prolegomenis, novis tabulis chronologicis, historicis et geographicis illustrata; Augustinus Calmet († 1757) Ord. S. Bened. scripsit in totam S. Scrip-**

turam Comment.; Bernardus Lamy, Congr. Orator, († 1720) exaravit suum *Apparatum Biblicum*.

Nostris hisce temporibus, plures scriptores, sive in operibus *Introductoriiis* ad Sacram Scripturam, sive in Theologicis et etiam Commentariis et Ephemeridibus, adhibitis omnibus modernis subsidiis archaeologicis, philologicis aliisque, optime Scripturas illustrarunt; inter hos scriptores recenseri debent; Joann. Janhssens (1816) cujus praecipua opera sunt *Introductio in V. T.*, *Hermeneutia Sacra*, *Archaeologia Biblica* et fasciculi duo *Exercitationum exegeticarum*: Franc. Patrizi, *Comment in Evang.*, et *Psal.*, edidit († 1862): Card. Vercellone O. Barn. († 1868) *Collectio variarum lectionum Vulgate*: Ubaldus Ubaldi († 1884) *Introd. in Sac. Script.*: J. B. Glaire († 1872) *Introd. archaeolog.*; Card. Wiseman, († 1885) *Horae syriacae*; T. L. Lamy (1872) *Introd. in S. Scripturam*: Jos. Danko, *De Sacra Scriptura, ejusque interpretatione commentarius* (1867); Franc. Xav. Schouppe. S. J. *Cursus Sacrae Scripturae* (1878): Joann. Perrone, S. J. *Praelect. Theol.* (1860): J. V. de Groot O. P. *Summa Apologet.* (1893) Vigouroux et Bacuez, *Manual Biblic.*, *Biblia et invent. modern.*, *Dict. Biblic.* (1879-1900): J. B. Jaughey, *Diccion, Apolog.* (1890): R. Cornely et alii Patres S. J. *Introd. in utriusque Testamenti libros sacros*, et *Commen. in varios libros*: P. D. Zanecchia O. P. *Divina inspiratio Sacr. Script. ad mentem S. Thomae* (1898) *Hist. univers. de la Iglesia Catol.*, R. P. Rohrbacher, et notissima opera Cardinalium sapientissimorum Zigliara et Franzelin, aliaque bene multa.

Interpretes a catholici.

Theodorus Mopsuestae (429) qui aliquos libros Veteris Testamenti interpretatus est, sed saepe contra interpretationem Sanctorum Patrum, quapropter damnatus est a Concilio II generali Constantinopolitano. Omitto falsas interpretationes Marcionis et aliorum haereticorum, quia nimis longum esset hujusmodi interpretationum catalogum texere. Inter protestantes, eminent, praeter Lutherum, Calvinum et alios, Joann. Drusius († 1541) qui *Adnotationes in Sacram Scripturam* scripsit: Hugo Grotius († 1645) *Adnotationes etiam in omnem fere Sacram Scripturam* edidit, sicut etiam I. D. Michaelis (1787): Joannes G. Rosenmuller, ejusque filius Rosenmuller (1808) ediderunt *scholia in totam Sacram Scripturam*: C. T. Kuinsel *Commentaria* scripsit in libros historicos Novi Testamenti



(1828): Thomas Scott, anglicanus (1793) scripsit *Adnotationes ad Vetus et Novum Testamentum*.

Plures alios scriptores et interpretes tum catholicos, tum acatholicos omittimus, ne longius quam par est procedamus. (1)



(1) In h. c. materia cons. Cornely. *Introd general.* Dissert. III, Sect. II; et Ubaldi, *Introd exeg.* P III, Sect. II.



SECTIO IV

Archæologia Biblica

Caput I

149. Quid Archaeologia. Utilitas Archaeologiae biblicae. = 150. De adspectu religioso populi hebraei. Templum. = 151. Ministri. = 152. Sacrificia. Victimæ et oblationes. = 153. De festis judaeorum. = 154. De ipsorum Theologia. = 155. De sectis inter judaeos. = 156. Nazareatus. = 157. Purificationes.

149. *Archæologia*, si etymon attendas, idem est ac *Tractatus de rebus antiquis*: quod si tantum agat de his quæ respiciunt populum judaicum deque aliis quæ in Sacris Libris commemorantur, tunc Archaeologia dicitur *Biblica*, et de hac tantum hic erit sermo.

Archæologiam biblicam esse utilem atque etiam necessariam ad rectam Scripturarum intelligentiam, res evidentissima est; et quidem: difficile procul dubio est, historias antiquorum populorum, et circumstantias dictorum et factorum perfecte intelligere, nisi quis cognoscat hujusmodi populorum vitam intimam, id est, eorum religionem, scientias, artes, mores, ritus, monumenta etc., quæ omnia diversissima sunt, apud diversos populos. De his vero omnibus agit archaeologia, in ordine ad ea quæ in Sacris Scripturis continentur.

Nos brevitati indulgentes, pauca tantum dicemus de antiquitatibus religiosis, politicis, civilibus, domesticis et intellectua-

libus judaeorum et etiam aliorum populorum, quatenus se mutuo illustrent.

Investigationes archaeologicae parum cognitae fuere antiquis Patribus et scriptoribus ecclesiasticis: sed jam saeculo, XVIII, et nostris praesertim temporibus, plures sunt scriptores qui magno entusiasmo, opus antiquitates populorum investigandi, aggressi sunt. Cum vero hujusmodi investigationibus saepe abutuntur rationalistae ad falsitatem Sacrarum Scripturarum ostendendam, idcirco catholici, et praesertim sacerdotes tenentur archaeologicis investigationibus operam dare, ut Scripturas recte interpretentur et rationalistarum objectiones in omni ordine archaeologico solvere queant.

150. Certissimum est in doctrina catholica, hominem a Deo evectum fuisse ad ordinem supernaturalem a sua ipsa creatione: cum vero finis supernaturalis obtineri nequeat nisi vi religionis etiam supernaturalis, et haec neccessario complectatur dogmata supernaturalia, idcirco admittendum est homines ab initio religionem habuisse eamque supernaturalem fuisse.

Ex Genesi constat, primos parentes cognovisse dogmata existentiae Dei, peccati originalis, futuri Salvatoris, immortalitatis animae aliaque, quorum plura, etiam naturali lumine cognosci poterant: praeterea legem moralem naturalem in hominum cordibus insculptam fuisse negari non potest, et aliqua ejus praecepta, ab ipso Deo, ministerio Noe et aliorum expresse tradita fuisse, indubium est. Ab initio etiam mundi cultus externus extitit, et Deo sacrificia offerebantur, ut ex historiis Cain et Abel, Noe, Abraham etc. apparet. Postquam Deus in Abraham ejusque progenie, suum populum elegit, manifestationes externi cultus clariores sunt: tamen, toto hoc tempore, Dei populus non habuit determinatum locum, in quo Deum adoraret et sacrificia offerret, neque ministerium sacerdotale, ritus aliaque ad cultum pertinentia; haec omnia legaliter tempore Moysis instituta sunt. Hic vero supremus populi hebraici legislator, Dei jussu et revelatione omnia ad cultum externum spectantia, sapientissimis legibus constituit, et in primis, locum designavit, ubi tantum Deo offerre sacrificia liceret: hic locus fuit *Tabernaculum*, seu templum portatile, attenta conditione populi vagantis per desertum. Tabernaculum sic describitur in Exodo, Cap. XXV, 8 et seqq.: «Facientque mihi sanctuarium, et habitabo in medio eorum: Juxta omnem similitudinem tabernaculi

quod ostendam tibi et omnium vasorum in cultum ejus: sicque facietis illud: arcam de lignis setim (seu *acaciae*) compingite, cujus longitudo habeat duos et semis cubitos: latitudo, cubitum et dimidium; altitudo, cubitum similiter ac semissem. Et deaurabis eam auro mundissimo intus et foris: faciesque supra coronam auream per circuitum: et quatuor circulos aureos, quos pones per quatuor arcae angulos: duo circuli sint in latere uno et duo in altero. Facies quoque vectes de lignis setim, et operies eos auro. Inducesque per circulos qui sunt in arcae lateribus, ut portetur in eis: qui semper erunt in circulis, nec unquam extrahentur ab eis. Ponesque in arca Testificationem (*tabulas Legis*) quam dabo tibi. Facies et propitiatorium de auro mundissimo: duos cubitos et dimidium tenebit longitudo ejus et cubitum ac semissem latitudo. Duos quoque Cherubim aureos et productiles facies, ex utraque parte oraculi (*propitiatorii.*) Cherub unus sit in latere uno, et alter in altero. Utrumque latus propitiatorii tegant expandentes alas, et operientes oraculum, respiciantque se mutuo versis vultibus in propitiatorium quo operienda est arca, in qua pones testimonium quod dabo tibi. Inde praecipiam et loquar ad te supra propitiatorium, ac de medio duorum Cherubim, qui erunt super arcam testimonii, cuncta quae mandabo per te filiis Israel. Facies et mensam de lignis setim, habentem duos cubitos longitudinis, et in latitudine cubitum, et in altitudine cubitum ac semissem. Et inaurabis eam auro purissimo: faciesque illi labium aureum per circuitum, et ipsi labio coronam interrasilem altam quatuor digitis: et super illam, alteram coronam aureolam. Quatuor quoque circulos aureos praeparabis, et pones eos in quatuor angulis ejusdem mensae per singulos pedes. Subter coronam erunt circuli aurei ut mittantur vectes per eos, et possit mensa portari. Ipsos quoque vectes facies de lignis setim, et circumdabis auro ad subvehendam mensam. Parabis et acetabula, ac phialas, thuribula et cyatos, in quibus offerenda sunt libamina, ex auro purissimo. Et pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper. Facies et candelabrum ductile de auro mundissimo, hastile ejus et calamos, reyphos, et sphaerulas, ac lilia ex ipso procedentia. Sed calami egredientur, tres ex uno latere, et tres ex altero. Tres scyphi quasi in nucis modum per calamos singulos, sphaerulaque simul, et lilium: et tres similiter scyphi instar nucis in calamo altero, sphaerulaque simul, et lilium. Hoc

erit opus sex calamorum, qui producendi sunt de hastili: in ipso autem candelabro erunt quatuor scyphi in nucis modum, sphaerulaeque per singulos et lilia. Sphaerulae sunt duobus calamis per tria loca, qui simul sex fiunt, procedentes de hastili uno. Et sphaerulae igitur et calami ex ipso erunt, universa ductilia de auro purissimo. Facies et lucernas septem, et pones eas super candelabrum, ut luceant ex adverso. Emunctoria quoque, et ubi quae emuncta sunt extinguantur, fiant de auro purissimo. Omne pondus candelabri cum universis vasis habebit talentum auri purissimi. Inspice, et fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est.» Cap. XXVI: «Tabernaculum vero ita facies: Decem cortinas de bysso retorta, et hyacintho, ac purpura, coccoque bis tincto, variatas opere plumario facies. Longitudo cortinae unius habebit viginti octo cubitos: latitudo quatuor cubitorum erit. Unius mensurae fient universa tentoria. Quinque cortinae sibi jungentur mutuo, et aliae quinque nexu simili cohaerebunt. ~~Ansulas~~ hyacinthinas in lateribus ac summitatibus facies cortinarum, ut possint invicem copulari. Quinquagenas ansulas cortina habebit in utraque parte, ita insertas, ut ansa contra ansam veniat, et altera alteri possit aptari. Facies et quinquaginta circulos aureos, quibus cortinarum vela jungenda sunt, ut unum tabernaculum fiat. Facies et saga cilicina undecim ad operiendum tectum tabernaculi. Longitudo sagi unius habebit triginta cubitos, et latitudo quatuor: aequa erit mensura sagorum omnium. Equibus quinque junges seorsum, et sex sibi mutuo copulabis, ita ut sextum sagum in fronte tecti duplices. Facies et quinquaginta ansas in ora sagi unius, ut conjungi cum altero queat: et quinquaginta ansas in ora sagi alterius, ut cum altero copuletur. Facies et quinquaginta fibulas aeneas, quibus jungantur ansae, ut unum ex omnibus operimentum fiat. Quod autem superfuerit in sagis quae parantur tecto, id est, unum sagum quod amplius est, ex medietate ejus operies posteriora tabernaculi. Et cubitus ex una parte pendeat, et alter ex altera, qui plus est in sagorum longitudine, utrumque latus tabernaculi protegens. Facies et operimentum aliud tecto de pellibus arietum rubricatis: et super hoc sursum aliud operimentum de janthinis pellibus. Facies et tabulas stantes tabernaculi de lignis setim, quae singulae denos cubitos in longitudine habeant, et in latitudine singulos et semissem. In lateribus tabulae, duae incastraturae fient, qui-

bus tabula alteri tabulae connectatur: atque in hunc modum cunctae tabulae parabuntur. Quarum viginti erunt in latere meridiano quod vergit ad austrum. Quibus quadraginta bases argenteas fundes, ut binae bases singulis tabulis per duos angulos subjiciantur. In latere quoque secundo tabernaculi quod vergit ad Aquilonem, viginti tabulae erunt, quadraginta habentes bases argenteas: binae bases singulis tabulis supponentur. Ad occidentalem vero plagam tabernaculi facies sex tabulas, et rursum alias duas quae in angulis erigantur post tergum tabernaculi. Eruntque conjunctae a deorsum usque sursum, et una omnes compago retinebit. Duabus quoque tabulis quae in angulis ponendae sunt, similis junctura servabitur. Et erunt simul tabulae octo, bases eorum argenteae sedecim, duabus basibus per unam tabulam supputatis. Facies et vectes de lignis setim quinque ad continendas tabulas in uno latere tabernaculi, et quinque alios in altero, et ejusdem numeri ad occidentalem plagam: qui mittentur per medias tabulas a summo usque ad summum. Ipsas quoque tabulas deaurabis, et fundes in eis annulos aureos per quos vectes tabulata contineant: quos operies laminis aureis. Et eriges tabernaculum juxta exemplar quod tibi in monte monstratum est: facies et velum de hyacintho et purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta, opere plumario et pulchra varietate contextum: quod appendes ante quatuor columnas lignis setim, quae ipsae quidem deauratae erunt, et habebunt capita aurea, sed bases argenteas. Inseretur autem velum per circulos, intra quod pones arcam testimonii, quo et Sanctuarium et Sanctuarii sanctuaria dividuntur. Pones et propitiatorium super arcam testimonii in Sancto Sanctorum: mensamque extra velum; et contra mensam candelabrum in latere tabernaculi meridiano: mensa enim stabit in parte aquilonis. Facies et tentorium in introitu tabernaculi de hyacintho, et purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta, opere plumarii. Et quinque columnas deaurabis lignorum setim, ante quas ducetur tentorium: quarum erunt capita aurea, et bases aeneae. Cap. XXVII. Facies et altare de lignis setim, quod habebit quinque cubitos in longitudine, et totidem in latitudine, id est, quadrum, et tres cubitos in altitudine. Cornua autem per quatuor angulos ex ipso erunt: et operies illud aere. Faciesque in usus ejus lebetes ad suscipiendos cineres, et forcipes atque uscinulas, et ignium receptacula: omnia vasa ex aere fabrica-

bis. Craticulamque in modum retis aeneam: per cujus quatuor angulos erunt quatuor annuli aenei, quos pones subter arulam altaris: eritque craticula usque ad altaris medium. Facies et vectes altaris de lignis setim duos, quos operies laminis aeneis: et induces per circulos, eruntque ex utroque latere altaris ad portandum. Non solidum sed inane et cavum intrinsecus facies illud, sicut tibi in monte monstratum est. Facies et atrium tabernaculi, in cujus australi plaga contra meridiem erunt tentoria de bysso retorta: centum cubitos unum latus tenebit in longitudine. Et columnas viginti cum basibus totidem aeneis, quae capita cum caelaturis suis habebunt argentea. Similiter et in latere aquilonis per longum erunt tentoria centum cubitorum, columnae viginti, et bases aeneae ejusdem numeri, et capita earum cum caelaturis suis argentea. In latitudine vero atrii, quod respicit ad occidentem, erunt tentoria per quinquaginta cubitos, et columnae decem, basesque totidem. In ea quoque atrii latitudine, quae respicit ad orientem, quinquaginta cubiti erunt. In quibus quindecim cubitorum tentoria lateri uno deputabuntur, columnaeque tres, et bases totidem. Et in latere altero erunt tentoria cubitos obtinentia quindecim, columnae et bases totidem. In introitu vero atrii fiet tentorium cubitorum viginti, ex hyacintho et purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta, opere plumarii: columnas habebit quatuor, cum basibus totidem. Omnes columnae atrii per circuitum vestitae erunt argenteis laminis, capitibus argenteis, et basibus aeneis. In longitudine occupabit atrium cubitos centum, in latitudine quinquaginta, altitudo quinque cubitorum erit: fietque de bysso retorta et habebit bases aeneas. Cuncta vasa tabernaculi in omnes usus et ceremonias, tam paxillos ejus quam atrii, ex aere facies. Praecepit filiis Israel ut afferant tibi oleum de arboribus olivarum purissimum, piloque contusum, ut ardeat lucerna semper, in tabernaculo testimonii, extra velum quod oppansum est testimonio. Et collocabunt eam Aaron et filii ejus, ut usque mane luceat coram Domino. Perpetuus erit cultus per successiones eorum a filiis Israel.»

Ut jam diximus, Tabernaculum non erat nisi templum portatile: sed postea constituto populo Dei, loco fixo et stabili, Deus voluit habere templum etiam fixum et stabile, et jussu Ipsius, rex David magnas copias divitiarum collegit ad templum extruendum, quibus et aliis a se collectis Salomon anno XI

regni sui, novum templum complevit et dedicavit. Hoc templum exstructum fuit in vertice montis Moria. Ipsa aedes templi parva erat, si magnis nostris templis compareretur: nam ejus longitudo erat cubitorum 60, latitudo cubitorum 20 et altitudo cubitorum 30. Parietes templi vestiti erant intrinsecus tabulis cedrinis, tabulae vero tegebantur laminis aureis, *nihilque erat in templo quod non auro tegeretur* juxta III Reg. VI, 22. Templum sicut et Tabernaculum in duas partes dividebatur: in prima, nempe in *Sancto* erant altare thymiamatis, decem candelabra aurea, decem mensae in quibus duodecim panes apponebantur, et insuper centum scutellae aureae vino plenae. Interiori vero parte, seu *Sancto Sanctorum*, separata velo, servabantur arca et propitiatorium: in arca erant duae tabulae lapideae, in quibus lex scripta fuit digito Dei: juxta illam apposita erant virga Aaronis, et urna cum Manna. Ante ostium templi velo coopertum inveniebatur vestibulum, ad modum turris 120 cubitorum altitudinis, ante cujus januam erant duae ingentes columnae aeneae a Salomone positae, 36 cubitorum altitudinis cum basi et capitellis. Columna in parte dextera posita dicebatur *Jachin*, altera vero *Booz*, quae hebraice significant, quod Deus templum illud statueret et confirmaret.

Circa aedem inveniebatur *atrium* quod initio duplex fuit: scilicet atrium *sacerdotum*, complectens eorum domicilia, loca ubi commorabantur, edebant et dormiebant: et in medio atrii erat altare holocaustorum ubi sacrificia offerebantur. Aliud atrium dicebatur *Israelitarum*, ubi vasa sacra annona et utensilia servabantur: ibi etiam morabantur templi janitores. Demum aliud atrium erat pro judaeis et gentibus, et dicebatur atrium *Gentium*.

Hoc Salomonis templum post 423 annos eversum fuit a Chaldaeis. Sed post decretum liberationis a captivitate, judaei duce Zorobabele, novum templum aedificare coeperunt et ad finem perductum fuit post 20 annos á fundatione. Quoad hoc templum, ex Scriptura tantum scimus pauperius et inferius fuisse templo Salomonico, et in ipso defuisse Arcam foederis et sacrum ignem. Sub Antiocho Epiphane profanatum fuit; sed Judas Machabaeus ipsum purgavit et denuo dedicavit, in cujus memoriam Judaei quotannis celebrabant festum sub nomine *Encaeniorum*. (1)

(1) II Mach. X, 18; Joann. X. 22.



Hoc templum neglectum et labefactatum, Herodes restauravit ampliavitque, sed manente parte aliqua templi Zorobabelis. Praeter *Sanctum*, et *Sanctum Sanctorum*, quorum primum continebat candelabrum aureum, mensam auream panum propositionis et altare thymiamatis, et alterum quod vacuum mansit, cum ibi arca non esset, erant atria *Gentium*, *Israelitarum* tam virorum quam mulierum et atrium *sacerdotum*. In atrio gentium erant *Porticus* tres, quorum unus dicebatur *porticus Salomonis*. In his porticibus sedebant numularii cum suis mensis et venditores columbarum quos Christus flagello ejecit. In atrio Israelitarum diversa erant cubicula, ubi B. V. Maria pueritiam transegit, et ubi etiam Christus triduo mansit disputans cum Doctoribus. In medio atrii Sacerdotum erat *altare holocaustorum*.

Portae templi exteriores plures erant, quarum praecipua dicebatur *Speciosa*, sita in muro orientali. Hoc templum eversum fuit, juxta Cristi vaticinium: «Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem qui non destruat» (1) Ex historia scimus, Julianum Apostatam voluisse templum et civitatem restaurare, ut Christum mendacem faceret, sed non potuit *quia mentita est iniquitas sibi*.

151. *Ministri* templi non poterant esse nisi ex tribu Levi; sed *sacerdotali munere* fungi non poterant nisi qui ex familia Aaronis erant; et unus ex his Summus Pontifex eligebatur: caeteri simpliciter dicebantur Levitae.

Levitarum consecratio, sic describitur a Moyse: «Et locutus est Dominus ad Moysen dicens: Tolle Levitas de medio filiorum Israel, et purificabis eos. Juxta hunc ritum: Aspergantur aqua lustrationis, et radant omnes pilos carnis suae: Cumque laverint vestimenta sua, et mundati fuerint, tollent bovem de armentis et libamentum ejus similam oleo conspersam: bovem autem alterum de armento tu accipies pro peccato: et applicabis Levitas coram tabernaculo foederis, convocata omni multitudine filiorum Israel. Cumque Levitae fuerint coram Domino, ponent filii Israel manus suas super eos. Et offeret Aaron Levitas, munus in conspectu Domini a filiis Israel, ut serviant in ministerio ejus. Levitae quoque ponent manus suas super capita bovum, e quibus unum facies pro peccato, et alte-

(1) Matth. XXV, 2.

rum in holocaustum Domini, ut deprecereis pro eis. Statuesque Levitas in conspectu Aaron et filiorum ejus, et consecrabis oblatos Domino. Ac separabis de medio filiorum Israel, ut sint mei.» (1)

Levitae ad plura officia destinabantur: tempore Davidis, 24.000 erant Sacerdotum ministri, 4000 janitores et excubitores, 6000 iudices et genealogiarum scriptores, et 4000 musici, ut ex I Paral. XXIII et seqq. constat. Omnes hi, suos principes seu praefectos habebant.

Sacerdotes, ut dictum est eligebantur tantum ex familia Aaron. Eorum consecratio similis erat consecrationi levitarum, ut patet ex Exod. XXIX, 5-9, et Lev. VIII, 2. Conditiones, praeter originem ex familia Aaronis, erant: 1.^a immunitas a deformitate corporis: 2.^a abstinencia a vino et omni potu inebriante; et 3.^a aetas triginta annorum, quamvis deinceps etiam ab anno vigesimo sacerdotalem dignitatem obtinuerint. Sacerdotum *officia* praecipua erant, sacrificia et oblationes Deo offerre; incensum adolere super altare thymiamatis in Sancto; panes propositionis mutare; candelabri lucernas concinnare; Legem populo legere ac exponere, et circa causas religiosas et legales iudicium ferre: insuper prohibebantur in uxorem ducere mulierem impudicam aut a marito repudiatam, et etiam funeribus interesse, nisi ageretur de parentibus, filiis, fratre et sorore virgine.

Dividebantur sacerdotes in 24 classes, quarum singulae habebant suos principes qui dicebantur *principes sacerdotum*.

Caeteris sacerdotibus praeerat *Summus Sacerdos* seu *Sacerdos Magnus*, cujus consecratio a caeterorum sacerdotum consecratione in hoc tantum differt, quod in ejus caput sacrum oleum largiter effunditur. (2)

Officia Summi Sacerdotis seu Pontificis, praeter illa ipsi communia cum aliis sacerdotibus, erant; 1.^{um} Huic soli licebat Sanctum Sanctorum semel in anno ingredi, ibique incensum adolere, et sanguinem victimae spargere in magno Expiationis die: 2.^{um} ad eum spectabat Deum consulere per *Urim* et *Thummium* (lumen, doctrina) et responsa a Deo accepta reddere; et 3.^{um} super alios sacerdotes vigilantiam exercere et synedrio.

(1) Num. VIII, 5 et seqq.

(2) Exod. XXIX, 5-9; Lev. VIII, 2.

magno praesidere. Propter sanctitatem hujus dignitatis non licebat Summo Pontifici uxorem ducere nisi virginem, neque luctum agere etiam in morte parentum aut filiorum.

Inter *vestes* proprias Summi Sacerdotis, numerantur *Ephod*, id est, *superhumerales*. In utroque humero erant duo lapides: lapis dexteræ partis continebat scripta nomina sex majorum filiorum Jacob, et alter lapis, sex minorum. In pectore gerebat pannum quadratum, semicubiti magnitudine, qui pendebat a superhumerales per catenulas, et vocabatur a judæis *chosesem*, græce *pectorale*, et latine *rationalè*: in ipso erant duodecim lapides pretiosi, cum duodecim nominibus filiorum Jacob. Pectorali adnexum erat *Urim* et *Thumim*. Caput cooperiebat *Tiara*, ex qua super frontem Pontificis descendebat lamina aurea tiaræ vitta hyacinthina alligata, et quæ hæc verba continebat: *Codesch La Jéhovah, id est, Sanctus Dei vel Sanctum Domino.* (2)

152. Cum essentialis pars religionis sit sacrificium, etiam judæi sua habuerunt sacrificia, quæ erant vel *incruenta* vel *cruenta*; et hæc rursus dividebantur in *expiatoria* et *pacifica*. Cum victima comburebatur integra, dicebatur *holocaustum*. Sacrificia *expiatoria* dicuntur in Scripturis *pro peccato et delicto*, quia pro peccatis aut saltem immunditiis legalibus offerebantur. Sacrificia *pacifica* quæ etiam vocantur *eucharistica* offerebantur in gratiarum actionem.

Res offerendæ, erant, inter animalia, bos, ovis, capra, columba et turtur: pro sacrificiis vero incruentis, farina triticea, panis triticeus, spicæ hordeaceæ, vinum, oleum, sal et thus.

(2) Ad rem Rohrbacher: «Había dispuesto el Señor que el Sumo Sacerdote, y también los demás, vistieran ornamentos sagrados especiales. Sobre una túnica de lino, puesta á raiz de la carne, llevaba el Pontífice una vestidura, guarnecida por todo el ruedo con granadas hechas de jacinto, de púrpura y de escarlata, y, entre las granadas, campanillas de oro. Encima se ponía el efod, adornado en cada hombro con una piedra preciosa, en las cuales estaban escritos los nombres de los hijos de Israel. Colocábase en el pecho el racional, que era cuadrado y estaba enriquecido con doce piedras preciosas, en que había esculpidos los nombres de las doce tribus de Israel, para que recordase que era mediador entre Israel y Jéhovah, y además llevaba escritas las palabras *Urim thumim*, «doctrina y verdad», ó dicho de otro modo, *luces y perfecciones*. Cubría la cabeza con una tiara de triple corona y la frente con una lámina de oro en que se leía: *La santidad es del Señor*. Los hijos de Aaron, vestían una túnica de lino con ceñidor y se cubrían la cabeza con mitras en vez de tiara.» *Hist. univ. de la Igles. Catol.* tom. I, pág. 471.

Locus erat Tabernaculum et postea Templum, sub mortis poena, exceptis casibus extraordinariis, ut Samuel in campo Bethlem et Elias in monte Carmelo sacrificia obtulerunt. Altare ad sacrificia offerenda erat in atrio ante ostium sanctuarii.

In offerendis sacrificiis cruentis adhibebantur impositiones manuum super victimas, aspersionem sanguinis et etiam commixtionem victimae cum farina cum oleo ac thure mixta.

153. Sicut et omnes alii populi, ita etiam hebraei quaedam festa celebrabant in honorem Altissimi, sive in memoriam beneficiorum ab eo acceptorum, sive ad legem naturalem implendam quae omni homini dictat, aliquod tempus exclusive Deo dicandum esse.

Triplicis generis erant festa hebraeorum: nempe 1.^{um} illa quae celebrabantur per singulas hebdomadas, ut sabbata, quae a Deo ipso instituta fuerunt, ut patet ex Genesi II, 2-3. Vox *sabbatum* derivatur a verbo hebraeo *Sabath*, quod significat *quiescere*, quia in eo omnes judaei ab omni opere cessare debebant, immo vetitum erat etiam parare cibos et ignem accendere. Incipiebat sabbatum die veneris (quae dicebatur *Parasceve*, seu *praeparatio* quia in eo paranda erant necessaria ad victum) post solis occasum: finiebatur vero post sequentem solis occasum. Juxta hunc sabbatum instituti sunt, *Annus Sabbaticus*, et *Annus Jubilaris*, de quibus postea agemus.

2.^{um} Primo die cujuslibet mensis celebrabatur festum *Neomeniae* seu Novilunii quia *Neomenia* idem significat ac initium mensis lunaris. Hac die offerebatur Deo speciale holocaustum (Num. XXVIII, 11-15); sed abstinencia ab operibus non erat praecepta, nisi in neomenia septimi mensis, quae erat caeteris solemnior. (Num. XXIX, 1).

3.^{um} Alia sunt festa quae quotannis celebrabantur, et praecipua sunt: *Pascha* (*transitus*) in memoriam liberationis ex Aegypto, celebrabatur per integram hebdomadam: dictum est etiam *festum azymorum*, quia his octo diebus judaei non poterant uti pane fermentato, sub capitali poena. Solemnitas Paschae incipiebat die decima quarta mensis Nisam, seu primimensis anni sacri, et in ea, inter duas vespervas, nempe, intervallo quod a nostra hora secunda pomeridiana usque ad sextam circiter vespertinam est, immolabatur et edebatur *agnus paschalis*, juxta ritum praescriptum in Exod. XII. Hic ipse agnus dicebatur frequenter *pascha*: hinc locutiones illae

immolare pascha, manducare pascha. Debebat *agnus paschalis* immolari in tabernaculo, et postea in templo hierosolymitano: sed hoc subverso, coenam substituerunt Paschatis commemorativam, cum specialibus ritibus. (1)

Pentecostes, seu festum *hebdomadarum septem* quae numerabantur a secunda die Paschatis. Graece dictum fuit Πεντηκοστή (Pentecoste), seu *quingagesima* dies a Paschate. Celebrabatur in memoriam Legis latae in Sinai, et in gratiarum actionem ob receptam messem: offerebantur in eo primitiae frugum, nempe manipuli hordeacei, panes farinae novae triticeae, et varia sacrificia. (Deut. XVI, 10; Num. XXVIII, 26; Lev. XXIII, 15-20; Exod. XXIII, 16). Ad hunc festum celebrandum, judaei, undequaque Hierosolymam concurrebant, ut constat ex Act. II.

Festum Tabernaculorum, seu *Scenopegia* (Σκηνοπηγία), institutum in memoriam itineris per desertum, quo tempore hebraei in tabernaculis seu tentoriis habitaverunt: celebrabatur per octo dies, a 15 ad 23 mensis septimi seu *Tischri*. Diversa holocausta et oblationes praescriptae erant, et laeta convivia agebantur. Septima die, judaei septies altare circumibant in memoriam destructionis Jericho. (Lev. XXIII, 34-44; Num. XXIX; Deut. XVI, 14-15. Dies octavus celebrabatur solemniter, in eoque opera servilia vetita erant. Haec dies dicta est hebraice *Hazeret*, quae vox solemnitatis finem significat: ab auctore Vulgatae vocatur *coetum* vel *collectam*, quia hac die eleemosynae colligebantur in favorem pauperum, vel divini cultus. *Festum expiationis*, seu *propitiationis*, institutum in expiationem peccatorum totius populi. Celebrabatur die decima mensis *Tischri*. Hac die ingrediebatur Summus Sacerdos, *Sanctum Sanctorum*, et locum habebat caeremonia capri emissarii, in cuius caput imponebantur peccata totius populi, quo facto liber dimittebatur. Aliae caeremoniae, sacrificia etc, describuntur (Lev. XXIII, 27-32; Num. XXIX, 8-11, et XXX, 7; Lev. XVI.) Hac die judaei rigorosum observabant jejunium, sub poena mortis injunctum, ita ut a vespere usque ad vesperam nullum eis liceret comedere cibum.

Festum Phurim, seu *sortium* sic dictum, quia celebrabatur in memoriam liberationis judaeorum ab internecione quam Aman decreverat, die *sorte* designata. Institutum fuit a Mardo-

(1) Conf. Matth. XXVI, 23-27; I Cor. XI, 2-27.

chaeo, et celebrabatur die decima quarta et quinta mensis Adar, et in eo judaei legebant integrum librum Esther, plaudentibus omnibus quotiescumque occurrebat nomen Aman, et vociferantibus: *Pereat nomen ejus*. Hac die ab omnibus judaeis servabatur jejuniū. (Esth. X, 2: II. Mach. XV, 37.)

Festa encaeniorum, celebrabantur in memoriam dedicationis templi Salomonis, mense Tischri: dedicationis templi Zorobabelis, mense Adar: purificationis templi per Judam Machabaeum, et dedicationis templi ab Herode instaurati. Tertium festum per octo dies agebatur die vigesima quinta mensis Casleu. Dicebatur etiam *festum luminarium*, quia judaei ad suam laetitiam ostendendam, multa accendebant luminaria.

154. *De judaeorum Theologia. Quoad Deum*, ejus existentia atque unitas asseruntur, simul cum ejus spiritualitate, Deut. IV, 15, VI, 4; omnipotentia vero, aeternitas, providentia et alia attributa, ex lectione Veteris Testamenti certissima fiunt. Verum est, quandoque Deum sub involucris materialibus in Veteri Testamento repraesentari; sed hoc necessarium erat, propter conditionem illius populi, qui non aliter spiritualia et suprasensibilia intelligebat.

Quoad angelos, eorum existentia ex pluribus V. T. locis constat: angelus enim apparuit Abrahae cum paratus erat sacrificare filium suum: angelus luctavit cum Jacob; angelus exterminavit primogenitos Aegypti, et exercitum Senacherib etc. etc.

Quoad hominem, agnoscebant primam originem ipsius a Deo, ut ex primis capitibus Gen, aperte constat. Animae humanae immortalitas et existentia alterius vitae, ex ipso Pentateucho, ex libris Sapientialibus, Psalmis, Prophetis et Machabaeorum evidentissime apparent; quare etiam sacrificia pro mortuis offerebant, ut fecit Judas Machabaeus.

Quoad mundum, ex ipso Genesi constat, non esse aeternum, neque aliquo atomorum fortuito concurso vel ex praejacente materia formatum, sed a Deo ex nihilo in tempore creatum, et ab Ipso sapientissima providentia gubernatum, quoad omnes et singulas res, etiam vilissimas. (Sap. VIII, 1).

Quoad doctrinam moralem, praescribitur *fides* in Deum, et damnantur peccata opposita, ut idololatria, superstitio, haeresis et falsae prophetiae. Praecipitur etiam *amor et spes* in Deum (Deut. VI, 5 et seqq.), et vitia contraria acriter reprehenduntur. (Deut. VII, 17; VIII, 17: IX, 4).

Oratio denique, saepissime a Moyse adhibetur et caeteris commendatur ut ex pluribus V. T. locis constat.

155. *De sectis inter judaeos.* Generatim *Pharisaei* erant viri nobiles, docti, et propter affectatam morum severitatem, magna in veneratione erant apud populum. Quoad dogmata, admittebant omnia quae in Lege continebantur, et etiam *metempsychosim* seu transmigrationem animarum, teste Josepho Flavio. Quoad mores, exterius se rigidos monstrabant, traducentes, non raro, ut peccata, quae peccati rationem non habebant, quapropter non semel a Christo Domino acriter reprehensi sunt. (1)

Sadducaeï, negabant existentiam omnium spirituum, praeter Deum: etiam rejiciebant animae immortalitatem et corporum resurrectionem, propter quos errores, hujusmodi secta erat populo valde infensa. (2)

Esseni et *Therapeutae*, quorum primi degebant in Palaestina, alteri vero in Aegypto, admittebant doctrinam dogmaticam legis, sed videtur ipsos reprobasse juramentum et sacrificia cruenta. Ducebant vitae genus contemplativum et monasticum in sylvis aut agris.

Herodiani, sic dicti juxta S. Hieronymum, quia contendebant judaeos Romanis se subjici debere, et Caesari tributum solvere, quod negabant vel in dubium vocabant multi ex pharisaeis, ut constat Ex Matth. XXII, 17.

156. Inter personas sacras recenseri debent *Nazaraei*, id est *separati*, qui voto se Deo consecrabant: quidam fuerunt Nazaraei, ut Samsom et Joannes Baptista, *ab utero* jussu Dei speciali ad hoc vocati: alii erant *votivi* qui propria voluntate se separabant ad tempus, quo elapso, se tondebant ante ostium Tabernaculi. et sic a vinculo voti manebat soluti. Nazaraei, se tenebant, a vino et sicera, id est, a quolibet potu inebriante, abstinere; et barbam et comam non radere. Ubaldi putat, Paulum votum nazaraeatus emisisse (Act. XXI, 26, et seqq.) contradicente B. Lamy.

Nazaraeis similes erant *Rechabitae* a patre suo Rechab, qui a vino et sicera abstinentes, praediis ac possessionibus carebant, et longe a civitatibus quasi monasticam vitam agebant,

157. Quoad purificationes haec indicare sufficiat. Mulier pa-

(1) Matth. VI, XV, 6; XXIII.

(2) Conf. S. Hieron. Comment. in Matth. XXII, 32,

riens filium reputabatur immunda spatio quadraginta dierum, et spatio dierum octoginta si feminam pepererit. Hoc tempore expleto, deferebatur ad ostium Tabernaculi et tradebat sacerdoti agnum anniculum in holocaustum et pullum columbae sive turturem pro peccato; quod si pauper fuerit, offerebat et tradebat sacerdoti duos turtures vel duos pullos columbarum: et sacerdos orabat, et sic mulier mundabatur (Lev. XII.) Capite XIV ejusdem libri, agitur de purificatione hominis leprosi. Aliud genus purificationis habetur Joann. cap. II, v. 6. Consulat igitur haec loca lector, et sic brevitati indulgemus. (1)

Caput II

158. De constitutione populi hebraici ante et post schisma. Reges utriusque regni. = 159. De tribunalibus. = 160. De poenis.

158. Homo est animal sociale, societate non modo politica, sed etiam religiosa. Hinc quod a mundi exordio, homines vitam socialem politicam degerent, quamvis imperfectam, et etiam vitam religiosam, ut patet ex historia Cain et Abel qui Deo sacrificia obtulerunt. Sed post universam humanitatis defectionem, Deus constituit eligere sibi populum fidelem, ad cujus exemplum omnes gentes ad veritatem venirent: pater hujus fidelis populi fuit Abraham. Tempore hujus Patriarchae et subsequentium, auctoritas residebat in patre, qui judicabat omnia ad vitam domesticam tum mere naturalem, tum etiam religiosam spectantia: ad dirimendas vero lites inter ipsas familias, constituti erant judices, quo munere fungebantur vel senes, vel hi qui ut sapientiores et potentiores habebantur.

Sed hic Dei populus durissime oppressus fuit ab Aegyptiis, et ut eum liberaret elegit Deus, Moysem. Hoc jam tempore, verus et unicus rex hebraeorum erat Deus, ut ex pluribus V. T. locis aperte constat. Ipse Deus suo divino digito scripsit

(1) Cons. in hac materia, U. Ubaldi, *Introd. in Sac. Script. Archaeol. Sect. II.* = B. Lamy, *Appar. biblic.* — Lib. I, Cap IV ad X. = Caminero, *Mon. Is. g. Archaeol. bibl.* Cap. XXX-XXXII. = Vigouroux, *Man. Bibl. Antiquo Test.* Cap. VIII. = J. H. Janssens, *Hermeu, Sac.* Append. Sect. III et IV.



in lapideis tabulis legem fundamentalem, et deinceps alias proposuit ad regulandam vitam tum religiosam tum politicam, easque Moyses in libro Legis consignavit. Igitur supremus Dei minister in ordine politico populi hebraici erat Moyses, et in ordine religioso Aaron. Sed ad firmam et stabilem constitutionem populi electi, Deus ipsi donavit territorium fixum, nempe terram promissionis. Quamvis supremus Dei populi dux esset Moyses, tamen Deus non permisit ipsum promissionis terram ingredi, propter levem quamdam incredulitatem. Ejus successor Josue, Dei omnipotentis adjutorio, omnem terram promissionis suam fecit, eamque secundum tribus distribuit, juxta Dei mandatum. Unde, habemus jam populum hebraicum, cum suo duce Josue, legibus ab ipso et a Moyse promulgatis, et constituto in territorio fixo et stabili. Cum Deus praevideret hunc novum statum politicum sui populi, jam revelaverat leges, quae populi hebraici relationes cum aliis populis determinarent, et en jus internationale politicum. Post mortem Josue, gubernationem populi suscepit concilium quoddam senium: sed his jam mortuis, et populo saepissime praevaricante, multum pati a populis finitimis debuit, donec Deo misericorditer disponente, inter rerum angustias et tribulationes, quidam homines extraordinarii, populi sui defensionem susceperunt, eumque a manibus inimicorum liberarunt: hi homines fuerunt Judices.

Cum vero hebraei permoti prosperitate aliarum nationum quae potestate regia gubernabantur, etiam regem habere vellent, tunc Samuel jussu Dei elegit Saulem, ut esset rex super omnem Dei populum. Saul primis sui regni annis bene se gessit; sed dein oblitus beneficiorum Dei et mandatorum ipsius, rejectus fuit a Deo, et loco ipsius consecratus est David. Hic piissimus rex, suum regnum ad fastigium prosperitatis perduxit, ejusque sapientissimus filius Salomon novis magnisque acquisitionibus, praesertim territorialibus cummulavit. Mortuo Salomone, filius ejus Roboam, secutus est pessimum consilium juvenum, derelicto consilio seniorum, et dedit locum schismati et divisioni regni in Juda et Israel. Prioris regni Roboam fuit rex, et ipsi subiciebantur tribus Juda et Benjamin: reliquae decem tribus elegerunt Jeroboam ut regnaret super eas. Jeroboam, ut firmaret schisma, et ad religionem etiam extenderet, erexit duo altaria, alterum in Bethel, alterum in Dan (III. Reg. XII.)

Catalogus Regum

<i>Reges Juda</i>	<i>Regnare coepit</i>	<i>Regnavit</i>	<i>Reges Israel</i>	<i>Regnare coepit</i>	<i>Regnavit</i>
Roboam	975	17	Jeroboam I	975	22
Abia	958	3	Nadab	954	2
Asa	955	41	Baassa	953	24
†			Ela	930	2
Josaphat	912	25	Zambri	929	7 dieb.
Joram	896	8	Assuri	929	12 ann.
Ochozias	889	6	Achab	917	22
Athalia	885	1	Ochozias	898	2
Joas	884	40	Joram	896	12
Amazias	840	29	Jehu	884	28
Azarias	824	52	Joachaz	856	17
Joathan	759	16	Joas	840	16
Achaz	757	1	Jeroboam II	824	
Ezechias	729	29	Interregnum		11
Manasses	721	55	Zacharias	772	6 mens.
Amon	698	2	Selum	772	1 id.
Josias	643	31	Manahem	771	10 ann.
Joachaz	641	3 mens.	Phaceia	761	2
Joakim	610	3 id.	Phaceas	759	20
Sedaecias	610	11	Interregnum		9
Expugnatio			Oseas	729	9
Jerusalem	589		Expugnatio Samariae	721	

Hic catalogus ex Vigouroux (1) desumptus, valde obscurus est quoad chronologiam: sed facile quis explicavit hanc obscuritatem, modo consideret, aliqua fuisse interregna, cujus duratio determinari nequit, et fortasse nonnumquam duos simul reges regnasse. Chronologia biblica in hac materia est valde imcompleta.

Post decretum Cyri, judaei civitatem Jerusalem et templum aedificarunt, et quamvis non cum absoluta independentia, suam constitutionem civilem et religiosam habuerunt; et etiam Ale-

(1) Man. Bibl. Antig. Test. P. I., Sec. II, Cap. III, Art. I.

xander M. ipsis quamdam, ut ita dicam, nationalitatem concessit. Sed Antiochus Epiphanes ejusque successores, hanc in nihilum redigere conati sunt: tamen judaci, ducibus Machabaeis, sua jura strenue defenderunt. Post mortem Judae ex Machabaeis, electus fuit ejus frater Jonathas, qui misere occisus fuit a Triphone: loco ejus elegerunt judaei Simonem fratrem Jonathae, et regnum Judae suam independentiam recuperavit. Mortuo Simone electus fuit Joannes Hircanus. Juxta Josephum Flavium, Joanni successit suus filius Aristobulus qui simul dignitatem regiam et pontificalem sibi reservavit. Ejus succesores fuerunt Alexander et Aristobulus II. Expugnata Jerusalem a Pompejo, et Judaea in provinciam romanam versa, dignitas pontificalis sejuncta est a dignitate regia, et sceptrum ablatum est a domo Juda et traditum Herodi, qui extraneus erat: et sic adimpletum est quod Jacob praedixerat, et venit Messias, nempe Christus, qui regnum novum instituit independens, universale et aeternum. Judaei, non obstantibus Christi praedicationibus et miraculis, illum injuste et crudeliter cruci affixerunt; et adhuc ejus salutiferam doctrinam rejiciunt, et sparsi sunt per omnes mundi plagas, absque unitate religiosa et politica, Messiam expectantes, sed in pecunia tantum confidentes, ab omnibus despecti et ubique rejecti, unde merito, gens judaica in omnibus nationibus civilizatis, habetur ut pestis, lepra et ruina nationum, praesertim pauperum.

159. Moyses septuaginta consultores seu assessores habuit, qui supremum tribunal constituebant: ad dirimendas vero minores causas, in omnibus urbibus constituti sunt judices a Moyse. Postea hanc supremam potestatem habuit Summus Pontifex, qui tamen in gravissimis causis, comitia generalia convocabat. Sed regia potestate constituta, rex erat supremus judex, qui tamen in quibusdam causis, praesertim religiosis, Summum Pontificem consulere tenebatur.

Post reditum e captivitate, triplicis ordinis fuerunt tribunalia: scilicet, tribunal *infimum*, etiam in parvis pagis constitutum, quod nonnisi de levioribus causis judicabat. *Medium* pro majoribus civitatibus, constituebant viginti et tres judices, qui judicare poterant de causis etiam gravioribus, atque capitalem poenam imponere. Demum, tempore Machabaeorum, Hierosolymae institutum erat *Synedrium* vel *Sanhedrin*, seu tribunal *supremum*. Judices hujus tribunalis erant: 1.^o *principes sacerdo-*

tum, quibus hoc officium jure competeat: 2.^o *Seniores*, id est, principes tribuum et capita familiarum; et 3.^o *Scribae*, seu legis periti, qui a populo eligebantur: praeterea alii etiam erant ministri inferiores. Omnes sedebant ad dexteram et laevam praesidis in semicirculo, more orientalium. De hoc tribunali saepissime mentio fit in Evangeliiis, nomine *Conciliij*: in ipso enim Christus Dominus damnatus fuit, et Apostoli reprehensi ac flagellati. Hoc tribunal potestate gaudebat absoluta: sed sub Romanorum dominatione limitata fuit, ita ut ad ipsum pertineret tantum cognitio causarum seu criminum contra Legem Moysis, et etiam prolatio sententiae: sed executio, romanae auctoritati reservata erat, ut ex injustissima contra Christum sententia satis apparet.

Quoad *formam* judicii, haec breviter dicam: judicia agebantur mane, et generatim ad portam urbis: utrumque extremum constat ex Gen. XXIII, 10, seq. Ruth. IV, 1 seq. et Psal. C, 8. Actor qui dicebatur *Satan* (hostis, adversarius) sedebat ad dexteram rei, coram iudice: necesarii erant saltem duo testes, qui jurabant veritatem dicere, et interrogabantur separatim coram reo. Cum ageretur de re dubia, consentientibus partibus, sorti tradebatur. (Prov. XVIII, 18.) Semel lata sententia, statim executioni mandabatur, etiam si ageretur de poena mortis (I Reg. XXII, 18; III Reg. II, 23-25).

160. Apud hebraeos morte plectebantur, rei homicidii, seditionis, adulterii, violationis voluntariae sabbati: blasphemiae, idololatriae, furti sacrilegi, alique. Poena vero mortis inferebatur his modis. 1.^o *Poena lapidationis* puniebatur adulterium, et etiam graviora crimina contra Religionem.

2.^o *Poena ignis* statuta fuit contra eos qui carnale commercium habuerint cum matre uxoris suae; et etiam contra filiam sacerdotis fornicariam. (Lev. XX, 14, et XXI, 9.)

3.^o *Poena gladii* applicata fuit, sive per decollationem, ut in casu Joannis Baptistae et Jacobi Majoris, sive per transfixionem, ut constat ex I Reg. XXII.

4.^o *Poena crucifixionis*. Juxta eruditum Caminero, vix dubitandum videtur ex locis Gen. XL, 19; Deut. XXI 22-23; Psal; XXI, 17-18, et Zach. XII, 10, supplicium crucis, antiquis hebraeis notum fuisse: sed Ubaldi putat, ex his testimoniis, quae prophetica sunt, non posse deduci, tunc apud Judaeos supplicium crucis usitatum fuisse. Tamen, certum est, posterioribus temporibus, sive a populis finitimis, sive a Romanis morem cru-

cifigendi reos recepissee, qui hanc poenam servis facinorosis, latronibus et seditiosis decernebant. Reus omnino exutus vestibus, expansisque brachiis, utraque manus clavis configebatur sicut etiam et pedes juxta traditionem saltem hispanicam. Romani solebant reis praebere vinum mirrhatum ad minuendam sensibilitatem; sed reus saepe pendebat in cruce spatio duorum vel trium dierum inter atrocia tormenta, donec expiraret. Tamen judaeis licitum erat, etiam sub dominatione romana, eadem die cruxifixorum corpora deponere, consecuta prius, eorum morte, sive frangendo crura, vel alio modo, ut cum Christo Domino factum est. (Joann. XIX, 32-34.)

5.^o *Poena pro homicida.* Omnis homicida voluntarius et culpabilis morte plectebatur, et jus dabatur proximiori cognato occisi, ut reum occideret statim ac inveniret eum (Num. XXXV). Sed pro homicidis non voluntariis nec culpabilibus, assignatae sunt a Moyse sex civitates refugii, ad quas occisor confugere poterat; et si a iudicibus innocens inventus fuerit, occidi non poterat, modo e civitate refugii non egrederetur usque ad mortem summi Pontificis, quo mortuo, omne jus vindictae in cognatis cessabat.

Aliae etiam minores poenae apud judaeos fuerunt, nempe *fustigatio* seu *flagellatio*, quae tamen excedere non poterat 40 ictus: ad id utebantur virga vel baculo.

Poena talionis, omnibus fere antiquis populis communis fuit, quia spiritus vindictae apud judaeos non agnoscebat limites: non tamen a quolibet particulari homine, sed tantum post sententiam iudicis haec poena imponi poterat. In hoc sita erat, quod reo idem damnum causaretur quod ipsi alicui causaverat: haec poena constat ex varis locis Veteris Testamenti: ex. gr. (Deut. XIX, 19-21): «Reddent ei sicut fratri suo facere cogitavit, et auferes malum de medio tui: ut audientes caeteri timorem habeant, et nequaquam talia audeant facere: non misereberis ejus, sed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu exiges.» (2)

Graeci et Romani hanc poenam statuerunt, pro quibusdam delictis atrocioribus (1) eamque aliquando adhibuit seu admisit

(1) Vide etiam Exod. XXI, 23-25; Lev. XXIV, 19-20.

(2) «Grecos eandem legem habuisse ex vita Solonis apud Diogenem Laertium patet. Romani illam septima tabula retulerunt: *Si membrum*

Jus Canonicum adversus calumniatores. Hodie, hujusmodi poena abolita est apud omnes populos cultos.

Demum recenseri possunt, *poena excommunicationis*, seu separationis a populo fidei, qua poena Apostolus damnavit incestuosum Corinthi (I Cor. XV, 22); et *poena infamiae*, vi cujus corpora lapidatorum igne comburebantur. (Lev. XX, 14, XXI, 9). (1)

Caput III

161. De jubilaes. = 162. Anno = 163. Mense. = 164. Hebdomada. = 165. Die. = 166. Hora, apud hebraeos.

161. *Jubilaes* juxta aliquos dicitur a verbo latino jubulare, quia ob favores et gratias quas secum fert est causa lactitiae et jubilationis.: juxta alios vero a *jobelim* quia annuntiabatur cornu arietis, et apud hebraeos arietes vocabantur *jobelim*: demum sunt aliqui qui censent *jubilaes* dici a *jabal* quod significat *liberare*, quia tempore jubilaes servi libertatem obtinebant.

Jubilaes celebrabatur quolibet quinquagesimo anno. Primus jubilaes computari coepit ab anno septimo Josue, quo divisit terram promissionis, eamque hebraei colere coeperunt: haec est sententia Serarii et Cornelli a Lapide, quam tuetur etiam Wouters. (2)

Jubilaes praeceptus erat, Lev. XXV, 10 et seqq.: «Sanctificabis annum quinquagesimum, et vocabis remissionem cunctis habitatoribus terrae tuae: ipse est enim jubilaes.» Inter alia jubilaes beneficia, haec recenseri debent: 1.^{um} Omnia debita condonabantur: 2.^{um} servi liberi dimittebantur: 3.^{um} Omne venditum redibat ad possessorem pristinum, absque ullo pretio vel compensatione. Hac de causa, jubilaes dicebatur *annus remissionis*.

rupsit, ni cum eo parcat, talio esto: ac diutissime observarunt. Janssens, *Herm. Sac*, Cap. II.

(1) Quoad excommunicationem, cnf. Lamy. *Appar. Biblic.* Lib. I Cap. XIII.

(2) Cons. *Dilucid. select. S. Scrip. qua est.* In Lev. Cap. XXV, Qua est. III.

162. Quidam rationalistae ad impugnandam chronologiam biblicam et minuendam aetatem Patriarcharum, docuerunt *annum hebraeorum* fuisse tantum unius mensis, vel ad summum quatuor aut sex mensium. Sed apertissime constat ex III Reg. IV, 7, et I Paral. XXVIII, 1-15, annum hebraicum semper fuisse duodecim mensium: praeterea ex sententia rationalistarum magna absurda sequerentur quoad generationem Patriarcharum.

Menses erant lunares, et ita dispositi, juxta traditiones rabbinicas, ut alternatim 29 et 30 dies haberent, quae faciebant 354 vel 355 dies. Ad componendum autem annum lunarem cum solari, addebant tertio quoque anno unum mensem 30 dierum. Postquam Israelitae exierunt de Aegypto annum inchoabant a mense dicto *Nisam* more babylonico, inter Mart. et April. (Exod. XXII, 2; IX, 31; XIII, 4); quia post exitum de Aegypto, in memoriam tanti beneficii instituerunt festum Paschae in quo offerebantur spicae novi hordei. Ante exitum de Aegypto, hebraei annum inchoabant mense *Tischri* inter Sept. et Oct. Hic est annus civilis, alter vero religiosus.

Septimo quoque anno celebrabatur annus qui dicebatur *sabbaticus*, quo anno hebraei, juxta Legem, non poterant seminare agros neque vineas putare; et fructus quos terra sponte dabat non ad dominum, sed ad servos, pauperes, peregrinos, et ad animalia domestica et silvestria pertinebant: neque exigi poterant hebraeis, sed utique extraneis, debita ex commodato provenientia. Sic constat (Exod. XIII, 10 et seqq; Lev. XXV, 1-7; 20-22; et Deut. XV, 1-11.) Finis seu scopus hujusmodi anni erat religiosus: id est, sicut septimo die cujuslibet hebdomadae, hebraei a suis operibus cessabant in honorem Dei, similiter omnis terra hebraeorum quae erat proprietas Jehovah, quiescebat, et ejus fructus spontanei Deo consecrabantur in personis pauperum, servorum et peregrinorum.

Contra annum sabbaticum, haec inconvenientia a quibusdam adducuntur: 1.^{um} Periculum famis, ex eo quod omnis terra maneret inculta spatio unius anni. Sed hoc jam praevisum atque provisum fuerat, juxta illud Levitici: «Quod si dixeritis: quid comedemus anno septimo, si non severimus, neque collegerimus fruges nostras? Dabo benedictionem meam vobis anno sexto, et faciet fructus trium annorum.» (XXV, 20-21.

2.^{um} Haec requies unius anni necessario foveret otium, et

vitia quae ipsum ut plurimum sequuntur. Sed notandum est, in illo tempore, artes manuales quibus necessaria ad vitam parantur, non fuisse divisas sicut hodie contingit: unde anno sabbatico parabant vel restaurabant instrumenta agricola, domos, vestes etc. etc.

Praeterea non constat certo, num annus sabbaticus fuerit in omni terra hebraeorum simultaneus et generalis. (1)

163. Menses apud hebraeos erant lunares, et alternatim habebant 29 et 30 dies: priores a Thalmudicis dicebantur *defectivi*, alii vero *pleni*.

Initium mensis sumebant a novilunio, et dicebatur *Neomenia*, id est, *nova luna*. Ante captivitatem menses designabantur numero ordinis seu chronologico, nempe, mensis *primus*, *secundus*, etc. Sed post captivitatem, judaei adoptarunt nomina mensium a chaldaeis adhibita, et haec sunt.

1. *Nisam* (II Esdr. II, 1) dictus etiam *Abib*, 30 dierum, inter nostros Mart. et April.

2. *Ziv* vel *Zyar* (III. Reg. VI, 1-17) *mens florum*, 29 dier. inter April. et Maj.

3. *Sivan* vel *Siban* (Baruch. I, 8; Esth. VIII, 9) 30 dier. inter Maj. et Jun.

4. *Thammuz*, 29 dierum, inter Jun. et Jul.

5. *Ab*, 30 dierum. Incipiebat inter Jul. et Aug.

6. *Elul* (II Esdr. VI, 15) 29 dier. inter Aug. et Sept.

7. *Tischri* vel *Ethanim* (III Reg. VIII, 2) 30 dier. inter Sept. et Oct.

8. *Bul* seu *Marcheschvan* (I. Reg. VI, 38) *mens pluviarum*, 29 dier. inter Oct. et Nov.

9. *Casleu*, vel *Khisleu* (Zach. VII, 1) 30 dier. inter Nov. et Dec.

10. *Tebeth* (Esth. II, 16) 29 dier. inter Dec. et Jan.

11. *Sabath* vel *Schebat* (Zach. I, 7) 30 dier. inter Jan. et Febr.

12. *Adar* (Esth. III, 7) 29 dier. inter Febr. et Mart.

Mensis, qui ad componendum annum lunarem cum solare addebatur tertio quoque anno, dicitur a judaeis *Ve-adar*, ipsumque collocabant inter Adar et Nisam.

(1) Cons. *Diccion de Cienc. Eccles.* Perujo y Angulo, Tom. I, pág. 561.



164. Vox graeca *hebdomada* idem est ac septenarius numerus dierum. Hebraei per sex dies poterant suis laboribus operam dare, sed die septimo tenebantur quiescere, et idcirco haec dies dicebatur *sabbatum seu quies*. Origo sabbati a primis annis mundi repetenda est, nam etiam a Gentibus servabatur, antequam Moyses ipsum in Lege praescriberet. Notandum est, quandoque in Scriptura, sabbatum significare totam hebdomadam, et sic intelligitur illud Pharisei, «Jeiuno bis in sabbato» (Luc. VIII, 12). Dies sequentes sabbatum dicebantur *prima sabbati, secunda sabbati* etc. Dies sexta vocabatur a judaeis qui graece non loquebantur, *Ereb sabbat* sen *vespera sabbati*; a judaeis vero hellenistis *parasceve* sen *praeformatio*, quia hac die paranda erant omnia victui necessaria pro sequenti die seu sabbato, quo die non licebat nec coquere cibos, neque ignem accendere.

Anivadvertendum est, hebdomadam hebraeorum, non fuisse tantum septem dierum, sed etiam septem annorum, ut ex jubileo et anno sabbatico, et praesertim ex celeberrima Danielis prophetia, ubi ex contextu satis apparet, hebdomadam accipiendam esse, non pro numero septem dierum aut mensium, sed annorum.

165. *Dies* apud hebraeos incipiebat ab occasu solis et finiebatur subsequente occasu, unde locutio illa *vespere et mane dies unus*, quae saepe invenitur in Genesi. Divisiones diei erant, *mane, meridies* et *vespera*: et etiam *summo mane, diluculo, aura post meridiem*, ut in diversis Scripturae locis legitur. Temporibus Christi, diem distribuebant judaei in quatuor horas, quae dicebantur *prima, tertia, sexta* et *nona*, quarum quaelibet denotat quartam partem temporis quo sol est in nostro horizonte; unde infertur hujusmodi horas in toto anno non eandem habuisse durationem. Sed iisdem Christi temporibus, judaei non raro numerabant horas more romanorum, et hac de causa, quaedam apparentes contradictiones in Evangeliiis inveniuntur, quae suo loco solventur.

Noctem dividebant judaei in quatuor partes, seu *vigilias*, quarum unaquaeque habebat tres horas. Prima vigilia dicebatur *initium* vel *caput vigiliarum* (Thren. II, 19): secunda *media nox* (Jud. VII, 19): tertia *gallicinium*, et quarta, *matutina* seu *mane*.

Ut ex pluribus Scripturae locis constat, habraei hoc nomine

dies, designabant non modo durationem viginti et quatuor horarum, sed etiam longam durationem annorum et saeculorum: nullus est enim terminus hebraicus qui proprie significet *epocham* sen durationem temporis indeterminatam: hac de causa utebantur termino *die* ad has etiam durationes significandas. Cum rationalistae, dum de diebus genesiæ agitur, abutantur hoc termino ambiguo *die*, idcirco de ipso fusius loquemur in Introductione Particulari.

166. *Hora* multiplici sensu sumitur in Sacra Scriptura. Quandoque significat quartam partem temporis quo sol est in horizonte; et sic quatuor sunt horae longiores vel breviores, nempe *Prima* quae respondet nostrae horae sextae matutinae: *Tertia* quae respondet nostrae horae nonae: *Sexta* horae duodecimae convenit, *Nona* vero, horae tertiae vespertinae. Exempla Scripturae: Matth. XXVII, 45: «A sexta autem hora tenebrae factae sunt.»: ibid. v. 46: «Et circa horam nonam clamavit Jesus...»

Quandoque hora sumitur, pro vigesima quarta parte totius diei, ut «Sic non potuistis una hora vigilare mecum? (Matth. XXVI, 40) Nonnumquam, pro duodecima parte temporis quo sol est in horizonte, ut, «Nonne duodecim sunt horae diei?» (Joann. XI, 9).

Demum hora apud hebraeos saepissime designat non durationem determinatam breviorē vel longiorē, sed tempus quo aliquid fit: ex. gr.; «Et sanatus est puer in illa hora.» (Matth. VIII, 13): «Dabitur enim vobis in illa hora quid loquimini.» (Matth. IX, 19): «Misit servum suum hora coenae.» (Luc. XIV, 17).

Caput IV

167. De ponderibus. = 168 Nummis et = 169. Mensuris hebraeorum.

167. Difficile admodum est determinare valorem strictum ponderum et mensurarum de quibus in Sacris Libris mentio fit: nescimus enim num ea quibus judaei utebantur temporibus Christi et Machabaeorum, eundem valorem habeant ac ea quae praesertim ante captivitatem babylonicam adhibuerunt. Ad hunc valorem determinandum, multum juvat comparatio cum

ponderibus et mensuris graecorum et romanorum: sed animadvertendum est, etiam horum valorem non esse nobis omnino certum. Igitur quae dicturi sumus, non nisi ut magis vel minus probabilia accipienda sunt.

Pondera primitus apud hebraeos fuere lapides, et ad omnes fraudes vitandas, quidam in tabernaculo servabantur lapides, ut essent pondera typica, et dicebantur *pondera templi* (Exod. XXX, 13.)

Unitas ponderis apud hebraeos fuit *siclus* (schekel), cujus pondus respondet nostris 14 gram. 200. Dividitur in duo *Regah* quorum unumquodque habet 7 gr. 100. *Regah*. dividitur in decem *Gerah*, O gr. 708. Haec sunt pondera infra siclum. Supra siclum inveniuntur *Mina* qui valet quinquaginta siclos, seu 710 gr.: et *talentum* quod aequivalet sexaginta *minis* seu 42 Kil. 600 gr.,

In Novo Testamento invenitur etiam *libra* cujus pondus erat 326 gr. 327, (Joann. XII, 3.) Erat pondus usitatum a Romanis, qui eum vocabant *as* et dividebant in duodecim partes seu uncias.

Etiam de alio pondere a Graecis adhibito mentio fit in Evangelio (Luc. XV, 8) «mulier habens *drachmas* duodecim.» *Drachma* erat pars octava unciae romanae, et dividebatur in sex *obolos* et duodecim *semiobolos*.

168. Primis temporibus, hebraei non habuerunt monetam proprie dictam, sed vel res sibi necessarias acquirebant vi aliarum quas ipsi tradebant, vel ope cujusdam ponderis metalli non signati, unde pondera et nummi confundebantur. Sed temporibus Machabaeorum jam hebraei nummos cudere coeperunt sub Simone Machabaeorum Principe anno 130 ant. Christum.

Cum in Scripturis mentio fiat monetarum, non modo populi hebraeci, sed etiam aliorum populorum, nonnulla subjiciemus circa earum valorem probabilem.

Monetae hebraicae et babylonicae.

Talentum babylonicum aequivalet 7407,38 franc. seu peset.

Talentum Mosaicum. 6172,82 id.

Talentum aureum. 131,850 id.

Mina seu Mna. 141 id.

Siclus aut stater vel argenteus. 2,80 id.

Regah aut Bechah. 1,42 id.

Gerah aut Guerah. 0,14 id.

**Monetae aliorum populorum quae in Scriptura
commemorantur.**

Drachma antiqua.. . . .	0,93	peset.
Id. aetatis Christi.. . . .	0,87	id.
Didrachma id.	1,74	id.
Denarius.	0,81	id.
Dipondium.. . . .	0,16	id.
Libra seu As.	74,50	id.
As (moneta aerea)	0,08	id.
Uncia.	5,60	id.
Daricus.. . . .	24,69	id.
Lepton.	0,027	id.
Obolus.	0,154	id.
Sextertius.	0,200	id.
Talentum aticum.. . . .	5560,890	id.
Kodrans seu Quadrans.	0,0054	id.

Determinatio valoris certi harum monetarum pendet a determinatione valoris monetae, ut ita dicam, fundamentalis, quae apud hebraeos erat *siclus*, apud graecos *drachma* et apud romanos *denarius*.

169. Mensurae vel sunt longitudinis et superficiei, vel capacitatis seu cavae, et hae pro aridis et liquidis.

Inter *mensuras longitudinis*, illa erat fundamentalis, quae dicebatur *cubitus*, quae si cum nostro *metro* comparetur, aequivalet juxta Calmet et Lamy O.^m 560; his consentit etiam Ubal-di: juxta Tirinum O.^m 300; juxta Glaire O.^m 555; juxta Jans. O.^m 365; juxta Caminero O.^m 450; et demum juxta Vigouroux O.^m 522.

Semel determinata longitudine cubiti, reliquae mensurae, facile dignoscuntur.

Erant sequentes: *Digitus* seu *Etsba* (Jer LII, 21) vigesima quarta pars cubiti O.^m 018.

Palmus minor (*Zhophah*, II Par. IV, 5) quatuor digitis, O.^m 075.

Palmus major (*Zereth*, seu *Spithama*, I Reg. XVII, 4) duodecim digitis, O.^m 180.

Calamus (*Kanek* Ezechi. XLII, 16) sex cubitis, 3 m. 132.

Stadium, mensura graecorum et romanorum ab hebraeis adhibita (Joann. VI, 19; Luc. XXIV, 13) 187.^m 5.

Milliarium romanum (Matth. V, 41) 8 stadiis, aequabat mille passus geometricos, 1500.^m

Iter sabbati (Act. I, 12) seu spatium itineris quod die sabbati percurrere licebat, 1624.^m, seu fere miliarium.

Iter diei, incertae longitudinis, inter romanos a 150 ad 160 stadia.

Leuca, 24 stadiis, 3 miliariis.

Mensurae cavae, eadem erant pro aridis et liquidis. Rabbini comparant mensuram ovo gallinaceo, et fundamentalis mensura pro aridis erat *Epha*, et pro liquidis *Bath*, ejusdem capacitatis, et aequivalet 432 ovis gallinaceis, 38 litr. 88, (Exod. XVI, 36.

Corus, decem Ephs, 388 litr. (III Reg. IV, 22.)

Lethek seu *dimidius corus*, quinque Ephs, 194 litr. (Os, III, 2.)

Gomor decima pars Ephae, 3 litr. 88. (Exod. XVI, 16.)

Seah vel *satur*, tertia pars Ephae, 11 litr. 64.

Cabus decima octava pars Ephae. 1 litr. 94 (IV Reg. VI, 25.)

Hin, sexta pars Ephae, seu Bathi, 5 litr. 84.

Log, seu *sextarius*, duodecima pars. Hin, O. litr. 486 (Lev. XIV, 10.)

Betsa mensura rabbinica, sexta pars Log, O. litr. 081.

Arthaba, mensura babylonica, 51 litr. 76. (Dan. XIV, 2.)

Nebel, tres bathos capiens 116 litr. 64.

Laguncula, aequalis Batho (Is. V, 10.)

Cadus mensura romana, aequalis etiam Batho (Luc XVI, 26.)

Modius quandoque sumitur pro *Epha*, et nonnumquam indeterminate significat mensuram.

Ut certo determinari posset capacitas harum mensurarum, prius certo determinanda esset capacitas *Ephae* et *Bathi*: sed in hoc diversae sunc auctorum sententiae: nam jux Lamy capiebat 19 litr. 06; juxta *Calmet* 27 litr. 45; juxta Glaire et Janssens, 28 litr. 46; juxta Drach et Ubaldi 31 litr. 54, et demum juxta Vigouroux 38 lit. 88, ut supra diximus.

Caput V

170. De Matrimonio, et de lege leviratus. = 171. De re domestica. = 172. De habitatione. = 173. De animalibus mundis et immundis.

170. Matrimonium ab initio fuit unius cum una; et haec unitas matrimonii servata est usque ad Patriarcham Lamech, qui duas simul uxores habuit. Deinceps polygamia generalis evasit, et Moyses, attentis circumstantiis, ipsam toleravit, donec veniente Christo, omnino prohibita fuit. (1)

Summo Pontifici numquam fuit licitum plures ducere uxores, sed unam tantum, eamque virginem.

Uxores, aliae erant proprie dictae; aliae vocabantur *concubinae*, et erant quidem uxores legitimae, sed sine solemnitatibus nuptialibus ductae; tamen gaudebant juribus uxorum.

Sponsalia contrahebantur inter patrem puellae et patrem adolescentis, coram testibus: post aliquos menses, sponsa splendide ornata et coronata, ducebatur in domum sponsi, multis comitantibus juvenibus amicis sponsi, qui graece *paranymphae*, id est, internuntii vocantur. Similiter et virgines ibant obviam sponso, praeferentes lampades. Semel in domo sponsi, adstantes benedictiones recitabant super sponsos, et statim sponsus sponsae tradebat annulum. Pacta matrimonialia scriptis consignabantur coram duobus saltem testibus, et deinde per octo dies convivia faciebant.

Moyses ad vitanda graviora mala permisit *divortium*, ita ut vir quibusdam de causis, quae Scriptura non determinat, posset uxorem dimittere, dato *libello repudii* seu quoddam scriptuo, in quo vir consignabat suam voluntatem dimittendi uxorem, expressa etiam causa. Uxor dimissa poterat contraere aliud matrimonium, quod ut legitimum habebatur. Juxta I. Josephum jus repudii solis maritis erat concessum, non autem uxoribus, nisi volentibus maritis: tamen ipse Josephus fatetur, suo tempore, quasdam nobiliores matronas hoc jus sibi arrogasse. Christus vero, restauravit matrimonii indissolubilitatem, et omnino prohibuit libellum dare repudii. (1)

(1) Matth. XIX, 4-8.

(1) Matth. XIX, 3 et seqq.

Una ex causis repudii erat adulterium uxoris; sed ne uxor innocens injuste dimitteretur, instituta erat lex *Zelotypiae*, qua maritus adulterium uxoris probare posset: ad hoc, mulier bibeat *aquas amaras* quae describuntur Num. V, 11-31; quod si innocens fuerit, ipsi non nocebant: secus autem miraculose venter ejus corrumpebatur, vel saltem fiebat sterilis in perpetuum.

Matrimonia cum extraneis erant omnino prohibita, et etiam inter consanguineos et affines usque ad secundum gradum. Licita erant matrimonia inter personas diversae tribus, sed filia, quae non haberet fratres, et idcirco esset haeres bonorum paternorum, non poterat contrahere matrimonium, nisi cum aliquo ex sua tribu. Denique prohibebatur sacerdotibus ducere mulierem repudiatam, vel lapsam aut meretricem.

Si quis relinqueret uxorem suam viduam asbque filiis, tunc eam in matrimonium ducere debebat frater defuncti; et primogenitus qui ex hoc matrimonio nasceretur, ut filius et haeres defuncti habebatur: et hoc est quod dicitur *Lex leviratus* (Deut. XXV, 5-6) Deficiente fratre defuncti, vel eo nolente viduam ducere, proximior cognatus poterat eam ducere: sed vidua habebat jus spuendi in faciem cognati qui eam ducere noluit. (Deut. XXV, 5-10) et (Ruth. IV, 1-9)

171. Ante legem mosaicam, cum familiae independentem vitam agerent, pater erat rex et pontifex, et habebat in filios potestatem vitae et mortis; sed Moyses hac potestate privavit parentes (Deut. XXI, 18-21), tamen eis concessit, ut coram magistratibus possent accusare filium, qui morti tradebatur, modo probaretur ipsum maledixisse aut verberasse patrem, aut esse nebulonem, luxuriosum et contumacem.

Filius qui nascebatur, circumcidendus erat octavo die: mater, ut alibi diximus, manebat immunda septem diebus, et aliis triginta tribus transactis, adibat ad templum, ut Deo offerret filium suum primogenitum; et insuper, ad sui ipsius purificationem offerebat agnum, et si pauper esset, duos turtures aut duos pullos columbarum.

Filiae rebus domesticis operam dabant, et erant sub potestate patris donec matrimonium contraherent: filii sub patria potestate manebant usque ad mortem patris, et tunc tantum jus in bonis paternis acquirebant.

Pater *testamentum* faciebat coram testibus, scriptura sigillo

munita, saltem recentioribus temporibus Veteris Foederis. Primogenitus, duplicem portionem haereditatis accipiebat, et insuper praeeminentiam super fratres, et specialem benedictionem: reliqui fratres aequalem percipiebant partem; sed filiis concubinae, pater non relinquebat nisi aliquod legatum vel munus gratuitum. Vidua mater a filiis haeredibus sustentanda erat.

Servi ex gente hebraica, potius erant famuli: extranei vero erant proprie dicti servi (Lev. XXV, 40; Deut. XV, 18). Servituti locum dabant: 1.° captivitas in bello (Deut. XX, 14): 2.° haereditas, (Lev. XXV, 44-46): 3.° debita quae solvi non poterant (Exod. XXII, 3): 4.° furtum quod reparari nequibat (Exod. XXII, 3). Servorum opera, eorumque proles, domini erant. Servus hebraeus septimo anno liber dimittebatur, vel saltem anno jubilaei, ut jam dictum est. Servus hebraeus alienigenae vendi non poterat. Prohibitum erat servos crudeliter tractare; quod si dominus in puniendo sua auctoritate abutebatur, vel ipse etiam erat puniendus, vel saltem servus libertatem obtinebat. (Exod. XXI, 20, 26-27).

Moyses, attentis circumstantiis sui populi, tolerare coactus est servitutem proprie dictam, sed eam multum temperavit; nam servitus apud gentiles populos erat multo durior. Christus Dominus docens omnes suos discipulos esse fratres et haeredes regni coelestis, servitutem proprie dictam (la esclavitud) e societate expulit. Nostris adhuc temporibus haec plaga existit in nationibus paganis, et quod pejus est, etiam in christianis: certum est namque conditionem opificum, in quibusdam nationibus quae systemate libertatis reguntur, esse veram et proprie dictam servitutem.

172. Primae hominum habitationes fuerunt speluncae et cavernae: qui his in locis habitabant dicebantur et dicuntur *Troglodytae*, quae adhuc supersunt non modo in populis incultis, sed etiam in nationibus civilizatis, ex gr. in Hispania. Postea habitarunt in tentoriis (tiendas de campaña) ita dispositis, ut facile de uno in alium locum transferri possent: huiusmodi tentoriis usi sunt hebraei tempore peregrinationis per desertum, et in eorum memoriam festum *tabernaculorum* institutum fuit. Nostris temporibus, huiusmodi habitatione utuntur milites in bello, et tribus nomades, seu Beduini et etiam Hungari qui frequenter nostram visitant Hispaniam.



Sed postquam hebraei terram promissionis occuparunt, habitationes fixas et solidas aedificare coeperunt. Generatim domus habebant formam quadrangularem. *Janua* in medio frontispicii sita aditum dabat *vestibulo* (portal) ubi erat parvum *sedile*. Post vestibulum inveniebatur aliud vestibulum interius, ut *impluvium* (patio) romanorum, porticu columnis sustentata circumdatum: in medio hujus vestibuli erat puteum vel fons aquae. In quator lateribus hujus vestibuli erant diversa cubacula: sed praeterea domus hebraeorum aliud habebat pavementum (otro piso) ad quod ascendeatur per scalam quae verosimiliter erat in vestibulo exteriori. Existente polygamia quaedam habitationes reservabantur uxoribus et concubinis, et prope illas habitationes inveniebantur viridaria et hortus. De foribus et seris, jam in Hermeneutica diximus quae necessaria sunt.

Fenestrae generatim erant interiores: quae vero in plateas prospiciebant, nonnisi in magnis solemnitatibus aperiebantur. Loco crystallorum utebantur velo lucido ex tenui papyro vel simili materia confecto.

Tectum non erat ut apud nos inclinatum, sed planum, et lorica circumdatum, ut praesertim tempore aestivo possent ibi colloqui, deambulare, manducare et etiam dormire. In hoc tecto situs erat locus orationis; unde in Act. X, 9 dicitur Petrum ascendisse in tectum ut oraret circa horam sextam.

Domus hebraeorum erant valde inter se separatae, ut agris et hortis locum darent: sic intelligitur immensus circuitus civitatum orientalium, ex gr: civitatis Ninive.

173. Insulsum et ridiculum esset quaerere in Sacris Scripturis classificationes zoologicas, quales moderna Zoologia offert. Ut saepe dictum est, scopus Scripturae non est scientificus sed religiosus, et idcirco, ea omnia Scripturae loca quae cum actuali progressu scientifico relationem habent, intelligenda sunt, sicut ab hebraeis intelligebantur.

Itaque hebraei dividebant animalia in *quadrupedia*, *pisces*, *aves* et *reptilia*. Ex quadrupedibus erat mundum omne animal quod habet divisam ungulam et ruminat: unde *sus* erat animal immundum quia habet divisam ungulam sed non ruminat: camelus vero, chaerogryllus, lepus et caetera hujusmodi, immunda erant, quia ruminant, sed non habent ungulam divisam.

Ex piscibus tum maris tum fluminum, mundi erant omnes qui haberent pinnulas et squamas: caeteri vero omnes immundi.

Aves generatim erant immundae, et aliquae species determinantur in Levitico XI, 13-19 et seqq.: «Omne de volucribus quod graditur super quatuor pedes (*ut muscae, apes*, etc.) abominabile erit vobis. Quidquid autem ambulat quidem super quatuor pedes, sed habet longiora retro crura, per quae salit super terram; comedere debetis, ut est bruchus in genere suo, et attacus, atque ophiomachus, ac locusta, singula juxta genus suum.»

Omnia reptilia erant immunda.

Esus quorundam animalium, ex gr.: anguillarum, prohibebatur fortasse propter earum similitudinem cum serpente tentatore. Alia animalia, ut sus, manducari non debebant, quia in Palaestina, hujusmodi cibus erat, non raro, saluti nocivus (por el desarrollo de la *trichina*). Esus aliorum animalium prohibitum erat, quia ut sacra a gentibus habebantur; his vero, praesertim in rebus sacris, hebraei nullo modo commisceri poterant. Demum, nonnulla animalia, ut canes, edere prohibebatur ob naturalem repugnantiam.

Caput IV

174. De adspectu religioso aegyptiorum, assyriorum aliorumque antiquorum populorum. = 175. Inventiones archaeologicae nostris temporibus in Aegypto et Assiria factae, veritatem historiae biblicae invictissime confirmant.

174. Cum historia Aegypti et Assiriae magnam cum historia biblica relationem habeant, idcirco aliqua hic de statu religioso horum et aliorum antiquorum populorum dicemus: quae vero spectant ad chronologiam horum populorum quae hodie a rationalistis adducitur ut argumentum contra biblicam chronologiam, tractabimus cum de antiquitate hominis sermo sit.

Inter falsas divinitates antiquorum populorum eminet *Bel* seu *Baal* quem colebant Assyrii, Babylonii, Chaldaei, Syri, Madianitae, Ammonitae, et etiam Aegyptii, Graeci et Galli. (1)

(1) Ad rem eruditus R. Torío, professor Semin. Palent.: «El culto de Baal fué uno de los más extendidos: porque los traficantes de Tiro y de Sidón llevaron la religión de Baal á todas sus colonias y á los lugares á donde les atraía el comercio á que siempre se dedicaron. El pueblo donde parece que debía encontrar más dificultades para implantar su culto era el egipto, y sin embargo, un monumento de este país nos enseña que en

Ad mala vitanda et ad beneficia obtinenda offerebant sacrificia humana, et victimae generatim erant infantes. (1) In historia prophetarum Eliae, et in libro Danielis, saepissime mentio fit de huiusmodi idololatria.

Dogma fundamentale religionis Aegypti fuit unitas Dei, juxta Herodotum et Plutarchum: et quidem in quodam templo Sais, legebatur haec inscriptio: «*Ego sum qui est, qui fuit et qui erit adhuc nemo mortalium me vidit.*» Monotheismus, aliquo modo servatus fuit a sacerdotibus; sed populus deos multiplica-

su capital, en Menphis, hubo un templo consagrado á él; y en las ruinas de la misma ciudad se ha encontrado un fragmento de una estatua que representa á Baal, y en otro monumento un sacerdote y un devoto en actitud suplicante le rinden homenaje. A consecuencia de las conquistas de Alejandro Magno, Baal se convirtió en Dios griego y se le identificó con Zeus ó Júpiter, como atestigua Dión Casius. Baal tuvo adoradores hasta en la Galia.... Como hemos indicado ya, Bel ó Baal era el Dios principal á quien adoraban los pueblos semíticos comprendidos entre el Tigris y el Mediterraneo, ó sea la divinidad á quien rendían homenaje los asirios, babilonios y caldeos, los sirios, los cananeos en sus diferentes tribus, los madianitas, moabitas y ammonitas, y principalmente los fenicios que extendieron su culto por todos los lugares á donde les llevó su espíritu mercantil; así le encontramos en el Asia menor, Egipto, Cartago, Cádiz, etc.» *El culto de Baal.* IV Pag. 99 et seqq.

(1) Iterum Dr. Torío: «Los sacerdotes de Baal, se servían á veces de su propia sangre para atraer á la divinidad, como se infiere del episodio del Carmelo. (III Reg. XVIII). Aquellos sacerdotes, suplicando en vano á su Dios que manifestara su presencia por medio de milagros, echaron mano de cuchillos y de otros instrumentos punzantes, abriéndose la piel, y haciendo chorrear la sangre de su cuerpo, para presentar á la divinidad un cebo más exquisito con que obligarla á acudir á su llamamiento... No era menos horrible y cruel el modo de ofrecer los sacrificios humanos, sobre todo el de los niños. Moloch, una de las formas de Baal, el dios del fuego, del sol abrasador, estaba representado según la tradición judía bajo la forma de un toro de bronce cuyo interior estaba hueco y vacío, y con los brazos tendidos en la actitud de un hombre que se dispone á recibir algo. Se calentaba el monstruo hasta el rojo y se le ofrecía entonces en holocausto una víctima inocente, un niño que era enseguida consumido. Para que los gritos de la víctima no llegaran á oídos de los padres y les desgarraran las entrañas, durante el sacrificio tocaban tambores con el objeto de apagar aquellos gritos. También en Cartago se ponían las víctimas sobre los brazos de un ídolo de bronce y hueco y con un agujero, de modo que los pobres niños rodaban por los brazos y por el agujero caían al interior del ídolo en el horno ardiente, y los padres no debían lamentarse de la muerte de sus hijos, so pena de que el sacrificio perdiera todo su valor.» Op. et loc. cit. pag. 110 et seqq.

vit usque in infinitum: distinguenda est igitur, religio sacerdotalis a religione populari.

Sacerdotes admittebant Ens quoddam supremum quod rebus corporeis repraesentari non posset. In hac unitate divinitatis quamdam agnoscebant trinitatem, nempe Patrem, Matrem et Filium: tamen quodlibet templum suo modo figurabat trinitatem, et hinc innumera trinitatum diversitas.

Praevaluit tandem trinitas Thebana quam constituebant *Isis* et *Osiris* qui genuerunt *Horo*. Juxta aegyptios, *Osiris* fuit unus ex regibus divinis. Temporibus Ptolemaeorum, supremus Deus erat *Serapis*, dominus maris, terrae et inferorum, auctor vitae et iudex mortuorum: ipsum repraesentabant cum severa facie et mitratum, et prope eum erat serpens cum triplici capite, nempe, canis, lupi et leonis.

Sicut *Osiris* fuit typus regum, sic *Hermes* sen *Trismegistus* fuit typus sacerdotum. Hic Deus scripsit historiam deorum, coeli et creationis, aliquamque ejus partem communicavit diis *Isis* et *Osiris*: hanc historiam in vulgarem linguam vertit *secundus Hermes* qui fuit inventor scripturae, grammaticae, astronomiae, geometriae, medicinae, musicae et arithmeticae. (1)

(1) Doctrinam *hermeticam* sic exponit Card: González: «Es difícil al pensamiento, se dice en estos libros, concebir á Dios, y á la lengua hablar del mismo. No se puede describir con medios materiales una cosa inmaterial, y lo que es eterno, difícilmente puede aliarse con lo que está sujeto al tiempo... Lo que puede ser conocido por los ojos y los sentidos, como los cuerpos visibles, puede expresarse por medio del lenguaje: lo que es incorporeo, invisible, inmaterial, sin forma, no puede ser conocido por nuestros sentidos: comprendo, pues, ¡oh Thoth! comprendo que Dios es inefable..... No es limitado ni finito; no tiene color ni figura: es la bondad eterna é inmutable, el principio del Universo, la razón, la naturaleza, el acto, la necesidad, el número, la renovación; es más fuerte que toda fuerza, más excelente que toda excelencia, superior á todo elogio, y sólo deber ser adorado con adoración silenciosa. Está escondido, porque para existir no tiene necesidad de aparecer. El tiempo se manifiesta, pero la eternidad se oculta. Considera el orden del mundo: debe tener un autor, un solo autor, porque en medio de cuerpos innumerables y de movimientos variados, se advierte un solo orden. Si hubieran existido muchos creadores, el más débil hubiera tenido envidia del más fuerte, y la discordia habría traído el caos. No hay más que un mundo, un sol, una luna, un Dios. Este es la vida de todos, su origen, su poder, su luz, su inteligencia, su espíritu y su soplo. Todos existen en él, por él, bajo él, y fuera de él no hay nada, ni dios, ni angel, ni demonio, ni substancia alguna: porque uno solo es Todo, y Todo no es más que uno.» *Hist. de la Filos.* Tom. I, pág. 74.

Ut supra dictum est, populus deos multiplicavit, et quasi eorum symbola, quaedam animalia habebat ut sacra, eisque adorationem tribuebat: talia erant simius, leo, felis, crocodilus, ibis, *Bos apís* et alia. Haec animalia, etiam involuntarie occidere poena capitali mulTABATUR. (1)

Quoad moralitatem, religio aegyptiorum prohibebat blasphemiam, dolum, furtum, homicidium, intemperantiam, desidia, invidiam, detrectationem aliaque similia vitia. Praeterea aegyptii agnoscebant animae humanae immortalitatem cum premiis et poenis, quae responderent actionibus in hac vita peractis. Animae defunctorum, post novem annos expiationis in coelum ascendunt, si in statu justitiae ex hac vita migraverint: sed animae peccatorum, per metempsychosim seu transmigationem de corpore in corpus animalium, post tres mille annos Deo conjunguntur.

Hanc fidem in animae immortalitatem probat ipse modus pollingendi cadavera, ut legenti *notam* (2) patebit.

Quoad libros *Hermeticos* scribit Rohrbacher: «En este pasaje nos dice el filósofo cristiano de Alejandria (S. Clem. Alex) que los libros de Hermes esencialmente necesarios, eran cuarenta y dos, lo cual supone que había además otros, como efectivamente sucede, pues vemos muchos citados en los autores. Hay quien los hace subir á 20.000 y Jámblico, filósofo neoplatónico, asegura que llegan á 36.525. Por lo que, según estos datos nada tenían que envidiar, en cuanto á libros, los egipcios á los budistas. —Hermes ó Thoth, según interpretan hoy los entendidos en la doctrina egipcia, es la inteligencia divina: como Verbo encarnado se llama Hermes Trismegista, ó Hermes tres veces muy grande y excelente: como Verbo no encarnado se llama Hermes dos veces muy grande, ó el segundo Hermes. Muchos Padres de la Iglesia han citado libros de Hermes, ó Mercurio Trismegista, en favor de la unidad de Dios y de otras verdades cristianas.» *Hist. Univ. de la Igl. Catol.* Tom. II, pág. 617.

(1) Ad rem Caesar Cantú: «Por haber dado muerte impensadamente un soldado romano á un gato, fué asesinado por el pueblo iracundo á pesar de la intervención del rey y del nombre formidable de Roma. Cuéntase que Cambises mandó colocar delante de su ejército una fila de animales sagrados, y que los egipcios dejaron que los pusieran en derrota por no disparar contra ellos. En tiempo de Adriano hubo un enorme trastorno porque no se encontraba buey Apis.» *Hist. univ.* Lib. II; XXII.

(2) Ad rem Caesar Cantú: «Es probable que Herodoto no nos trasmitiese la fórmula de los embalsamadores por respecto á los misterios; pero Porfirio, más moderno y menos escrupuloso, cuenta que después de la extracción de las vísceras, que se depositaban en un cesto, se volvían aquellos de cara al sol, y clamaba uno: «Sol, Señor, y vosotras divinidades

Primitus, fundamentale dogma religionis assyriorum et chadaeorum fuit Dei unitas. Hic Deus unicus vocabatur *Ilu*, vel *Iluu*. Sed postea alios deos et deas admiserunt, et demum etiam cultum animalium et idolorum amplexati sunt, ut ex historia idoli Bel et draconis (Dan. XIV) satis constat.

»que dais la vida acogedme y entregadme á los dioses infernales á fin de
 »que penetre en su morada, porque nunca he cesado de venerar á los dioses
 »que me enseñaron mis padres. Mientras me ha durado la vida, hé honrado
 »siempre á los que engendraron mi cuerpo: nunca hé dado muerte á nadie,
 »ni hé negado un depósito, ni hice daño á otro. Si hé cometido falta
 »comiendo ó bebiendo cosas prohibidas, no hé pecado por causa mía, sino
 »por esta porción de mi cuerpo.» Pronunciadas estas palabras era arrojado
 al agua el cesto y embalsamado el cuerpo, como cosa pura, y se colocaba
 en las necrópolis ó ciudades de los muertos con tal de que en el juicio
 hubiese sido declarado el difunto bueno y piadoso,» *Hist Univ Lib. II.*
 Cap. XXII.

Propter relationem cum historia biblica, haec clar. canonici Toletani, F, Valbuena, mihi addere liceat. «Habiendo sido embalsamados los cuerpos de Jacob y de José, darémos algunas noticias acerca de las costumbres egipcias relativas á este particular. Muerto un jefe de familia, todas sus mujeres se cubrían de ceniza y polvo en señal de duelo y llevaban esparcidos los cabellos por las calles de la ciudad, haciendo una cosa parecida los maridos con respecto á sus mujeres difuntas. Pasadas estas primeras manifestaciones de duelo, era entregado el cuerpo á los embalsamadores, especie de sacerdotes de un órden inferior. En las grandes ciudades se preparaban á un tiempo muchos cadáveres, sobre todo de los pobres, que constituyen siempre en toda sociedad el mayor número, embalsamándoles á la vez con las materias prevenidas de antemano, siendo bastante distintas las operaciones, según lo querian los parientes, que podían gastar más ó menos en la operación. El modo ménos dispendioso de hacerlo consistía en purificar el interior del cuerpo con drogas de ínfimo precio y disecar las carnes teniéndolas por espacio de sesenta dias sumergidas en anatron y envolviendo después todas las partes del cadáver con telas ordinarias para llevarle á seguida al enterramiento público.—Las personas de distinción gastaban en el cuidado de los cadáveres sumas considerables, y la operación de embalsamar era harto complicada según lo testifica Herodoto... Hacíase en primer lugar la extracción de la masa encefálica por medio de un instrumento encorvado que se introducía por la nariz, llenando la cavidad craneana de betun liquido muy puro, que se endurecía al enfriarse. Tambien se operaba la extracción de los ojos, en cuyo lugar colocaban otros de esmalte. Con un cuchillo de piedra se hacía una incisión en el lado izquierdo del vientre, y por allá sacaban los intestinos y las visceras; lavando con mucho esmero la cavidad abdominal con pociones de vino de palmera ó de aromas, para llenarla de mirra, de laudano y otros perfumes mezclados con joyas y objetos de religión, como amuletos y figuritas de los dioses, construidas en

Etiam hi populi agnoscebant animae humanae immortalitatem, ut patet ex caeremoniis funerariis quas adhibebant, et praesertim ex consuetudine ponendi prope cadaver, cibum et potum. (1)


metales preciosos y en piedras duras y preciosas. Preparado así el cuerpo se le depositaba en anatrón por espacio de sesenta días, donde las partes blandas desaparecían, quedando solamente la piel pegada á los huesos, como es de ver en las momias que se conservan en todos los museos de Europa, entre ellos el de Historia Natural de Madrid. Llegaron tan adelante los egipcios en materia de embalsamamiento, que lograron conservar la flexibilidad y elasticidad natural de los miembros, por medio de inyecciones, en las venas de un líquido particular, cuya composición nos es desconocida.—Mientras el cuerpo se iba momificando metido en el baño de anatrón, los médicos preparaban los intestinos y las vísceras, tratándoles por el betun en ebullición, y envolviendo separadamente el cerebro, el corazón y el higado en un lienzo, eran depositadas estas partes del cuerpo en cuatro vasos, más ó menos preciosos, conocidos con el nombre de *Canopes* llenos previamente de asfalto derretido al fuego.... Pasados los sesenta días de inmersión en anatrón, se sacaba el cuerpo para darle sepultura en el panteon de familia ó en los hipogeos públicos. Pero antes era preciso envolver con mucho cuidado todas y cada una de las partes del cadáver en telas más ó menos finas.... Para que se pueda formar una idea de la enorme cantidad de tela necesaria para amortajar un cadáver á estilo egipcio, recordaremos que Mariette midió la longitud de las vendas de una momia distinguida, y halló que su longitud era de casi cinco kilómetros. Tratándose de momias cuidadas con mucho esmero, se doraban las uñas de los pies y de las manos, y se cubrían los ojos y la boca con planchas de oro, y aun toda la cara estaba oculta por una mascarilla de oro.... Preparados convenientemente los cadáveres, eran colocados en sarcófagos adornados de pinturas y esculturas, de madera de sicómoro ordinariamente, de granito gris ó rojo, y también de basalto. Los personajes de alto rango solían llevar dos ó tres cajas metidas una en otra y ornamentadas con pasajes del libro de los muertos relativas á la vida de ultratumba.» *Egipto y Asiria resuscitados*, P. I. Lib. III. Cap. II. Art. VIII.

(1) Audi D. Emman. de la Peña: «Uno de los indicios más significativos de las creencias de un pueblo sobre el destino humano después de la muerte son, sin duda alguna, las costumbres funerales: porque no se rinde culto á los que fueron, sino se creyera que aún, después de haber abandonado este mundo, continúan todavía existiendo. Preciso es que los Caldeos tuviesen idea de este género para tratar á sus difuntos de la manera que nos enseñan las excavaciones modernas: parece haber existido entre ellos una especie de lugar sagrado para las sepulturas, al cual vinculaba su piedad ideas religiosas puesto que los restos humanos amontonados en las ciudades de la Baja Caldea, sobre todo en Warka, la antigua Erech del tiempo de Nemrod. son incalculables.—Cuando comenzaron las investigaciones, causó extrañeza el no encontrar en Asiria sepul-

Graeci plures divinitates admittebant, et etiam liberum cultum deorum extraneorum fovebant, ita ut quoddam templum consecrarent *ignoto* Deo. Athei, capitali poena damnabantur: inter atheos vero numerabantur monotheistae, ut Protagoras qui proscriptus fuit, quia pluralitatem deorum negabat, et Socrates qui eadem de causa occisus est: eamdem poenam subiit Diagoras qui atheus fuit. Aristoteles agnovit et demonstravit existentiam Dei, id est, cujusdam causae primae motus et mundi, quae quidem causa est ens necessarium, substantia aeterna, indivisibilis, immutabilis, infinita, intelligentia perfectissima et actus purissimus, ita ut in hoc Ente supremo intelligentia et intellectio; intelligens et intelligibile unum idemque sint. Tamen, quod mirum est, Aristoteles negavit providentiam Dei, et admisit aeternitatem materiae, (1) Quoad animae humanae

turas asirias: después se descubrió que la necrópolis de Asiria era la Caldea: según parece, los cadáveres habían sido trasportados por el Tigris y el Eufrates á este último país, como una tierra santa. Los sarcófagos que los contienen son de pequeñas dimensiones: la mayor parte de los fétretos están adornados y hechos de arcilla, no cocida, sino secada al fuego: su forma representa exactamente la de una gigantesca chinela. Al exterior se ven series regulares de ornatos en relieve, destacándose entre estos una figura humana muchas veces repetida, con los pies separados, la mano derecha apoyada en la cadera y la izquierda armada con una corta espada: la parte superior del ataúd lleva en una de sus extremidades cierta abertura grande, cerrada por una cubierta plana y bien ajustada con argamasa... Conviene advertir que los sarcófagos contienen frecuentemente joyas, ladrillos escritos y sellados que son ciertamente recuerdos de familia, lámparas y en particular vasos que no pueden haber sido encerrados en las tumbas con otro objeto que el de servir á los difuntos en otra vida, porque están llenos de manjares.» *Manual de arqueol. prehist. Asiriologia*, Art. VIII.

(1) «Apenas se concibe, ait Card. Gonzalez, en verdad, que después de una concepción tan elevada, tan pura y tan profundamente filosófica de la divinidad, Aristóteles haga de Dios un ser solitario, sin relación de providencia y sin causalidad eficiente con respecto al gobierno del mundo. Y, sin embargo, así sucede, por extraño que parezca. Nuestro filósofo, que reconoce y afirma á Dios como ser inteligente y perfectísimo, y, lo que es más, como causa primera del mundo, y como vida perpetua, y como principio eterno é infinito del movimiento, niega la Providencia divina, ó sea la intervención de Dios en el gobierno del mundo y de los seres que lo componen. Y es que el filósofo griego cree que el conocimiento del mundo y de todas sus partes es incompatible con la pureza y elevación de la inteligencia divina, cuyo objeto único debe ser la substancia, la esencia purísima y actualísima de Dios.» *Hist. de la Filos.*, Tom. I, pág. 307.



immortalitatem, sunt qui putant, Aristotelem hanc negasse veritatem, ut Plutarchus, Plotinus et Porphyrius, et ex Patribus, Origenes et Gregorius Naz.; tamen contrariam tuentur sententiam S. Thomas, Durandus, Soto, Suarez, Vazquez et major part scholasticorum.

Plato etiam monotheismum professus est, et etiam animae humanae immortalitatem, sed admisit metempsychosim: quoad mundum docuit esse aeternum et increatum quoad materiam. Proposuit etiam in suis operibus philosophicis quamdam speciem Trinitatis divinae, ex qua doctrina, juxta rationalistas, catholici acceperunt dogma SS. Trinitatis; quod assertum falsissimum est. Nam in primis, nec ipsimet rationalistae conveniunt in determinanda natura hujusmodi trinitatis Platonicae: juxta aliquos enim, eam constituunt *unum, logos et anima mundi*; juxta alios vero eam efformant *bonum, mundus intelligibilis et universi idea seu forma*. Sed haec trinitas omnino differt a catholicorum Trinitate. Nam in Trinitate catholica, Pater, Filius et Spiritus Sanctus, unus Deus sunt, et nulla inter has divinas personas datur superioritas, vel inferioritas cum trium essentia una eademque sit: in trinitate autem tum Platonis, tum Philonis, duo termini secundarii a primo procedunt per emanationem vel per creationem, et idcirco, ut creaturae haberi debent. (1)

(1) Ad rem sapientissimus Card. Gonzalez: «En todo caso, esta concepción poco ó nada puede tener de común con la concepción precisa, concreta y definida de la Trinidad cristiana. La cual, aun prescindiendo de la confusión y multiplicidad de significaciones ó sentidos que caracterizan á la primera, se encuentra y se encontró siempre colocada á distancia inmensa de la trinidad platónica, en la cual nada hay que se parezca á la distinción real é hipostática de las tres personas divinas, y mucho menos nada que se parezca á la igualdad absoluta, consubstancial y esencial de las mismas. Por otra parte, ¿qué comparación cabe entre la naturaleza, atributos y efectos del Espíritu Santo de la Trinidad cristiana, y la naturaleza, atributos y efectos del alma universal del mundo? Aun suponiendo que Platón concediera divinidad y personalidad á esta alma universal, suposición que carece de certeza y hasta de probabilidad, no sería posible establecer términos de comparación entre esa alma universal que envuelve una concepción panteísta del cosmos, y el Espíritu Santo, cuya noción propia y cuyas funciones son incompatibles con toda concepción panteísta de la realidad. Si á lo dicho se añade que los dos términos secundarios de la trinidad platónica proceden del primero, ó por emanación, ó á lo más por creación, pero en ningún caso por medio de la procesión purísima *sui generis* que entraña la Trinidad cristiana: si se tiene en cuenta que Platón, lo mismo

Apud Romanos polytheismum viguisse notissimum est, et nullum evidentius argumentum quam illud templum, quod dicebatur *Pantheon* in quo colebantur dii omnium populorum et gentium, non exceptis Jesu Christo et Virgine Maria. Tamen Cicero negavit Dei providentiam, quia putabat ipsam conciliari non posse cum hominis libertate; et ideo *ut faceret homines liberos, fecit sacrilegos* ut dicit S. Augustinus.

Quaedam adolescentulae virginitatem diis consecrabant, et dicebantur *vestales*, quae semper in magno honore habitae sunt.

Romani immortalitatem animae agnoverunt. Fuit communis apud eos incineratio cadaverum: cineres vero servabantur in vasis. (1)

175. Rationalismus modernus, infensissimus catholicae Ecclesiae hostis, sibi proposuit falsitatem ostendere fundamentalium dogmatum nostrae religionis, nempe creationis, unitatis specificae hominis, diluvii, chronologiae biblicae etc. etc., ad id consequendum nihil non intentarunt; nam documentis historicis, geologia, palaeontologia, philologia, anthropologia, aliisque mediis usi sunt: sed ab initio saeculi XIX, investigationibus archaeologicis praesertim in Assyria et Aegypto operam dederunt, et vi harum investigationum, non raro catholicismi ruinam prophetarunt. Inter anglos, gallos et germanos, innumeri sunt hujusmodi scriptores: inter hispanos, plus vel minus his ideis imbuti sua opera scripserunt Morayta (*Discurso de apertura de la Universidad Central*, 1884); Castelar (*Galería de mujeres célebres*): Sales et Ferre, Universitatis Hispalensis professor, Odon de

que Filón y los neoplatónicos alejandrinos aplican nombres mitológicos y al-góricos á los términos de su respectiva trinidad, los cuales vienen á ser como ciertas personificaciones de ciertas ideas abstractas, preciso será reconocer que se trata aquí de concepciones trinitarias que ofrecen apenas lejanas é imperfectas analogías con la concepción Trinitaria del Cristianismo. Si descartamos de aquellas la personificación alegórica de ciertas ideas y de las relaciones que concebimos naturalmente entre el ser, la inteligencia y la vida, la trinidad platónica, la de Filón y la de los alejandrinos, quedan reducidas á la nada como concepciones de una trinidad divina y personal. Lo que palpita en el seno de esas concepciones impropiamente llamadas trinitarias, lo que constituye su fondo real es la afirmación de que la existencia y formación del cosmos material presupone la existencia de ideas arquetipas, la afirmación de la inmanencia de un mundo inteligible é ideal en este mundo visible y corpóreo.» *Hist. de la Filos.*, Tom. I, pág. 245.

(1) Plura invenies apud Caesar. Cantu. *Hist. Univ.*

Buen et Salmeron, Univers. Barcinon, et Matrit. professores aliqui. Sed *mentita est iniquitas sibi* et rationalistae *inciderunt in foveam quam fecerunt*. Et quidem monumenta tum Aegypti tum Assyriae ut pyramides, sphynxes; picturae et sculpturae quae facta historica repraesentant; instrumenta diversarum artium, amuleta, ornamenta, lateres, papyri et inscriptiones sacrae, postquam Champollion, anno 1882, clavim scripturae hieroglyphicae invenit, mirabiliter confirmant omnia quae in Pentateucho et in libris praesertim historicis Veteris Testamenti continentur, ut suo loco videbimus. Plures catholici, magnifica opera de hac re scripserunt: inter extraneos, quorum catalogum texere esset nimis molestum, eminet celeberrimus Vigouroux (*La Bible et les Decouvertes modernes*): inter hispanos, Card. González O. P. (*La Biblia y la Ciencia*); Martínez Vigil, O. P. Episc. Ovet. (*La Creacion, la Redención y la Iglesia*), Camara, O. S. A. Episc. Salmant. qui egregium opus scripsit contra Draper: Fernández Valbuena, can. Tolet. (*Egipto y Asiria resuscitados*): Fernández de la Peña, Semin. Hispal. professor (*Manual de Arqueología prehistórica*; P. Arintero, O. P. (*El Diluvio universal*), P. Joann. Mir, S. J. (*La Creación*); P. Mendive S. J. (*La Religión vindicada*, etc) Hernandez Fajarnés, Univ. Caesaraug, professor (*Cosmología*): P. Urraburu S. J. (*Inst. Philos*); Montells y Nadal, Univ. Granat. Rector (*Dios, la Naturaleza y la Humanidad*), et etiam alii.

Catholici et praesertim sacerdotes, assiduam et quotidianam horum operum et etiam aliorum quae fasciculis mensualibus, vel trimenstribus, vulgo *Revistas* (*Revue Biblique*, Paris.—*Revista Eclesiástica*, Valladolid.—*Revista Ibero Americana*, —*Razón y Fé*, Madrid.—*La Ciudad de Dios*, Escorial) apparent, lectionem habere debent, eo quod sit utilissima ad Scripturam intelligentiam et vindicationem, et saepissime commendata a Sapientissimo Pontifice Leone XIII. (1)

(1) Conf. etiam op. D. Eduar. Toda «*A traves del Egipto.*»

Caput VII

176. Succincta descriptio geographica Palaestinae et regionum eam circumdantium.

176. *Palaestina*, dicta etiam *Chanaan* quia a posteris Chanaan filii Cham fuit occupata: *terra promissa*, quia posteris Abrahamae fuit promissa; *terra hebraeorum*, *Judaea*, *Palaestina*, et nunc *Terra Sancta*, sita est inter gradus 31° , et $33^{\circ} 30'$ latitud, septent., et 32° - 34° long. orient, juxta meridian. Paris. Confinis est ad septentrionem Phoeniciae ac Syriae, ad meridiem Arabiae Petraeae, ad orientem Arabiae desertae et ad occidentem mari Mediterraneo. Non tamen semper eadem fuit extensio terrae hebraeorum; nam temporibus Davidis et Salomonis se extendebat a Mediterraneo usque ad Euphratem, et habet fere 8.000.000 incolarum.

Praecipui montes Palaestinae sunt: 1.^o *Libanus*, id est *albus* seu *candidus*, sic dictus, quia ejus vertex perpetuis fere nivibus albescunt. Ipsum constituunt duo jugera, quorum orientale a graecis dicitur *Antilibanus*, occidentale vero proprie *Libanus*; et vallis quae inter utrumque existit vocatur *Coelesyria*. Pars altissima Antilibani dicitur *Hermon*. Ex Libano et Antilibano descendunt duae series montium qui per totam longitudinem Palaestinae protenduntur cis et trans Jordanem. Celeberrimi sunt in Scripturis *cedri* Libani. 2.^o *Carmelus* sic dictus quia vineis et olivetis abundat, situs est ad littus Mediterranei ad $32^{\circ} 17'$, lat efficitque promontorium tribus jugis constans. In hoc monte habitaverunt Elias et Elisaeus. Alius mons Carmelus minus celebris existit prope mare Mortuum. 3.^o *Thabor* in parte meridionali Galilaeae: in hoc monte probabiliter Christus transfiguratus est. 4.^o Ab inferiori jugo Carmeli descendunt montes *Ephraim* seu *Israel*, ut *Gelboe* ubi Saul et Jonathas in praelio occisi sunt, et *Garizim* ubi samaritani, tempore Alexandri Magni, templum aedificaverunt: medio valle Sichem existit mons *Hebal*. Montes Israel sequuntur montes *Judae* usque ad Arabiam petraeam, inter mare Mortuum et Mediterraneum: haec sunt *montana Judae* ubi Joannes Baptista natus est: altissimus vertex dicitur *Quarantania*, quia ibi Christus quadraginta diebus jejunavit. Inter montes Judae recenseri etiam debent mons *Moria* ubi aedifica-

tum est templum, mons *Sion*, mons *Olivarum* et mons *Calvarii* ubi Christus Dominus crucifixus est. In montibus tum Israelis tum Judae, plures inveniebantur cavernae et specus, qui praesertim latronum habitationes et latibula constituebant. 5." Trans Jordanem ab Antilibano descendunt usque in Arabiam petraeam *Montes Galaad*: septentrionales dicuntur *Basan*, meridionales *Abarim*, et medii *Galaad*. Inter montes *Abarim* existit mons *Nebo*, ubi Moyses mortuus est postquam vidit terram promissam.

Praecipuae *valles* Palaestinae sunt, *vallis Jezrael*, inter Thabor et juga Carmeli; *vallis Saron* juxta Joppen, cujus flores laudantur in Scriptura (Gant. II. 1): *vallis Jordanis* seu planities *Generoth*: *vallis gigantum* sen *Rephaim* (Is, XVII, 15) *vallis salis* vel *salinarum* ad partem meridionalem maris Mortui, ubi Abisai occidit 18.000 idumaeos (I Paral. XVIII, 12): *vallis Terebinthi*, ubi David vicit et occidit gigantem Goliath: *vallis Josaphat* inter Hierosolymam et montem Olivarum: *vallis viatorum* (Ezech. XXXIX, 11), ad partem orientalem lacus Gennesareth; et demum *vallis Ajalon*, ubi Josue celebrem victoriam obtinuit super quinque reges, quando miraculose sol et luna steterunt ad imperium Josue.

Quandoque *deserta* in Sacris Scripturis vocantur loca illa ubi nulla invenitur hominum habitatio, nec fere vegetatio: talia sunt *deserta Thecue, Engaddi, Maon, Ziph, Jerichuntis, Judae* et alia: sed nonnumquam in Scripturis vocantur *deserta* etiam *valles* et *campi*, in quibus non modo vegetatio sed etiam hominum habitationes abundant: talis est ex. gr. locus ubi Christus panes multiplicavit.

Praecipuum *flumen* Palaestinae est *Jordanis*, quod ex diversis rivulis et fontibus Libani et Antilibani originem sumit: descendit per Coelesyriam et post pauca miliaria efformat lacum *Merom* qui habet longitud. 8 kilom. et latitud. 4: deinde ingreditur lacum *Gennesareth*, qui dicitur etiam *Mare Tiberiadis* et *Mare Galilaeae* (Matth. IV, 18), longit. 21 kilom. et 14 latitudinis: et demum post cursum 42 circiter leucarum Mare Mortuum ingreditur. A dimidio Aprilis intumescit ob liquefactionem nivium Antilibani, ita ut vado trajici nequeat. Hoc flumem celeberrimum est, quia ejus aquae steterunt ut iter praeberent populo Dei (Jos, III, 16), et praesertim quia sanctificatae fuerunt a Christo Domino, quando in hoc flumine baptizatus est. (Matth. III, 13.)

Mare mortuum, quod dicitur etiam *mare Salsum*, *mare Salis*, *mare Siddim*, *mare Sodomae*, et etiam *lacus Asphaltides*, habet 72 kilom. longitudinis et 20 latitudinis: situm est, ubi temporibus Abrahae erat vallis fertilissima, quae in Scripturis dicitur *sylvestris*: ibi erat *Pentapolis*, seu quinque civitates, nempe Sodoma, Gomorrha, Adama, Seboim et Segor, quae a Deo terribiliter punitae sunt: locum harum civitatum occupat Mare Mortuum, sic appellatum quia in omni fere sua extensione, pisces vivere non possunt, ob naturam aquarum quae ex *sale*, *bitumine seu asphalto* et *potasa* ac *bromo* componuntur. (1)

Excepto Jordane, nullum aliud flumen proprie dictum existit in Palaestina, sed tantum rivuli, quorum alii aquas suas vertunt in Jordane, ut *Jabok*, *Gadara*, et *Hesebon* qui originem ducunt ex montibus Galaad: alii in mari Mortuo, ut *Zered*, *Arnon*, *Saphia*, et torrens *Cedron*: alii demum in Mediterraneo, ut *Cison*, *Belus*, *Torrens Arundinetz*, *Torrens Botri*, *Torrens Besor* et *Rivus Aegypti*.

Occupata ab hebraeis terra promissionis, in duodecim par-

(1) «Los incrédulos, ait Perujo, han negado la verdad de la historia de Lot, y lo que se lee en el Génesis de la submersión de las ciudades de Pentápolis, diciendo que todo el terreno es bituminoso y volcánico, y que el mar fué formado en tiempos remotos por convulsiones volcánicas, que inflamaron y fundieron todos los materiales del terreno que se acumularon después lentamente en este lugar. Pero basta el simple aspecto de este lago para creer el relato bíblico y la antigua tradición que atribuye la formación de este mar á la venganza divina. El *asfalto* que nada en él, el betún y el azufre que se encuentran en sus orillas, la esterilidad del suelo, su color de ceniza, el amargor y la pesadez de sus aguas y los vapores que arrojan, están aún deponiendo la verdad del hecho á los ojos de los naturalistas. Es por consiguiente cierto, que la formación del mar Muerto ha sido de resultas de las ciudades criminales que estaban á la orilla del Jordán. Envió Dios sobre ellas una lluvia de fuego que las consumió y encendió el betún subterráneo de que abunda aquel país. Consumida la materia combustible, se hundió el terreno, y este hundimiento produjo una cavidad, la cual, recibiendo las aguas del Jordán, sin dejarles ninguna salida visible formó el mar Muerto. Estas aguas depositadas allí contrajeron la salobre y espantosa amargura que hoy día las distingue aún de las demás. Sin embargo, no hay inconveniente en conceder que pudo concurrir un fenómeno volcánico con el hecho del castigo divino sobre las cinco ciudades corrompidas, que quedaron sumergidas debajo de sus sombrías y apestadas aguas. Es bien sabido que la Providencia aprovecha muchas veces para sus altos designios los agentes naturales.» *Diccion. de Cienc. eclesiast.* de Perujo y Angulo. Tom. VII, pág. 80.

tes divisa fuit juxta numerum tribuum. Tribus Ruben, Gad et dimidia Manasses habitarunt in regione Basan, trans Jordanem: reliquae tribus sedem habuerunt in regione cis-Jordanica, et earum situs sic describitur a Caminero: «*Tribus Ruben* habuit ad N. Gad, ad E. et S. torrentem Arnon, ad O. Mare Mortuum et Jordanem. Trans Arnonem degebant Moabitae ad S. et Ammonitae ad E. *Tribus Gad* ad N. dimidiam Tribum Manasses ultrajordanicam, ad E. Ammonitas, ad S. Ruben, ad O. Jordanem: per hujus littus orientale assurgebat, angusto licet tractu, usque ad mare Galilaeae. *Tribus Manasses* orientalis, ad N. Antilibanum, ad E. Batanaeam et montes Auramtidis, ad S. Gad, ad O. Jordanem superiorem a Lacu Gennesareth. Cis Jordanem sitae erant: *Tribus Simeon*, habens ad N. Juda, ad S. E. regionem Idumaeorum, ad S. O. Amalecitas, ad O. Philisthaeos. *Tribus Juda*, ad N. Benjamim, ad E. Mare Mortuum, ad S. Idumaeam et Simeon, ad O. Philisthaeos. *Tribus Dan*, ad N. Ephraim, ad E. Benjamin, ad S. E. Juda, ad S. O. Philisthaeos, ad O. Mediterraneum. *Tribus Benjamim*, ad N. Ephraim, ad E. Jordanem, ad S. Juda, ad O. Dan. *Tribus Ephraim*, ad N. Manasses occidentalem, ad E. Jordanum, ad S. Benjamim et Dan, ad O. Mediterraneum. *Tribus Manasses occidentalis*, ad N. Issachar, ad E. Jordanum, ad S. Ephraim, ad O. Mediterraneum. *Tribus Issachar*, ad N. Zabulon, ad E. Jordanem, ad S. et S. O. Manasses, ad N. O. fere usque ad Mediterraneum extendebatur, supra Carmeli inferius jugum. *Tribus Zabulon*, ad N. Asser et Nephtalim, ad E. lacum Gennesareth et Jordanum, ad S. Issachar, ad O. iterum Asser. *Tribus Nephtali*, ad N. Libanum et Coelesyriam, ad E. Jordanum, ad S. Zabulon, ad O. Asser. *Tribus Asser*, ad N. Libanum, ad E. Nephtalim, ad S. E. Zabulon, ad S. Carmelum, ad O. Phoenicem.» (1)

Temporibus Christi, Palaestina dividebatur in *cisjordanicam* et *transjordanicam*: prima subdivisa erat in tres partes, nempe *Galilaeam*, *Samariam*, et *Judaeam*. *Galilaea* erat pars septentrionalis, habebatque ad Septentrionem Syriam, ad Meridiem planitiem Esdrelon, ad Orientem Jordanem et lacum Gennesareth, et ad Occidentem Phoenicem et Mediterraneum: pars superior dicebatur *Galilaea gentium* ob multitudinem gentilium qui ibi degebant. In tota hac regione Christus et Apostoli praedicationis ministerium exercuerunt.

(1) Man. Isagog. Sect. I. Cap. V.

Samaria erat pars media regionis cisjordanicae: ejus limites erant, ad Septentrionem Galilaea, ad Meridiem Acrabatene et oppidum Annuath, ad Orientem Jordanis, ad Occidentem Gaza; tamen non se porrexit usque ad littus Mediterranei.

Judaea, erat pars meridionalis regionis cisjordanicae, cujus limites erant ad Septentrionem Samaria, ad Meridiem Arabia Petraea, ad Orientem Jordanis et Mare Mortuum, ad Occidentem Mediterraneum usque ad Ptolemaidem: complectebatur etiam terram Philisthinorum.

Regio *transjordanica* seu *Peraea*, has provincias includebat: 1.^a *Peraea* proprie dicta, pars meridionalis inter fluvios Arnon et Jabok; 2.^a *Regio Galaad*, super fluvium Jabok; 3.^a *Decapolis*, quae cis et ultra Jordanem decem civitates habebat, scilicet, Bethsam, Philadelphia, Raphana, Gadara, Hippos, Dion, Pella, Gerasa, Canatha et Damascus; 4.^a *Gaulonitis* a Jordane et lacu Gennesareth ad montem Hermon; 5.^a *Bathanaea* ad Orientem Decapoleos et Meridiem Trachonitidis; 6.^a *Ituraea* seu *Araunitis* ad Orientem Gaulonitidis; 7.^a *Trachonitis* magis ad Orientem praecedentium; et 8.^a *Abilene* ad Septentrionem Araunitidis et Galaad.

S. Lucas (III, 1) alterius etiam divisionis mentionem facit: et quidem post mortem Herodis magni, ejus regnum divisum fuit inter suos filios: *Etharchia* Archelai complectabatur Judaëam. Samariam et Idumaeam: *tetrarchia* Herodis (Antipae) Galilaeam et Peraeam proprie dictam: *tetrarchia* Philippi, Batanaeam, Trachonitidem et Araunitidem: *tetrarchia* Abilene concessa fuit Lisaniae.

Regiones quae Palaestinam circumdant, et de quibus frequenter mentio fit in Scripturis, sunt *Regio Aramaea* seu *Syria*, *Phoenice*, *Media*, *Persia*, *Babylonia*, *Arabia*, *Aegyptus*, et terra *Gesen*, de quibus aliquid breviter dicemus.

Aram seu *Syria*, lato sensu accepta, comprehendebat vastissimam regionem a monte Tauro ad Damascus et Babyloniam ex una parte, et ex alia a Mediterraneo usque ad Assyriam trans Tigridem. Dividebatur in tres regiones, nempe Assyriam seu Aram, Beth, Rohob. *Assyria* inter Armeniam ad Septentrionem, Mediam ad Orientem, Babyloniam ad Meridiem, et Tigridem ad Occidentem sita erat. Ejus caput fuit Ninive aedificata in orientali littore Tigridis.

Aram *Naharaim* seu *Mesopotamia*, inter montem Taurum,



Tigridem et Euphratem: praecipuae urbes erant Haran, Ede-ssa, Nisibe, Ur et Circesium.

Syria proprie dicta erat inter montem Taurum, Mediterraneum, Phoenicem, Palaestinam, desertum et Euphratem. Dividebatur Syria a Libano et Antilibano, in medio quorum erat Coelesyria. Praecipuae urbes fuerunt Baalbek seu Heliopolis, Thadmor seu Palmyra, quarum ruinae nostris temporibus exploratae sunt: Damascus, prope quam urbem Paulus conversus est; et Antiochia, caput Syria, S. Lucae Evangelistae patria, et ubi primum Cristi discipuli, Cristiani vocari coeperunt.

Phoenice angusta sed celeberrima regio quae a fluvio Eleuthero usque ad Ptolemaidem se extenditur ad littora Mediterranei. Ejus praecipuae urbes fuerunt Tyrus et Sydon, ad Mediterraneum sitae, et Acre, dicta Ptolemaides. Inter antiquos populos Phoenices eminent ob navigationem, commercium et artes; quidam ipsis tribuunt inventionem alphabeti.

Media seu *Madai* (a Madai filio Japhet, Gens. X, 10) habebat ad Septentrionem mare Caspium, ad meridiem Persiam, ad Occidentem Assyriam, et ad Orientem Hircaniam et Parthiam. Praecipuae civitates fuerunt Ecbathana caput Mediae, Rages Gaza et Tebarmai patria Zoroastri.

Persia stricte sumpta, jacebat inter Mediam ad Septentrionem, ad Meridiem sinum Persicum, ad Orientem Carmaniam et Occidentem Susianam. Praecipuae civitates fuerunt Persepolis 25 milliarium longitudinis, et Pasargada, sedes Cyri.

Susiana sita erat inter Persiam proprie dictam, Babyloniam et mare Persicum. Praecipua civitas et caput Susianae fuit Susa ubi contigit historia quae in libro Esther narratur.

Babylonia seu *Caldea* proprie dicta, confinis est ad Septentrionem Mesopotamiae, ad Meridiem sinui Persico, ad Orientem Susiane et ad Occidentem Arabiae desertae. Inter ejus urbes, omnium celeberrima fuit Babylon, aedificata in utraque ripa Euphratis inferioris. Quoad hanc civitatem scribit Ubaldi: «Hujus urbis magnitudinem ac splendorem paene incredibilem veteres nobis tradiderunt imprimis Herodotus, Diodorus Siculus, et Strabo, nunc vero ex recentibus explorationibus in situ, ubi olim haec urbs efforuerat, veterum descriptio confirmata et illustrata est. Moenia urbis per quadrum extructa erant, cujus singula latera centum viginti stadia longitudinis

habebant, ita ut area urbis 514 chilometra quadrata occuparet, septuplum circiter hodiernae urbis Parisiorum: in moeniis centum portae aenaeae totidem proceris turribus munitae, quarum vestigia hic illic adhuc apparent. Immensum urbis spatium in quatuor veluti partes divisum erat, campis, villis atque hortis interruptas, quae quatuor veluti urbes distinctas constituebant suis nominibus designatas, scilicet *Cutha* et *Borsippa* in parte superiori, et in parte inferiori proprie dicta *Bab-Illy* subdivisa in duas, idest, in *civitatem regiam* triplici murorum giro circumseptam, et *civitatem* populi, ubi nunc surgit urbs *Hilla*. *Borsippa* (Bar-Sip) creditur aedificata circa ruinas turris Babelicae, ibique rudera immensae turris, seu potius pyramidis reperta sunt cum celebri inscriptione, ex qua colligitur eam fuisse ipsam Babelicam turrin à Nabuchodonosor instauratam.» (1)

Arabia est vastissima regio sita inter Syriam et Euphratem ad Septentrionem; mare Erythraeum ad Meridiem; mare Rubrum, Aegyptum et Galaad ad Occidentem, et Babyloniam et Sinum Persicum ad Orientem. Graeci et latini Arabiam divisissent in tres partes, nempe Arabiam *Felicem*, *Petraeam* ac *Desertam*. *Arabia felix* sic dicta ob suam fertilitatem et fructus terrae pretiosos, sita erat in regione meridionali inter mare Rubrum et Sinum Persicum. Praecipuae civitates erant Saba et Ophir. *Arabia Petraea* a *Petra* civitate Idumaeorum, occupabat partem Septentrionalem et Occidentalem Arabiae, una cum paeninsula Sinai in sinu Arabico. Habitabatur a diversis gentibus, nempe Idumaeis, Amalecitis, Moabitis, Ammonitis, Madianitis etc. Praecipuae urbes erant Petra, Bosra, Rabbath-Ammon, (postea dicta Philadelphia), Rabath-Moab, Carioth etc. Haec pars Arabiae celebris est in Scriptura ob hebraeorum itinera et mansiones. *Arabia deserta* sita inter Arabiam Petraeam ad Occidentem, Syriam et Mesopotamiam ad Septentrionem, Babyloniam et Sinum Persicum ad Orientem, et spatium montium qui eam separant ab Arabia Felice, ad Meridiem. Eam habitabant Ismaelitae et Arabes vel Nomades. Dicitur *deserta*, quia major ejus pars vere erat deserta.

Aegyptus, antiquissima regio quae in Sacra Scriptura vocatur etiam *Mitsraim* seu *Matsor*, confinis erat ad Septentrionem

(1) *Introd. in Sac. Scrip., Archaeol. Set. I, Cap. I, Art. II.*

mari Mediterraneo, ad Austrum Aehtyopiae seu Nubiae, ad Orientem Arabiae Petraeae, et ad Occidentem desertis Lybiae. Aegyptus *superior* complectebatur Thebaidem et septem provincias quae juxta graecos constituebant *Heptanomidem*. Aegyptus *inferior* comprehendebat totum Delta Nili. Praecipuae urbes Aegypti fuerunt *Thebae* seu *Diospolis*, caput totius Aegypti: *Menphis* ubi juxta aliquos natus est Moyses, et erat sedes Pharaonum hoc tempore: *Tanis*, splendidissima urbs ut testantur rudera et monumenta quae in ejus ruinis inveniuntur. *Alexandria* ab Alexandro Magno aedificata: fuit sedes Ptolemaeorum, et celeberrima ob sua monumenta, et etiam propter versionem graecam V. T. ibi factam.

Terra Gessen sita erat in parte orientali inferioris Aegypti inter mare Mediterraneum et Arabiam Petraeam. Praecipua urbs hujus regionis erat *Ramesses*.

Aethyopia quae ab hebraeis dicebatur *terra Chus* ex filio Cham hujus nominis, amplexabatur actualem Aethyopiam seu Abyssiniam et Nubiam quae erat in valle Nili infra Aegyptum. De eunucho reginae Candacis a Philippo baptizato mentionem facit Scriptura (Act. VIII). Haec postrema regio monumentis abundat sicut Aegyptus.

FINIS

Introductionis Generalis.

INDEX

PRAEFATIO. RATIO ET DIVISIO OPERIS.

PARS PRIMA

SEU

Introductio Generalis.

SECTIO I.

De canone, textu originali et versionibus
Sacrae Scripturae.

CAPUT I.

1. Quid nomine sacrorum librorum in genere intelligendum sit. = 2. Libri sacri Indorum, Persarum, Sinensium, Romanorum et Mahumetanorum. = 3. Diversa S. Scripturae nomina apud Patres aliosque scriptores. = 4. Definitio S. Scripturae. = 5. Num his temporibus utile ac etiam necessarium sit S. Scripturae studium. = 6. Necessitas Introductionis generalis et hujus historia. Quae notitiae sub nomine Introductionis generalis complectantur. = 7. Introductionis particularis necessitas. = 8. Processus historicus criticae tum haereticorum tum recentiorum incredulorum. = 9. De numero et ordine topicorum in hac tractatione. (Pag. 1.)

CAPUT II.

10. Multiplex acceptio hujus vocis *Canon*. = 11. Quid nomine canonis in praesenti materia intelligendum sit. = 12. In quo differant liber apocryphus, divinus, canonicus et ecclesiasticus. Quotuplici sensu apud aliquos Patres, liber aliquis dicatur apocryphus. Praecipui libri apocryphi tum V. tum N. Testamenti. Quid dicendum de Epistola D. N. J. C. ad regem Abgarum, et de Epistolis D. Pauli ad Senecam. = 13. Auctoritas quae jure ac obligatorio modo canonicitatem alicujus libri declarat, infallibilis esse debet. = 14. Quot sint libri canonici juxta Conc. Tridentinum. = 15. Divisiones sacrorum libro-

rum ratione temporis, argumenti et eorum inclusionis in canone. Libri proto et deutero canonici utriusque Testamenti. Causae seu rationes ob quas aliqui libri et librorum fragmenta non ab initio in canonem recepta fuerint. Num aliquis liber divinitus inspiratus deperditus sit. = 16. Utilitas studii librorum apocryphorum. Horum librorum praecipuae collectiones. (Pag. 11.)

CAPUT III.

Canon Hebraeorum.

17. Utrum hebraei ante Esdram quosdam libros ut divinitus inspiratos eorumque certum canonem habuerint. = 18. Qua ratione hebraeis nota erat horum librorum divina inspiratio. = 19. Quis fuerit Esdras: ejus canon, et fabula de ipsius origine. Opus Esdrae in confectione canonis. Quos libros contineat canon Esdrae. = 20. Quo sensu dicatur canonem V. T. temporibus Esdrae clausum fuisse. Num Esdras characteres veteres scripturae hebraicae cum chaldaicis commutaverit. = 21. Quibus rationibus Danko aliiqne nitantur ut existiment canonem qui Esdrae tribuitur, recentioribus temporibus fuisse confectum. (Pag. 23.)

CAPUT IV.

Canon Hellenistarum.

22. An judaei post Esdram aliquem novum canonem confecerint ante canonem hellenistarum. = 23. Canon hellenistarum. Libri quos complectebatur. = 24. Qua auctoritate hic canon factus fuerit. = 25. Testimonia tum judaeorum, tum etiam J. C. et Apostolorum quae pro veritate hujus canonis militant. = 26. Quaedam solvuntur objectiones. (Pag. 31.)

CAPUT V.

Canon Christianorum.

27. Qualis fuerit canon sacrorum librorum a primis Ecclesiae saeculis usque ad Concilium Tridentinum. Ostenditur canonem Tridentinum solidissimis niti fundamentis. Adversariorum objecta solvuntur. = 28. Nemo certus esse potest de veritate et integritate canonis, nisi vi auctoritatis Ecclesiae Catholicae. = 29. Quaedam solvuntur objectiones. = 30. Canon Muratorii. (Pag. 35.)

CAPUT VI.

31. Quid lingua (lenguaje.) Num ab homine sibi ipsi relicto inveniri potuisset. Linguarum familiae et earum peculiare characteres. = 32. Qua lingua exarati fuerint generatim libri Veteris Testamenti. = 33. Diversae periodi litteraturae hebraeorum. Lingua syro-chaldaica. = 34. Quid dicendum de lingua graeca biblica. Qui libri V. T. graece fuerint exarati. Probatur omnes

libros N. T. excepto Evangelio Matthaei, lingua graeca scriptos fuisse. Quid dicendum de illa opinione juxta quam Evangelium Marci et Epistola ad Romanos prodierunt originaliter latino sermone.=35. Forma litteraria librorum tum Veteris tum Novi Testamenti.=36. Quare N. T. scriptores usi fuerint sermone admodum vulgari. (Pag. 46.)

CAPUT VII.

37. De sermone scripto deque ejus antiquitate et divisione. De alphabeti origine.=38. Quomodo hebraei longo spatio tempori suos libros scriberent. Signa divisoria ut *Silluk* et *Soph pasuk* quae deinceps ab ipsis inventa sunt.=39. Paraschae et haphtarae, earumque species et numerus.=40. Divisiones in capita et versus Card. Hugo et Roberti Stephani vel Estienne. (Pag. 52)

CAPUT VIII.

41. Quid sit Thalmud judaeorum, ejusque origo. Ipsius partes, nempe Mischna et Gemara. Sectiones quas hoc opus complectitur. De ipsius auctoritate critica.=42. Quid Massora. Labores Massoretharum. Judicium de ipsis ferendum.=43. Num textus hebraicus integer usque ad nos perseveraverit.=44. Manuscripta hebraica adhuc existentia, eorumque antiquitas. Qua de causa manuscripta antiquiora non servantur. (Pag. 56.)

CAPUT IX.

45. Num adhuc existant manuscripta originalia librorum N. Testamenti. Videtur autographa ipsa extitisse temporibus Tertulliani.=46. Quomodo autographa exarata fuerint, sive ex parte scriptoris, sive ex parte scripturae considerentur.=47. Stichometria ejusque incommoda.=48. Anagnosmata et pericopes, eorum origo et objectum.=49. Divisio librorum Novi Testamenti per capita, titulos et versus, a quibus sit peracta. (Pag. 61.)

CAPUT X.

50. Quid nomine *codicis* intelligatur. Num inter diversos codices et etiam versiones et citationes SS. Patrum, variantes lectiones inveniantur, et quomodo explicentur. An ipsam doctrinae substantiam attingant.=51. Principales codicum familiae earumque origo. De gradu auctoritatis codicum familiae Alexandrinae et Byzantinae.=52. Praecipui codices manuscripti adhuc existentes. Quomodo aliqui eorum designentur et ubi servantur.=53. Quis primo typis mandaverit textum graecum. Aliae editiones ipsius textus. Quae earum appelletur *textus receptus*. Num aliquid in hoc textu desideretur.=54. Quid apparatus criticus et quae generatim complectatur. Praecipui apparatus critici. (Pag. 64.)



CAPUT XI.

55. Quid sit versio et quotuplex. Versionum utilitas.=56. Num Pentateuchus Samaritanus et Paraphrases chaldaicae ut versiones haberi debeant.=57. Quae sit prima omnium S. Scripturae versio. Historia versionis Alexandrinae. Quos libros complectatur, et an omnes a LXX interpretati fuerint De valore litterario hujus versionis. De ipsius fidelitate et auctoritate critica, exegetica et dogmatica. Septuaginta interpretes? fuerunt ne divinitus inspirati? Codices et editiones typographicae hujus versionis.=58. Versiones graecae Aquilae, Theodotionis et Simmachi. Earum indoles et auctoritas.=59. Aliae versiones graecae et praesertim Veneta. (Pag. 72.)

CAPUT XII.

60. Versio Syriaca Peschito. Ejus antiquitas et auctoritas in re critica et exegetica. Ubi haec versio nunc inveniatur.=61. Versiones philoxeniana, heraclensis et exaplaris.=62. Versiones coptica, aethiopica, arabica, samaritana, aliaeque. Earum utilitas. (Pag. 80.)

CAPUT XIII.

63. Necessitas alicujus versionis latinae primis Ecclesiae saeculis. Versio Italica. Quando et ubi facta fuerit. Ejus auctor.=64. Fidelitas tum doctrinalis tum litteraria hujus versionis.=65. Quanto tempore Ecclesia usa fuerit hac versione. Num aliqua ejus pars adhuc servetur tum in Bibliis, tum etiam in liturgia.=66. Tentaruntne aliqui scriptores recentiores versionem Italica restaurare? (Pag. 84.)

CAPUT XIV.

67. Versio S. Hieronymi. Labores ipsius quoad libros tum protocanonicos tum deuterocanonicos utriusque Testamenti. Triplex Psalterium. Quo nunc Ecclesia utatur.=68. Indoles hujus versionis Ejus acceptatio ab Ecclesia.=69. Correctoria biblica.=70. Primae editiones typographicae Bibliae latinae. (Pag. 88.)

CAPUT XV.

71. Decretum Concilii Tridentini de Vulgatae auctoritate. Causa occasionalis hujus decreti.=72. Quid in decreto significet haec vox *authentica*. =73. De extensione horum verborum decreti, *cum omnibus suis partibus*. =74. Vi hujus Decreti, geminata est auctoritas textus hebraici vel graeci? =75. Editiones Vulgatae Sixti V et Clementis VIII. Quid dicendum de Bulla *Aeternus ille* Sixti V. Etiam ejus authenticia supposita, admitti potest quod anglicus James docuit in suo libello, cui titulus *Bellum Papale*. (Pag. 92.)

CAPUT XVI.

76. Quid Paraphrases seu *Targumim*. Earum origo, et utilitas in re exegetica.=77. Paraphrases Onkelosi, Jonathae, Pseudo-Jonathae, aliaeque.=78. Versiones recentioribus temporibus lingua vulgari confectae.=79. De versionibus hispanicis, praesertim P. Scio et Torres Amat. Necessitas aliqujus versionis novae ac locupletioris in Hispania.=80. Conditiones ab Ecclesia statutae ad versiones vulgari lingua faciendas. (Pag. 97.)

CAPUT XVII.

81. Quid sint polyglottae. Earum utilitas.=82. Tetraplae, exaplae etc. Origenis. Qua de causa Origenes hunc laborem suscepit.=83. Historia polyglottarum Card, Cisneros et Regiae. Celebres humanistae qui his polyglottis operam dederunt.=84. Polyglottae Parisiensis, Londinensis et aliae minoris momenti. (Pag. 101.)

SECTIO II.

De divina inspiratione Sac. Librorum.

CAPUT I.


85. Doctrina Concilii Tridentini et Vaticani de inspiratione.=86. Quid sit inspiratio late sumpta. Diversae definitiones inspirationis stricte sumptae. In quo inspiratio differat a revelatione.=87. Opiniones quoad naturam et extensionem inspirationis. Falsae opiniones Haneberg, Lessii et Hamelii, Bonfrerii et Janssens, Erasmi et Guizot rejiciuntur.=88. Solutio quarundam objectionum. (Pag. 105.)

CAPUT II.

89. Exponitur systema inspirationis rigidae. Ejus fundamenta. Rejicitur hoc systema.=90. Quod sit systema P. Zanecchia.=91. Quid de hoc systemate dicendum.=92. Proponitur et defenditur systema asistentiae et inspirationis positivae, non quoad omnia et singula verba, sed quoad sententias.=93. Num aliqua verba Sacrae Scripturae a Deo inspirata fuerint. (Pag. 115.)

CAPUT III.

94. Adversarii inspirationis.=95. Ostenditur divina sacrorum librorum inspiratio: 1.^o infallibili auctoritate Ecclesiae catholicae: 2.^o testimoniis desumptis ex Sacra Scriptura: 3.^o ex traditione: 4.^o sanctitate et sublimitate



doctrinae speculativo-practicae quae in ipsis libris sacris continetur; et 5.^o ex mira conformitate harum doctrinarum cum progressu in scientiis naturalibus. (Pag. 123.)

CAPUT IV.

96. Capitale principium rationalistarum ut divinam Sacrae Scripturae inspirationem negent.=97. Quid ordo naturalis et supernaturalis. Hujus postremi ordinis notae characteristicae.=98. Differentia inter effectum mirabilem et miraculum. Vera miraculi definitio. Conditiones quae ad ipsum requiruntur. Diversae miraculorum species.=99. Adversarii miraculorum. Ostenditur adversus fatalistas miraculorum possibilitas.=100. Probatur contra Rousseau miraculorum cognoscibilitas.=101. Demonstratur contra omnes rationalistas realis miraculorum existentia.=102.=Quaedam objectiones ex fictis gentilium et haereticorum miraculis desumptae solvuntur. (Pag. 132.)

CAPUT V.

103. Quid prophetia. Conditiones ad veram prophetiam.=104. Num sit verum miraculum.=105. Utrum solus Deus sit et esse possit ipsius auctor =106. Ostenditur possibilitas et existentia prophetiarum.=107. Quibusdam objectionibus respondetur. (Pag. 147.)

CAPUT VI.

108. Ex magnetismi, hypnotismi et spiritismi phaenomenis, potest ne aliquid deduci adversus vim demonstrativam miraculorum et prophetiarum? =109. Historia magnetismi et hypnotismi.=110. Diversa phaenomena quae ope ipsorum obtinentur.=111. Varia systemata ad ea explicanda.=112. Nova via quam quidam catholici nostris hisce temporibus inierunt.=113. De reali existentia phaenomenorum spiritismi. Regulae ad distinguenda vera miracula ab operibus mirabilibus daemonum.=114. Possessiones diabolicae et exstases haberi ne debent ut meri morbi vel effectus naturales? =115. Prudentia in discernendis miraculis. (Pag. 153.)

SECTIO III.

Hermeneutica.

CAPUT I.

116. Qui sit Hermeneutica et exegesis. Necessitas hermeneuticae ad rectam interpretationem Sacrae Scripturae sub triplici adspectu quo considerari

potest. = 117. Quid sensus. In quo differat a significatione. Quotuplex sit sensus. = 118. Species sensus litteralis. = 119. Num sint loca in Scripturis quae nullum habeant sensum litteralem. = 120. An aliquis Scripturae locus duplicem habere possit sensum litteralem. = 121. ¿Potestne ex sensu litterali deduci argumentum demonstrativum? (Pag. 169.)

CAPUT II.

122. Sensus mysticus sen typicus, qui sit. An vere hic sensus detur in Sacris Scripturis. = 123. Utrum in omnibus locis Veteris Testamenti, typi inveniantur. = 124. Quando ex sensu typico possit deduci argumentum demonstrativum. = 125. Utrum Novum Testamentum sensum typicum admittat. = 126. Quid sensus accommodatus. Duplex accommodationis genus. Cautiones minime negligendae. = 127. Quid sensus consequens. Num detur in Scripturis. Utilitas hujus sensus. (Pag. 178.)

CAPUT III.

128. Regulae pro interpretandis Scripturis quatenus ut opus mere humanum considerantur. = 129. Necessitas cognitionis grammaticalis linguarum Scripturae, et modi his linguis utendi in diversis temporibus et a diversis gentibus. Quomodo hic loquendi modus cognoscatur. Quid faciendum ab illo quis has Scripturae linguas originarias ignorat. = 130. Tropi, allegoriae, symbola et ejus species. parabolae, fabulae, proverbia, hyperboles et emphases in Scripturis. = 131 Idiotismi praecipui Scripturarum. (Pag. 185.)

CAPUT IV.

132. Quid contextus. Ejus species. = 133. Regulae contextus. Hujus utilitas. = 134. Quid loca parallela. Utilitas parallelismi. Modus inveniendi loca parallela. = 135. Quid parallelismus poeticus et quotuplex. (Pag. 194.)

CAPUT V.

136. Quae, sive in sacris scriptoribus, sive in personis quae in Sacra Scriptura loquuntur scire oporteat, ut eorum verba et sententiae recte et facile intelligi queant. = 137. Conditiones externae et internae, intellectuales et morales personae loquentis et audientis. Natura et indoles personarum et rerum. (Pag. 200.)

CAPUT VI.

138. Regulae pro interpretandis Scripturis quatenus ut libri divinitus inspirati considerantur. = 139. Num in Scripturis ipsis, vel inter Scripturam et humanam historiam et scientiam vera possit inveniri contradictio. = 140.

Causae apparentium contradictionum in Scriptura. =141. Quid faciendum, quando in ipsa Scriptura vel inter Scripturam et humanam historiam et scientiam videtur contradictionem existere. (Pag. 208.)

CAPUT VII.

142. Hermeneutica catholica. =143. Regula interpretationis a Concilio Tridentino statuta. =144. Exponitur haec regula, et ejus rationalitas ostenditur adversus protestantes et incredulos. =145. Analogia fidei. (Pag. 217)

CAPUT VIII.

146. Hermeneutica rationalista. =147. Systemata accommodationis, et interpretationis moralis: systema psychologicum, mythico-legendarium et panharmonicum exponuntur et rejiciuntur. =148. Celebriores interpretes hispani et exteri, catholici et non catholici. (Pag. 226.)

SECTIO IV.

Archaeologia Biblica.

CAPUT I.

149. Quid sit Archaeologia. Utilitas Archaeologiae biblicae. =150 De aspectu religioso populi hebraici. Templum. =151. Ministri. =152. Sacrificia. Victimae et oblationes. =153. De festis judaeorum. =154. De ipsorum Theologia. =155. De sectis inter judaeos. =156. Nazaraeatus. =157. Purificationes. (Pag. 249.)

CAPUT II.

158. De constitutione populi hebraici ante et post schisma. Reges utriusque regni. =159. De tribunalibus. =160. De poenis. (Pag. 263.)

CAPUT III.

161. De jubilaeo. =162. Anno =163. Mense. =164. Hebdomada. =165. Die. =166. Hora, apud hebraeos. (Pag. 269.)

CAPUT IV.

167. De ponderibus. =168. Nummis et. =169. Mensuris hebraeorum. (Pag. 273.)

CAPUT V.

170. De Matrimonio, et de lege leviratus. = 171. De re domestica. = 172. De habitatione. = 173. De animalibus mundis et immundis. (Pag. 277.)

CAPUT VI.

174. De adspectu religioso aegyptiorum, assyriorum aliorumque antiquorum populorum. = 175. Inventiones archaeologicae nostris temporibus in Aegypto et Assyria factae, veritatem historiae biblicae invictissime confirmant. (Pag. 281.)

CAPUT VII.


176. Succincta descriptio geographica Palaestinae, et regionum eam circumdantium. (Pag. 291.)



Menda sic emenda.



Pág.	Lin.	Legitur	Corrige
PRAEF.	3	Rationaliste	Rationalistae
Id.	32	quae	quas
6	18	prodierit	ediderint
9	Nota (4) 5	Quacuam	Quaquam
10	34	siros	viros
24	8	schimatis	schismatis
48	7	lingua ecantabrae	linguae cantabrae
62	36	nimums patii	nimum spatii
78	26	Christi, ut aliis	Christi, aliis
115	8	ad	ab
122	29	sit	sic
127	26	Origines	Origenes
135	27	at	ait
136	34	pare	parte
137	4	Det	Dei
138	1	quo dnatae	quod natae
Id.	16	fiere	feri
140	23	Circumstantiam	Circumstantias
141	9	se	sed
160	4	supra sensibilia	suprasensibilia
184	12	justitia:	justitia:»
185	8	his	hic
212	36	Artaxerves	Artaxerxes
227	30	honorum	bonorum
231	14	quae sivisse	quaesivisse
233	17	cici	dici
236	6	infertum	infertur
269	Nota (2)	qua est:	quaest.
276	2	geometricos	geometricos



IN MUSICA

CURSUS
SCRIPTURAE
SACRAE

TOMO I

S.P. 3401/1